Gracey

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
15 — G
44 M

C. 65. f.

INSTITVTIONVM VITÆ SPIRITVALIS, LIBRI SEX.

Vniuerſa quæ ad abſolutam religionis formam ſpectant exactiſſimè comprehendentes, inſignis pietate ac doctrina viri, P. F. Humberti, totius ordinis fratrum prædicatorum Quinti generalis.

A.R.P.F. Franciſco Goraceo Sacræ & naturalis philoſophiæ in alma Pariſiorum Academia profeſſore: duplici illuſtrati indice, atque à mendis quàm plurimis quibus ſcatebant purgati.

Adiectus eſt D. Vincentij Confeſſoris libellus de vita & inſtructione religioſorum.



LVGDVNI,
Apud Ioãnem Stratium. Sub Biblijs.
M. D. LXXXVI.

R. P. D. IACOBO DE Fay Abbati Sancti Petri Viennæ, & Vallis bonæ, Regis elcemoſinario Salutem plu.

Libellum hunc de eruditione religioſorum à R. P. magiſtro Humberto, ordinis Prædicatorũ, compilatum iamdudum his noſtris temporibus, quando collapſa religioſorum obſeruantia in pleriſque Chriſtiani orbis prouincijs apparet, non importune ad commune vitæ ſpiritualis commodum recudi procuraui. Hic præfati ordinis ſupremum geſſit magiſtratum annis nouem, cui in generalibus comitijs Lugduni 1263. liberè cedens ſuperuixit annos xxj. in otio minime

otioſus, quo tempore in eadem familia, floruerunt Albertus Magnus, & Diuus Thomas Aquinas philoſophi ac theologi inſignes. Fuit natione Burgundus, religionis ſpeculum, ac cæremoniarum pater. Officium totum quod ſacra prædicatorum religio in eccleſia recitat, ordinauit, & ipſum Clemẽs. 4. Pont. Max. approbauit ac confirmauit. Idem ſuper D. Auguſtini regula, de ſeptem contemplationis gradibus, De tribus eſſentialibus Religionis votis egregios edidit tractatus, librum præterea de omnibus ordinis prædicatorum officijs mira diſpoſitione dictauit, vt quilibet frater noſſet, quid ſua intereſſet, ſi ad aliquod ſubeundum munus admitteretur. Item de fundatione ſui ordinis, ſupra Cõſtitutiones illius, De vitis ſanctorum eiuſdem ordinis; De prædicatione crucis, & inter cætera præſens opuſculum quod non modo, cuiuſcuuque ordinis fratribus; verũ & circa plurima ſingulis hominum ſtatibus

velut

velut virtutum omnium quædam vniuerſalis ſchola. Et cum certior eſſem factus nulla Pariſiis, non Lugduni, nõ Antuerpiæ neque Louanij, vbi poſtremò fuerant exemplaria prælo expoſita reperiri apud bibliopolas; ſollicitatus à pleriſque mei ordinis patribus valde ſpiritualibus, & a quibusdam ſacratiſſimi Minimorũ inſtituti, vt quod penes me habebam exemplar, publico exponerem commodo, lubentiſſimè præſtare volui, iudicans, nullum libellum vel ipſis religioſiſſimis Carthuſianis, aut quibuſuis alijs quantumuis reformatiſſimis regularibus myſticamque profitentibus Theologiã, eo magis conducere. Eſt ſanè incipientium, proficientium & perfectorum verus præceptor. Hunc ſemper legãt iuuenes, huic perpetuo incumbant ſenes. Adieci præterea D. Vincentij confeſſoris libellum qui eiuſdem fuit profeſſionis, pietatis, eruditionis: atque vtriuſque idem argumentum. Decreui autem V. R. P. hoc

munus non meo Marte productum, ſed in publicum tantum perductum offerre, qui religioſos mores, & pietatem ſedulo profitearis, ſubditóſque tuos ad veram viuendi regulã reducere piè & ſanctè contendas, ad quam facile ſe aptare poterunt, ſi horum patrum Humberti atque Vincentij præcepta ſeruarint. Conſilij autem mei fuit R. P. T. *non proprios ſed alienos dicare labores, quod cupiam eum qui ingentibus cumulatus eſt meritis atque virtutibus, maxime autem antiquæ nobilitatis inſignibus: clementia atque beneficentia, cumulatiſſimè honorari. Hij autem libelli, ad plurimorum manus, diuerſorum ordinum, ſtatuũ & nationum ſunt profecturi, qui tuas laudes vbique referant atque velut exemplar imitandum proponant. Adde quod authores ſunt magni nominis viri, quibus ego nequaquam ſum conferendus, etſi inter cætera meorum ſtudiorum monimenta ſint quædam collecta, quædam*

vero

vero propria parta Minerua. miſerrimi quippe ingenij eſt ſemper vti inuentis, & non inueniendis. Nimirum, collatio hominis lapſi ad ſtatum naturæ integræ: vbi de iuſtitia originali, deque peccato atque in omnes poſteros eiuſde traductione. Diſcurſus de magno Iubileo: & conſequenter de indulgentijs, Item in ſecundam partem ſummæ Theologiæ ſancti Thomæ prælectiones nonnullæ, ſed ea mihi exiguo ad proprios vſus exiguam cõparaui ſuppellectilem. Itaque animum in te meum propenſum imprimis, praecioſumque hoc munus, tuipſe munificentiſſimus, hilari ſuſcipe vultu, & ſolito me Chriſtiano affectu proſequere. Deus tecũ proſperè atque feliciter. Vale. Viennæ Galliarum. 25. May. 1585.

Tibi deuotus F. Franciſcus Goraceus ordinis prædicatorum, & S. Vincentij Eccleſiæ Theologus.

PROLOGVS.

Hier. 6. ERudire Hieruſalem, ne fortè recedat anima mea à te: ne fortè ponam te terram deſertam,& inhabitabilem. Hieruſalem ſecundum nominis interpretationem, quæ eſt pacifica vel viſio pacis, ſpiritualiter ſignificat religionem, quæ intendit paci pectoris;& aſpirat ad pacẽ æternitatis. Hanc in verbo propoſito Deus hortatur,vt erudiatur:& ſi erudiri noluerit, tria mala ei comminatur:ſcilicet cordis ſui receſſum ab ea: defectum bonorum ſpiritualium: & defectum perſonarum. Primum ibi: ne fortè recedat. Secundum ibi: ne fortè ponam te terram deſertã. Tertium ibi: & inhabitabilem.

Specialiter requirit Dominus cor

viri religioſi. Præbe fili mi cor tuum *Pro. 23.*
mihi. Ideo cuſtodiæ cordis multum
debet intendere. Omni cuſtodia ſer- *Prou. 4.*
ua cor tuum. Sed multi religioſi fa- *Oſee. 7.*
cti ſunt ſicut columba ſeducta; non
habens cor. Defectu enim eruditio-
nis & prolixitate nimia vocalis ora-
tionis factum eſt, vt multi ex eis ſo-
lummodo labijs Deum honorent,
ſecundum aliam litteram. Populus *Iſa. 29.*
hic labijs me honorat; cor autem eo-
rum longè eſt à me. Et quia Deus
cor eorum non habet; cor Dei ſeu
anima ab eis receſſit. Qui religiones
inſtituerunt, multum voluerunt, vt
fratres lectioni vacarẽt. Vnde D. Be- *Ca.*
nedictus (vt habetur in eius regula)
ad ocioſitatem vitandam animæ ini-
micam, lectioni omni tempore ali-
quam partem diei dandam eſſe de-
creuit: reliquam verò partem diei la-
bori manuum deputauit, exceptis
dominicis diebus, in quibus voluit

vt omnes vacarẽt orationi & lectio-
Eodem ca. 48. a med. ni, exceptis his,qui eſſent varijs offi-
cijs deputati. Ordinauit etiam, vt
tempore lectionis, monaſterium
circuirẽt vnus vel duo de ſenioribus:
ad videndum an eſſet aliquis,qui le-
ctionẽ negligeret, aliosque à lectio-
ne impediret: & ſi quis talis inueni-
retur, voluit vt non hic negligenter
præteriretur, ſed corriperetur ſemel
& ſecundo: & ſi non ſe emendaret,
tali correctioni ſubderetur, vt cæteri
timerent. Quidã verò ſenſum ſuum
rectitudini regulæ præponentes, in
quibuſdam monaſterijs neglecta le-
ctione, & dimiſſo labore diuinum
officium adeò prolongauerunt,quòd
ferè totum diem in eo occupauerunt:
in quo multum videntur erraſſe, & à
regula temere deuiaſſe: cùm in eadẽ
regula dicatur, vt in conuentu inde-
bitè non prolongetur oratio. Ipſi
voluerunt facere viuarium ſine aqua
ſapien

ſapientiæ ſalutaris: non attendentes illud Iſa. Computreſcent piſces ſine aqua, & morientur in ſiti. Cùm iuxta verbum Pſalmiſtæ, Deo pſallendum ſit ſapienter. Quomodo ſapienter pſallet, qui negligentia lectionis, ſapientiam non habet? Sicut enim dicit glo. ſuper dictum verbum Pſalmiſtæ: Nemo ſapienter facit, quod non intelligit. Item dicit beatus Benedictus de eo qui orando cum Deo loquitur: quod debet loqui cum eo, cum reuerentia & puritate & deuotione. Qualis verò reuerentia eſt, quando ille qui orat, propter prolixitatem orationis tædio affectus, Deo dorſum vertit: cum deprecetur Deum vt ſibi intendat, ipſi tamẽ nec Deo, nec ſibi intendit? Cùm aliquis orando tota die cum Deo loquitur, vix eſt quod irreuerentia non admiſceatur. Familiaritas enim nimia parere ſolet contemtum. Frequenter etiam

Cap. 50.
Pſal. 46.
In regula cap. 20.

etiam in oratione prolixa, puritas cordis amittitur. Eſt enim frequentius vaſymiaca: quia ex conſuetudine ſine cordis attentione labia mouentur: interim verò cor malis cogitationibus repletur & maculatur. Item pſalmorum multitudine, vel orationis prolixitate intellectus grauatur: & deuotio ſpiritus exhauritur.
Mat. 21. Ficulnea habens folia & non fructũ, ad maledictionem ſaluatoris eſt arefacta. Sic qui tota die folia verbalis orationis habent in ore, multoties inueniuntur aridi à gratiæ humore: & vbi ſunt verba plurima vocalis orationis, frequenter ibi eſt egeſtas deuotionis. Præterea cùm identitas ſit mater faſtidij, monachi qui ſolum vacant orationi, vt frequenter ſunt faſtidioſi, & accidioſi, vnde parum gratum eſt Deo ſeruitium eorum. Hieron. Melior eſt quinque pſalmorum cantatio cum cordis puritate ac

ſereni

ſerenitate, & pirituali hylaritate: quàm pſalterij modulatio cum anxietate cordis atque triſtitia. Gratior eſt Deo pſalmodia & cantus cordis, quā oris. Sic Apoſtolus pſallebat & pſallere monebat, Pſallam (inquit) ſpiritu, pſallam & mente. Item: Cantantes & pſallantes in cordibus veſtris Domino. Quia loquimur cum Deo, dum oramus, & ipſe nobiſcum loquitur dum legimus, non videtur nobis expediens quod ſemper oremus, ita vt non ſit tempus in quo non loquatur nobis Deus: cuius loquutio noſtræ indubitanter eſt præferenda. Ad hæc cùm tria ſint opera quæ ad vitam contemplatiuam pertinent: ſcilicet, lectio, oratio & meditatio, lectio orationem & meditationem dirigit: vnde ipſa deficiente, oratio erit execrabilis Deo, ſecundum illud, Qui declinat aurem ſuam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis

1. Corint. 14. Eph. 5.

Pro 28.

bilis. Meditatio verò efficitur Deo abominabilis. Subintrant enim muſcæ morientes, quæ perdunt ſuauitatem vnguenti: peruerſæ, ſ. cogitationes à Deo ſeparantes: vel cogitationes ſine intellectu fructum ſpiritus impedientes. Ex defectu eruditionis multa mala ſecuta ſunt in religione & in monaſterijs: de quibus decem tangere ſufficiat. Primum eſt cæcitas ignorantiæ: quæ inter maculas prima numeratur, propter quas à Dei miniſterio aliquis repellitur. Dictũ eſt Aaron. Homo de ſemine tuo per familias: qui habuerit maculam, nõ offeret panem Deo ſuo: nec accedet ad miniſterium eius, ſi cœcus fuerit. Honor regis cœleſtis in miniſtris ſuis iudiciũ diſcretionis diligit. Acceptus eſt regi miniſter intelligens: iracundiam eius inutilis ſuſtinebit. Inutilem dicit non intelligentem. Secundum eſt immundicia. Non eſt

Quæ mala ſequuntur ex defectu eruditionis

Leu. 21.

Pro. 14.

ſcientia

ſcientia Dei in terra. Et ſubditur, Maledictum mendacium & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt. Non erat mirum, ſi opera tenebrarum faciebant, qui in tenebris ignorantiæ erant. Quomodo immunditia caueretur, vbi quid eſſet immundum, non agnoſcebatur? Item non erat mirum ſi immunditia abundabat, vbi aqua ſapientiæ deficiebat. Quomodo præcepta regularia ſeruarentur; vbi non intelligebantur? Quomodo ſemitam religionis tenere poterant, qui cæci erant? Difficilius enim eſt tenere ſemitam, quàm viam latam & publicam. Mira fatuitas: vitam contemplatiuam ducere volebant, qui præ cæcitate ad contemplandum impotentes erant, non intelligentes, quòd ſicut ad actiuam vitam non eſt idoneus mancus, ita nec ad contemplatiuam cæcus. Sicut oculus corporalis abſque luce corporali

Oſee. 4.

Simile

Simile

porali inutilis eſt: ſic oculus contem-
Simile plationis, qui eſt oculus eccleſiæ, ſi-
ne lumine ſapientiæ inutilis eſſe vi-
detur. Tertium eſt quòd qui cum in-
firmitate monaſteria intrabant, vel
qui infirmitatem incurrebant; non
curabantur. Sicut enim erit ſalus, vbi
multa conſilia ſunt, ſic erit mors, vbi
Pro. 24 nulla conſilia ſunt. Quartũ eſt quod
paruuli qui intrabant monaſteria il-
la, non proficiebant, imò præ defe-
ctu cibi ſpiritualis peribant. Si enim
petebant panem, non erat qui fran-
geret eis: ſed præ eſurie & ſiti anima
eorum in ipſis deficiebat. Quintum
eſt quòd illi qui in monaſterijs illis
impugnabantur, vincebantur cùm
non haberẽt gladium ſpiritus, ſ. ver-
bum Dei, quo hoſtes inuiſibiles
maximè ſuperantur. Hoc gladio vi-
cit ſaluator tentatorem. Ipſi erant
abſque gladio in fortiori parte belli.
Religioſi enim fortiſſimè à dæmoni-
bus

bus impugnantur. Sextum eſt quòd ſacramenta conculcabantur. Qui enim dignitatem & virtutem ſacramentorum non agnoſcebant, debitam ad ea reuerentiam nón habebãt: ſicut nec porcus reuerentiam exhibet margaritis. Nolite ſanctum dare canibus: neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis. Septimum eſt corruptio ſymoniaca: tam in receptione fratrum, quam in inſtitutione prælatorum. Peccatum ſymoniæ in multis monaſterijs non reputabatur, quia non agnoſcebatur, quod crimem tantum eſt, quod comparatione ipſius cætera crimina pro nihil reputantur (vt ait Damaſus papa). Et hoc in capitulo Tanta, de ſymonia. Octauum eſt quod in multis monaſterijs carnaliter viuebatur. Cùm enim fratres ſpirituales delicias non haberent, carnales quærebant. *Mat. 7.* *Lib. 5. decr. ti. 2. c. Tant.*

Anima rationalis nobiliſſima creatura, ad æternas delicias creata, ſine delicijs eſſe non poteſt. Nonum eſt quod minima bona, magnis præponebantur ibi, vt pulchritudo exterior, quæ eſt vana, interiori quæ eſt vera. Decimum eſt quod mala valde magna non timebantur: vt indigna celebratio, quæ occiſioni Chriſti comparatur. Quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Glo. Ambroſius: Mortis Chriſti pœnas dabit, ideſt, ac ſi Chriſtum occiderit, punietur. Secundum malum quid iuxta comminationem Domini prępoſitam accidit religioni erudiri nolenti, eſt defectus bonorum ſpiritualium. Homines enim ineruditi bona ſpiritualia non agnoſcunt: ideo ea nec deſiderant, nec quærunt, nec à datore eorum ea recipiunt: qui indubitanter

1. Corit. 11.

ipſis

ipſis ea daret, ſi ea debito modo, & deſiderarent, & quærerent. Non enim auarus eſt, vt ea dare nolit: nec inops, vt ea dare non poſſit: Sicut ſuper omnem aquam viriditas: & ad oram fluminis ante omne fenum euelletur, ſic vbi deeſt aqua ſapientiæ, eſt ariditas, bonorum ſcilicet ſpiritualium defectus & quaſi deſertum. Legitur de deſerto per quod tranſierunt filij Iſraël: quòd nullæ omnino erant ibi aquæ. Qui indocti ſunt, in egeſtate cordis morientur. In doctrina verò replebuntur cellaria, vniuerſa ſubſtantia precioſa & pulcherrima. Cellaria noſtra ſunt corda. Cellaria illa quæ nobiſcum ferre non poſſumus, non ſunt noſtra. Non ſunt bona hominis; quæ ſecum ferre non poteſt. Subſtantia præcioſa eſt Dei gratia: cum vna gutta gratiæ præualeat toti auro mundi. Pulcherrima verò eſt, cùm Dei ſimi-

Eccl. 40. Deut. 8. Pro. 10. Ibi. 24 Ambr.

litudo ſit. Tertium malum quod accidit religioni erudiri nolenti, eſt defectus perſonarum: quia ſit ſolitudo habitatio beſtiarum, non hominum. Intuitus ſum, & non erat homo. Auguſtinus in libro de Diſcip. Chriſtiana: Beluinus eſt homo amando talia, qualia beluæ. Semihomines ſunt, vbi exterius eſt forma humana, interius beluina. Statuæ religioſorũ ſunt ibi: Quorum figura fuit vxor Loth in ſtatuam verſa. Statua eſt corpus ſine ſpiritu, quæ in exterioribus homini aſſimilatur: interiora verò hominis illi deſunt. Cùm domus religionis ad hoc ſit inſtituta; vt ſit locus ſalutis, vt ſcilicet homines ſalutem ſuam facile ibi operentur; inhabitabilis ſit cùm locus damnationis efficitur; vt vix aliquis ibi ſaluetur, cùm ſcilicet multitudo ibi impellit ad damnationem, & pauci vel nulli à damnatione retrahunt, vel ad ſalutem

Hier. 5. Ante medi. li. Tem. 9.

Gen. 19

ſalutem trahunt. Cùm igitur multum Deo placeat, & religioni multum expediat, vt ipſa erudiatur: ego in ordine fratrum Prædicatorum minimus, de benignitate Saluatoris, non de proprijs viribus cõfiſus, præſens opus ad Dei gloriam & humilium profectum compilare volui: in quo aliqua ad religionem pertinentia in ſcripturis diffuſa breuiter collegi: vt viri religioſi in his quæ ad ſtatum eorum pertinent, facilius valeant erudiri. Quod quidem opus in ſex libros diſtinxi: vt quæ in eo continentur, facilius inueniantur, & melius in memoria teneantur, & vt mens lectoris à grauamine quodammodo releuetur. Sicut enim dicit beatus Aug. Ita libri termino reficitur lectoris intentio; ſicut labor viatoris hoſpitio.

FINIS.

INDEX CAPITVLORVM INSTITVTIONVM vitæ ſpiritualis.

PROLOGVS, *in quo tria mala docet inueniri in religione aliqua, quæ doctrinam & eruditionem negligat.*

Sex librorum argumentum quibus totũ opus diſtinguitur: Primi libri, ordinare religioſum ad mundum. Secundi, regulare eumdem circa corpus propriũ: Tertij, inſtituere illũ contra aduerſarium dæmonẽ: Quarti, inſtituere animũ, Quinti, dirigere in ordine ad alterũ, ſcilicet proximum, ſiue parem ſiue ſuperiorẽ, ſiue ſubditum: Sexti, docere quietem in deo, gradus & genera contemplationum.

PRI

PRIMVS LIBER ORDINAT *religioſum ad mundum.*

Primi libri. Capita. primæ partis.

1 Declaratur neceſſarium eſſe gratiam religioſo factam, in eius eductione de mundo agnoſcere,& deo gratias referre. foli. 1.
2 Septem conſiderationes quæ valent ad cognoſcendum magnitudinē gratiæ in eductione de mūdo, a Deo receptæ: & prima de mundi tenebroſitate. 4.
3 De falſitate mundi. 18.
4 De bonorum temporalium modicitate. 29.
5 Quod bona temporalia, maiorum bonorum, vt puta ſpiritualium ſunt impedimenta. 31.
6 De veloci tranſitu bonorum temporalium. 35.
7 De Cruciatu mundi. 37.
8 De periculo mundi. 42.

Secunda par.
1 Vnicum in quo incitat ad gaudendum de mutatione ſtatus ſecularis in ſtatum religionis. 48.
Tert. par.
1 Oſtenditur quod reditus ad ſeculũ multum ſit timendus. 50.
2 Multa ſunt reditum ad ſeculum diſſuadentia. 54.
3 De his quæ valent ad ſtabilimentum viri religioſi. 58.
Quar. part.
1 Qualiter intrans religionem, nihil mundi debet retinere. 69.
2 Quæ debet relinquere ille qui intrat religionem. 73.
3 Quod furtum proprietarij ſit valde deteſtabile. 77.
Secundus liber regulat religioſum circa corpus proprium. 80.
Pri. part.
1 De diſciplina in communi. 80.
2 Quod cura nouitij primo circa corpo-

corporis diſciplinam debeat eſ-
ſe. 83.
3 Quot modis dicitur diſciplina. 85.
4 Notificatio diſciplinæ. 87.
5 De cõmendatione diſciplinæ. 89.
Secund. par.
1 Doctrina valet ad obtinendã diſciplinã. 102.
2 Quod exemplum multũ valet ad obtinendam diſciplinam. 107.
3 Quod ad obtinendam diſciplinam multum valet frequens inſpectio operum. Et quotidiana examinatio 110.
4 Quod ad obtinendam diſciplinã valet pudor. 112.
5 Quod ad obtinendam diſciplinã valet obedientia. 114.
6 Quod perſeuerantia valet ad obtinendam diſciplinam. 117.
Tert. par.
1 De diſciplina in habitu, in quo oſtenditur, quid religioſus de-

beat cauere,& quid quęrere. 125.
2 Quod duodecim poſſunt eſſe reprehenſibilia in habitu. 129.
3 De diſciplina in geſtu. 135.
4 De diſciplina in riſu. 141.
5 De diſciplina in locutione. 143.
Primò.
Quod cuſtodia oris eſt cuſtodia animæ. *Secundò.*
Quod magna diligentia eſt adhibenda cuſtodiæ linguæ quadruplici ratione. 148. *Tertiò.*
Quæ ſunt attendenda in locutione diſtinctim explanat. 155. *Quartò.*
Enumerantur quædam quę valent ad linguę cuſtodiam. 169. *Quintò.*
Quantum valet clauſtrale ſilentium ad linguę cuſtodiam bonaque ex eiuſdem cuſtodia peruenientia, lucidè oſtendit. 172. *Sextò.*
De diſciplina in comeſtione. 176.
Primò.
1 Diſciplina in menſa commendatur

tur. 177. *Secundò.*
In quibus diſciplina ſeruanda ſit in menſa. 177. *Tertiò.*
Quod prꝍcioſi cibi non ſunt quꝍrendi. 181. *Quartò.*
Quod delitiæ non ſunt quꝍrendꝍ corpori. 184. *Quintò.*
Quod non ſunt quꝍrendi cibi inſoliti. 192. *Sextò.*
Diſſuadetur ciborū ſtudioſa prꝍparatio. 194. *Septimò.*
7 De quantitate cibi. 196. *Octauò*
8 De modo ſumendi cibum 198.

Tertius liber inſtruit religioſum comtra aduerſarium.

Par. prim.

1 Quod multum tententur mūdum relinquentes. 202.
2 Quod dꝍmones tentent homines. 203.

Par Secun.

1 Quod tentationes amicis Dei ſunt

ſunt valde vtiles. 206.

Par. Tert.

1 Quod diabolus mendacijs multum vtitur & aliqua mendacia ſpecificantur. 210

2 De quatuor tentationibus diaboli. 214.

3 Quod quinque aduertenda ſunt & timenda circa diaboli impugnationem. 217.

Quar. Par.

1 De modo repugnandi ſerpenti infernali per contritionem capitis. 225.

2 De quibusdam quæ multum valent ad triumphandum de diabolo. 236.

3 De ſolatijs humanę ignorantię,& fragilitatis contra aſtutiam & potentiam diaboli. 253.

4 Quomodo repugnandum ſit hoſti cum impugnat moleſtijs, & cum impugnat delitijs. 262.

5 Sex

5 Sex documenta quæ multum valent in pugna diaboli. 264.
6 De tẽtatione puſillanimitat. 266.

Quartus liber inſtituit animum.

Prim. par.

1 Agitur de inſtitutione animi. 268.
2 De ordinatione rationis quantũ ad actum cogitandi. 271.
3 De ordinatione rationis quantũ ad actũ inquirendi. 280.
4 De ordinatione rationis quantũ ad actũ iudicandi. 283.
5 De ordinatione rationis quantũ ad actũ memorandi. 286.
6 De ordinatione rationis quantum ad actũ interpretandi. 292.
7 De ordinatione voluntatis. 293.
8 Actus concupiſcibils & iraſcibilis determinantur. 301.
9 De ordinatione actuum concupiſcibilis. 304.
10 De ordinatione actuum iraſcibilis appetitus. 316.

Secun

Secund. part.
1 De triplici ordinatione virtutum, 327.
2 Quomodo fides ſe habeat ad cæteras virtutes. 330.
3 Quomodo charitas ſe habeat ad cæteras virtutes. 334.
4 Quomodo humilitas ſe habet ad cęteras virtutes. 335.
5 Quomodo timor ſe habeat ad cęteras virtutes. 338.
Tert. part.
1 Quomdo clauſtralis debet habere in deſiderio manere in monaſterio. 341.
2 De ordinatione animi quantum ad locum orationis, 345. Quod loco orationis magna ſit exhibēda reuerentia, 349. Quod quinque pertinent ad reuerentiam loco orationis exhibendam, 351. Quod diſolutio in choro ſit multum cauenda, 362. Quod reue-
-rentia

rentia multa iuxta altare ſit adhibenda,& irreuerenria multum cauenda. 370.

3 De ordinatione pertinente ad locum correctionis, 375. Quod ſpecialiter eſt amanda correctio ab eo qui eſt in religione, 378. Quomodo habere ſe debeat in loco correctionis qui iudicat & qui accuſat. 382.

4 De ordinatione pertinente ad locum refectionis. 390.

5 De ordinatione pertinente ad locum dormitionis. 391.

6 Dè ordinatione pertinente ad locum locutionis. 395.

Quar part

1 De ordinatione ſecumdum diuerſitatem temporum, 397. Quomodo debeat ſe habere ſeruus Dei tempore proſperitatis,& aduerſitatis,401. Quomodo otioſitas, multum cauenda eſt iuueni. 403

403. Quod obſtinatio valde cauenda eſt ſeni. 405.
2 De pertinentibus ad diuerſos ſtatus religionis. 407. Quod valde reprehenſibilis eſt religioſus qui in religione male viuit. 409.
3 De quibuſdam inordinationibus clauſtri. 425.

Quintus liber docet qualiter religioſus ſe debeat habere ad proximum. 428.

Prim. part.

1 De commendatione viuentium ſub obedientia. 429.
2 De commendatione ſanctæ ſocietatis. 437.
2 Quàm neceſſaria ſit ſociabilitas illi qui eſt in religione. 447.
4 Commendatio vnitatis. 449.
5 De diuiſione vnitatis. 453.
6 Octo quæ valent ad vnitatẽ. 454.
7 Quod innocentia cuſtodienda ſit ab

a b omnibus. 465.
8 Quod maxime cuſtodienda ſit innocentia, ab his qui ſunt in religione. 469.
9 De partibus innocentiæ. 475.
10 De nocumentis quæ mali inferunt bonis. 477.
11 De his quæ incitare debent vel poſſunt virum religioſum vt fratres ſuos amet. 479.
12 De modo amandi proximũ 486.
13 De his quæ valere poſſunt ad hoc vt frater ametur. 498.
14 De amore inimicorum. 507.
15 De honore quem fratres ſibi inuicem debent exhibere, 513.
16 Cõmẽdatio mutui honoris. 515.
17 Quod in exhibitione honoris, diſcretio ſit habenda. 517.
18 Quod fratris inhonoratio multum ſit cauenda. 521

Secundæ partis Cap.

1 Quod prælatus debet habere di-

ſcretionem, in fratrum receptione. 523
2 De diligentia in nouitiorum inſtructione. 529
3 Nouitij non ſunt leuiter ad profeſſionem recipiendi. 533
4 Prælatus omnibus exemplũ bonum debet præbere. 536
5 Prælatus correctionem malorum non debet negligere. 542
6 Prælatus præponendo vnum alteri non carnis nobilitatem debet attendere: ſed bonitatem. 548
7 Prælatus magnam curam debet habere de conuentu. 554
8 Prælatus debet infirmis neceſſaria prouidere. 556
9 Prælatus debet ſpiritualia temporalibus præponere. 561
10 Prælatus debet maiora bona minoribus præponere. 569
11 Prælatus non debet diſpenſationes leuiter facere. 571
12 Præla-

12 Prælatus debet vniuerſa temperare. 573
13 De commendatione obedientiæ & damnis inobedientiæ. 578
14 De gradibus obedientiæ. 580
15 De his quæ ad obedientiam iuuant. 589
16 De his quæ obedientiæ aduerſantur. 595
17 De partibus obedientiæ. 602

Tertiæ partis Cap. vnicum.

1 De miniſtris. 608

Quartæ partis Cap. vnicum.

1 Quomodo ſe habere debeant qui fuerunt diuites in ſeculo, & qui pauperes. 614

Quintæ partis Cap. vnicum.

1 De infirmis. 619

Liber ſextus agit de quiete mentis.

1 Quod vera quies mentis, non eſt in mundo, ſed ſolum in Deo. 629

2 De multiplici quiete mentis in Deo. 631
3 Octo quæ impediunt quietem mentis in Deo. 634

Quartæ partis Cap.

1 Sex ad dictam quietem diſponũt. 638
2 Oratio ad quietẽ mentis in Deo valet. 642
3 De commendatione orationis. 644
4 Quando ſit orandum. 655
5 De ſeptem horis Canonicis. 660
6 Valde laudabile eſt ad matutinum ſurgere. 662
7 Valde reprehenſibile eſt non ſurgere ad primam. 664
8 Quod vtile ſit intereſſe completorio. 667
9 Religioſi debent amplius orare quàm alij. 672
10 Vbi ſit orandum. 674
11 Quomodo ſit orandum. 676

12 De

12 De ſpeciebus orationis. 686
13 Dominica oratio explicatur. 694
14 De oratione infructuoſa. 710
15 De lectione quæ eſt via ad ſapiẽtiam. 712
16 Quadruplex cauſa deſpectionis ſapientiæ. 714
17 Deſpectio ſapientiæ multum habet ſtultitiæ. 718
18 Sex conditiones ſapientiæ quibus excedit diuitias. 719
19 Maximè reprehenſibilis eſt deſpectio diuinæ ſapientiæ & ſcripturæ ſacræ in miniſtris Eccleſiæ. 722
20 Contemptus ſapientiæ diuinæ valde reprehenſibilis. 725
21 Deſpectio ſapientiæ Deum multum offendit. 726
22 De amore ſapientiæ & doctrinæ. 727
23 De profectu lectionis. 633
24 De profectu meditationis. 739

24 Quomodo meditatio diſtinguitur à ſimplici cognitione. ibidem
25 Magna diſcretio habenda in meditatione. 742
26 Ponuntur ea quæ beatus Bernardus ſcripſit de conſideratione & contemplatione. 745
27 Quæ ſcripſit B. Auguſtinus de contemplatione. Item quædã de cõtemplatione dicuntur in libro de vita ſolitaria. 758
28 Quæ ſcripſit magiſter Richardus de ſancto Victore de cõtemplatione. 765. Quibus de cauſis accidit mentis alienatio. 803
29 Contemplatio imperfectorum. 809
30 De duodecim quibus magnitudo gloriæ perpenditur. ibidem
31 De electis. 815
32 De gaudio beatorum. 819

Lib. ſexti Finis.

INDEX

INDEX CAPITVLORVM libelli S. Vincentij Confeſſoris De Vita & Inſtructione Vitæ ſpiritualis.

CAPVT PRIMVM.

1 DE paupertate. 831
2 De taciturnitate: 833
3 De puritate & munditia cordis. 835
4 Quod per inſtructorē idoneum citius peruenitur ad perfectionem quam perſeipſum. 851
5 De obedientia ſeruanda. 853
6 De modo regulandi corpus. 855
7 De modo bibendi 857
8 De modo ſtandi in menſia quoad vtrumque hominem. 858
9 De modo perſeuerandi in ſobrietate & abſtinentia. 865
10 De modo habendo in ſomno &

vigilia. 867
11 De modo predicandi. 882
12 Remedia contra tentationes aliquot ſpirituales. 883
13 Remedia contra inanes reuelationes. 890
14 De rationibus excitatoriis ad perfectionem. 896
15 Supradictarum rationum declaratio & explicatio. 901
16 Remedia ad fugiendos laqueos & tentationes diaboli 908
17 De affectionibus quibus nos facere debemus circa proximum. 915
18 De perfectionibus neceſſariis ſeruenti Deo. 918
19 Quædam præcepta vtilia. & de ſtatu verorum Euangelicorum. 921

FINIS.

INDEX PAAECIPVARVM materiarum Inſtitutionum Vitæ Spiritualis ſiue Monaſticæ locupletiſsimus.

A Spiritu ſancto ad religionis deſertum adducitur religioſus. fol. 56
Abraham in oſtio tabernaculi & Helias in oſtio ſpeluncæ quid ſignificet. 789
Aſtinentia adiicit vitam, & in multis eſcis infirmitas. 146
Abundantia temporalium & proſperitas, obliuionem Dei inducunt. 33
Accidia. 9
Actus appetitus concupiſcibilis & iraſcibilis qui. 301. & 302
Ager Vrticis repletus, quid. 238
Alæ corpus velantes tantum, & non

volantes quid ſignificent. 77
Alis volare quid 770
Alis extrema maris pertingere quid. 770.
Allidere paruulos ad petram quid. 226.
Alta de nobis credita reddunt tumeſcentes. 285
Altitudo terrena periculoſa 318
Amare quid debeamus. 752
Amatores mundi fallaces. 21
Amatores mundi quibus execantur. 12.
Amatores mundi cæci ſunt & lucem odiunt. 17
Amatores mundi nec ſe, nec alios vere diligunt. 18
Amor Dei erga nos. 68
Amor ſacrarum ſcripturarum. 331
Amor & odium veritatis neſciunt iudicium. 117
Amor ſeculi quomodo expellitur. 65
Angelo magni cõſilij acquieſcit qui reli-

religionem ingreditur. 55
Angelorum cuſtodia. 256
Angeli adſunt in eccleſia ſpecialiter cum Miſſa celebratur. 350
Angeli aſtant miniſtris altaris. 374
Animæ excellentia & facultates. 758
Animæ qualitatum & facultatũ pulchra contemplatio. 785
Anima in corpore ſicut Deus in mundo. 785
Apoſtata eſt coruus Noe. 56
Apoſtatæ à religione, primum Deũ deſeruerunt. 60
Apoſtatæ à religione in magna miſeria. 53
Apoſtatæ ſunt arbores infructuoſæ bis mortuæ. 53
Aqua benedicta. 670
Aſcendere de deſerto: affluentia delitiarum quid. 803
Attentio habenda in oratione. 358
Auaritia. 4. & 10
Audire priuſquam docere. 274
Beata

B

Beata vita perficitur ſapientia. 732
Beatorum gaudium vnde. 819
Benedictio prælati in Completorio. 670.
Beneficentia parit & conſeruat amicitiam. 500
Bene eſt iuſto homini. 51
Bene viuere eſt cauſa proficiendi in diuina ſapientia. 733
Bellua nulla ſeuior eſt ſeruo, 97
Bona hominis quæ. in prologo authoris.
Bona mundi fallacia. 21
Bona temporalia, reſpectu Dei, reſpectu animæ & reſpectu cœli, quàm exigua ſint. 29
Bona temporalia communia bonis & malis. 30
Bona temporalia parũ durant. 30. 35
Bona temporalia pluribus nocent quàm proſint. 31
Bona temporalia impediunt bona ſpiri

ſpiritualia. 31
Bona temporalia malos faciunt, malitiã augent, vel in ea detinent. 31
Bonum malo permixtum onerat, cruciat. 630
Bonum homini nullum ſine ſe bono. 51.
Bonorum temporalium cõtemptus, ordinat cogitationes mentis. 277
Breuiloquium, rariloquium, & ſubmiſſa voce oportet eſſe loquentem. 170

C

Candor innocentiæ ad miniſtros altaris. 371
Caput ſerpentis quid. 225
Caro noſtra nobis in adiutoriũ data, fit in ruinam & ſcandalum. 245
Caſus dubia infirmitas grauia, ſenectus certa nuntia de morte. 405
Cauendum ne vnus eſuriat alter verò ebrius ſit. 555
Cauſæ plures cur admittantur ad religio

ligionem,minus idonei. 527
Cauſæ cur deſpiciatur ſapientia & doctrina. 714
Cæcitatis ſpiritualis & corporalis diſcrimen. 15
Celebratio Miſſæ indigna comparatur occiſioni Chriſti in prologo. 375.
Ceſſet propria voluntas & infernus non erit. 599
Chori loco cauenda oculorum vagatio. 364.& 365.
Ciborum præcioſitas multis de cauſis cauenda. 181
Ciborum delitiæ non ſunt corpori procurandæ. 184
Ciborum delitiæ non conueniunt tempori,nec loco huius mũdi,neque ſtatui Chriſtianorum, minime vero religioſorum ordini. 188
Ciborum delitiæ intellectus acumẽ obtundunt. 182
Ciborum ſtudioſa præparatio diſſuadetur. 194

Cibi & potus exceſſus. 197
Ciborum quantitas. 197
Cibi & potus ſobrietas, animæ & corpori vtilis. 197
Cibi ſumendi modus. 198
Cibum corporis comitetur cibus mentis. 200
Cibus corporalis ad ſubſtentationẽ nõ ad delectationẽ quęrẽdus. 309
Clauſtrum eſt carcer in quo peccata per penitentiam voluntariam diluuntur ne inferni carceri, vel inuitus tradatur. 191
Clauſtrũ eſt crux Chriſti, cui vinum mirratum & non delitiæ conueniunt. ibid.
Clauſtrum diſſolutum periculoſius ſeculo. 438
Clauſtri abuſus duodecim. 362
Clauſo oſtio orare quid ſit. 262
Cogitare aliorum perfectiones, vel peruerſitates ad imitandum vel vitandum. 783
Co-

Cogitationes malæ diuerſis de cauſis in corde inſurgunt. 229
Cogitationes malæ extra per verba vel opera num procedant. 231
Cogitationes prauæ ſunt ſenioribus reuelandæ. 133
Cogitationes quædam bonæ, quædam malæ: quædam vanę & otioſæ. 275
Cognoſcere voluntatem propriam, ad corrigendum, vel gratias agendum. 783
Colloquia cum hominibus prauis deſiderare vel vitare qualiter debeamus 157
Confeſſio peccatorum frequentanda. 353
Conſideratio eſſe intelligere: & velle animę vbi eius ſublimitas apparet. 278
Conſolationes vanæ reſpuendæ. 311
Conſuetudo mala velut languor inueteratus qui difficile curatur. 123
Con-

Contemplationis grdus octo. 758. 761.
Contemplatio altera de diuinitate, maieſtate, æternitate, altera de gloria beatorum. 752
ad Contemplationem cordis puritas,& feruens charitas præparant. 761.
Contemplationis ſex genera. 765
Contemplatiuis, diuinum lumen ſe manifeſtat & quomodo. 762
in Contemplatione diuinum lumen videri poteſt ſolum à corde mundo & humiliter amante. 764
Contemplationum alis à terra ſuſpendimur,ad cœleſtia eleuamur. 769.
Contemplationis primus gradus,& conſequenter. 774
Contemplationis huius exercitio, augetur ſcientia & ſapientia. 778
Contemplationes,exceſſum mentis diuerſis de cauſis habẽt. 797.800
****

Contemptus ſacræ doctrinæ grauiter à Deo punitur. 725 & 726
Cordis munditiæ ſtudeat qui cupit Deum videre. 787
Cordis oculus mundatur, ingenium acuitur, & intelligentia dilatatur, quomodo. 778
Cordis puritas nullo magis efficitur q̃ cordis compunctione. 787.
Correctio amanda cuilibet, quia ſolus diabolus eſt incorrigibilis. 376.
Corpus ad inſeruiendum ſpiritui datum. 81
Corpori inſeruire ignominioſum, aſperum, ſumptuoſum, periculoſum. 97
Corporis geſtus & motus decentes. 135.139.
Corporis ſanitati qualiter ſumendus cibus. 197.
Corporalia exercitia ſunt propter ſpiritualia. 240

Crucis ſignum in fronte. 656
Cultus veſtium culpabilis. 1,0
Cupiditas. 11
Cura quanta nouitiis impendenda. 529
Cuſtodia cordis. 143
Cuſtodia oris. 143
Cuſtodia oris quoad locutionẽ. 147
Cuſtodia oculorum. 144
Cuſtodia aurium. 144

D

De veſte non gloriandum. 28.132
Debitores ſumus multipliciter & multis. 593
Decem aſſignantur ſolamina contra dęmones. 253
Defectus qualiter corrigendi, à iudicibus & prælatis. Nota totum, 382.542.
Defectus ſi qui ſint, cõfeſſione ſunt abluendi. 371
Delitiæ temporales fallaces, 23
Delitiæ ſpirituales non dantur quęrentibus corporales. 190

**** 2

Dæmon 'quàm imbecillus viribus ad nocendum. 256
Dæmonis aſtutia ex ſubtilitate ſuæ naturæ & longa exercitatione. 243.
Dęmones temptare homines ex ſacris ſcripturis conſtat. 205
Decipere mala prius oportet vt bona ſapiant. 339
Deus non ſemper cito exaudit orationes noſtras & quare 681
Deus non audit orationes ſacerdotum contemnentium ſacram doctrinam. 726
Deus & Angeli ſunt noſtri certaminis ſpectatores. 247
Dei miſericordia, nil in homine magis diligit quàm miſericordiam. 704.
Dei ſapientia, potentia, miſericordia, nuſquam magis, quàm in animæ creatione, reparatione, glorificatione. 781
Dia

Diabolus qualiter pœnitentiam aſſumentes decipiat. 211
Diabolus vtitur mendaciis in hominibus temptandis. 210
Diabolus quibus nouitium à religione deiicere conetur. 63
diaboli tẽptationes potiſſimæ quæ. 214.
differentia inter cogitationem, meditationem & contemplationem. 740.
dilectio proximi beneficij impenſione foueatur, nulláque malitia lædatur. 465
dilectionem inimicorum quæ prouocent. 494
dilectio impendenda magis bonis, honor autem ſenioribus, & in dignitate conſtitutis. 518
diligenti ſtudio proficitur in ſapientia. 339
diſciplinæ diffinitiones plures. 85
diſciplinæ multiplex ſignificatio. 87

Diſciplinæ commoda & vtilitates. 89.
Diſciplina corporis quàm deceat & expediat. 90
Diſciplinæ corporis defectus indecens religioſo. 95
Diſciplinæ defectus quantum noceat. 99
Diſciplinæ defectus in religioſo, multum Deum offendit. 101
Diſciplina viri religioſi, Deum glorificat: proximum ædificat. 100
Diſciplinam comparare, & obtinere, quæ conducant. 102. per totū.
Diſciplina morum, diuina & humana inſtitutione proceſſit. 773
Diſciplinæ obſeruatio in habitu, geſtu, locutione, comeſtione. 125
Diſciplina in riſu. 141
Diſciplina in locutione. 143
Diſciplina in comeſtione in menſa ſeruanda. 176
Diſcipuli in Domini transfiguratione

ne ceciderunt in facies ſuas quid ſignificet. 808
Diſcurſus viri religioſi non placet Deo. 341
Diſpenſationem facit neceſſitas particularis & vtilitas cõmunis. 572
Diſpenſatio exigit authoritatem & cauſam. 572
Diuerſæ meditationes perfectionũ diuinarum. 330
Diuitiæ fallaces. 22
Diuitiarum amator difficile ſaluatur. 720
Diuitiæ inopes & anguſtæ. 720
Diuitiæ ſunt bonæ cum ſapientia, malæ autem ſine illa. 721
Doctrinam diligit Deus in filiis ſuis. 730
Doctrinæ & ſapientiæ multiplices fructus. 731
Doctrinam contemnere reprehenſibilius eſt in Dei miniſtris in prologo. 723

Dormiendum non eſt in ſtatu peccati mortalis. 391
Dormiendũ nõ eſt nudato corpore. 393

E

Ea parte qua magis impugnamur, cura maior adhibenda. 264
Ebrietas. 10
Eccleſia ſiue locus orationis quanto affectu diligenda. 345
Eductio de ſeculo potior religioſis quàm de Aegypto Iſraelitis. 3
Eleemoſina & iniuriarum remiſſio, orationem reddunt Deo acceptam. 685
Eliſeus, excitat ſpiritum prophetiæ pſalte, quid ſignificet. 805
Elementa duodecim, ex ſancta ſocietate. 442
Aequo animo ferenda conuitia. 326
Error non habet finem. 119
Eruditionis defectu, quæ mala. in prologo.
Eſuries iuſtitiæ facit ad quietem mentis.

mentis. 638
Aetate ſenili cauenda eſt obſtinatio. 405.
Ex magnitudine diuinæ dilectionis pendet modus diuinæ reuelationis. 790
Excellentia doctrinæ ſacræ ex obiecto, authore, vtilitate. 725
Exemplum valet ad diſciplinam obtinendam. 107
Exemplũ malũ nocet plurimũ. 109.
Exempla ſunt iter breue, ad virtutes, plus quàm præcepta. 937
Exemplum mali prælati, multum nocet congregationi. 539
F
Faſtidium in doctrina ſacra, & officio diuino cauendum. 310
Feſtis diebus, quibus vacãdum. 401
Fides, charitas, humilitas, qualiter ſint primæ ad cæteras virtutes, & earum ſint radices. 329
Fides valet ad triumphandum de

hoſte. 245
Fides pugnantibus, oſtendit pluribus modis Chriſtum. 245
Fides nequaquam vincit, quæ nec viuit. 248
Filij Dei incedunt pedites, & filij diaboli equites. 709
Finis vitæ in fine diei cogitandus, & præparare ſe oportet ad ſpirituale bellum quapropter legitur de ſero lectio, Sobrij eſtote & vigilate quia &c. 669
Fortuna proſpera timenda magis quàm aduerſa. 20
Fraternitas naturalis: Chriſtiana: & religioſa. 471
Fraternam dilectionem quæ prouocent. 490
Fratribus in ſocietate congregatis quæ bona contingant. 441
G
Gaudium de quibus. 305. & infra.
Geſtus commendabilis. 139
Gla

Gladius quo inuiſibiles hoſtes ſuperantur eſt Dei verbū. in prologo.
Gloria mundi noxia. 28
Gloria mundi fallax. 27
Gloria mundi in ignominiam commutatur. 28
Gloria mundi nihil valet. 28
Gloriæ cæleſtis magnitudo, ex duodecim perpendi poteſt. 809
Gratia Dei ſubſtantia præcioſa. in prologo.
Gratia Dei armatum fortis ſcutum protegens. 254
Gratia Dei qualiter cuſtodiatur. 3
Gratiæ Deo referendæ de beneficiis. ibid.
Gratia mundi fallax. 24
Gratia mundi noxia. 25
Gratia mundi raro completa habetur. 25
Gratia mundi cito amittitur. 26
Gula. 9
Homo

H

Homo factus vt ſeruiat, Deo mūdus verò vt ſeruiat homini. 706

Homo contemnens ſeruire Deo, amiſit mundi dominium. 706

Homo præ cæteris creaturis in lingua honoratus à Deo, ingratus valde ſi illū non honoret, quē ſuo modo creaturæ irrationales laudant. 152

Hominis animus inter huius mundi mirabilia, mirabilior. 717

Hominis corpus. 13

Honor quid ſit, & cui exhibendus. 514.

Horæ canonicæ in ſcripturis, & quid repreſentent. 660

Horis nocturnis libenter adeſſe. 662

Hora matutina, valde commoda ad orationem & ſtudium. 665

Hora completorij, ad recolligendū ſpiritum apta. 668

Hora completorij ſilentiū inchoandum. 668

Hoſtia viuens, ſancta, rationabile obſequium. 103
Humilitas magna virtus & ſublimis. 755.
Humilitas ſtabile,& tutum virtutum fundamentum. 750
Humilitas eſt proprij ſenſus vacuitas. 591
Humilitas prompta eſt obedire. 591
Humilitas omnia habet in tuto,ſuperbia,habet omnia in periculo. 321.
Humilitas & obedientia,ad exempla imitanda neceſſaria. 108
Humilitas ſola euadit laqueos diaboli. 43
Humilitas ſeruat vnitatem fraternitatis. 460
Humilitas ſi nutet, virtutum aggregatio non niſi ruina eſt, 750
Humilitas indiſcreta prælatorum regendi frangit authoritatem. 545
Humilitas legentis,proficit, ad erudien-

diendum. 734
Humilitatis efficacia. 335
Hypochrita. 19

I

Ieiuniorum conditiones. 193
Impius cõfundit,& cõfundetur. 147
Ignis purgatorius omnem pœnam huius mundi ſuperat. 703
Infirmitas ad quid detur à Deo. 919. per totum.
Infirmitatis vtilitas. ibid.
Infirmitas niſi expediret, non daretur à Deo. ibid.
Infirmitas grauis ſobriam facit animam. ibid.
Infirmitatis flagello cur percutiamur. ibid.
Infirmus, Domini timorem cordi ſuo infigat. ibid.
Infirmus, ad memoriã reuocet ſanctorum exempla ad ſui cõſolationem. ibid.
Infirmus conferat æternas pœnas, gaudiis

gaudiis paradiſi vt alleuiet morbum. ibid.
Infirmus non quærat complacentia ſed expedientia ad ſanitatē. ibid.
Infirmus gratus ſit ſibi miniſtrantibus. ibid.
Infirmus ſi temporalium patiatur defectum, patienter ferat. ibid.
Infirmus attendat quale donum ſit ſanitas. ibid.
Infirmi qualiter debeāt ſe habere. ib.
Infirmi non murmurent, ſi aliquem patiantur defectum. ibid.
Infirmorum diligens cura multa miſericordia. 556
Ingratus ſenſu dereliquit liberantē ſe. 52
Inimiciſſimus hominis, alter homo. 46.
Iniquorum multitudo quaſi infinita, iuſtorum verò minima. 47
Innocentia, iuſtitiæ eſt fundamentum. 467
Inno-

Innocentia ſeruanda ad Deum ad nos ipſos ad proximum, ad bona temporalia qualiter. 476
Inobedientia lignum mortis. 578
Inobediẽtia punitur Ionas Propheta: Saul quoque malo ſpiritu agitatur & regno priuatur. 602
In ſermone vox eſt quoddam ſenſile quaſi corporeum, ſignificatio vocis quoddam ſpirituale & quaſi diuinum. 155
Intellectus dicitur os animæ quo anima & paſcitur & loquitur. 742
In veſtitu reperiri poſſunt duodecim, reprehenſione digna. 129
Inuidia. 8.39
Ira. 9
Iudicia de factis proximorum & de propriis. 284. & 285
Iuſtitiæ eſt nemini nocere publice vtilitati prodeſſe. 467
Iuſti liberabuntur ſcientia à periculis. 733
Lachri

Lachrymæ in orationibus violentæ. 699.
Lecti mollities non quærenda. 393
Lectio eſt via ad ſapientiam. 628
Lectio excellĕtior oratione. in prol.
Lectioni vacandum. in prologo.
Liber cenſendus qui nulli turpitudini ſeruit. 549
Lingua rationis organum, non niſi ratione debet regi. 151
Lingua Deus oratur, neque offendi debet per eam. 152
Lingua Spiritusſancti inſtrumĕtum. 151.
Linguæ membrum quàm nobile, & à Deo honoratum. 150
Linguæ cuſtodia difficilis. 148
Linguæ cuſtodia valde vtilis. 149
ad Linguæ cuſtodiam, quatuor valent. 148
Linguæ fructus ſpirituales modeſtia in loquendo: oratio, Dei laudatio, gratiarum actio, peccatorum cō-

feſſio. 149
Longitudo, latitudo, ſublimitas profundum quid ſint. 751
Locutio qualiter ordinanda. 396
in Locutione q̃ ſunt attendenda. 155
Loquendi modus, geſtus, modeſtus, ſono ſuauis: ſignificatione verus. 162.
Luctus in hac lachrymarum valle, debet eſſe frequens. 142
Luctus mentem reddit puriorẽ. 677
Lumẽ propheticum eſt ſupra naturæ humanæ vires videre. 796
Luxuria 10.40.

M

Maius periculum malè viuendi quã cito moriendi. 54
Mala ex ignorantia quæ prouenjant. in prologo.
Mala credita de proximo cauſant eius contemptum & minuũt charitatem ad illum. 284
Mala multa ex doctrinæ contemptu. in prologo.

Mala

ſa temporalia lætanter accipien-
a & quare. 636
edictus diſpenſator auarus, cui
rgus eſt dominus. 611
litatio diuinorũ multiplex. 746
itatio ſacrarum ſcripturarũ con-
a malas cogitationes. 233
litationes excitantes ad humili-
item & cæteras virtutes. 332
litandæ virtutes morales. 744
litanda quatuor. 746
itando diuina in nos beneficia
ardeſcit ignis amoris noſtri ad
eum: 745
itari creaturas inferiores. 746
ibrum corporis naturaliter ti-
et ſeparationẽ ab aliis & proin-
dolorem patitur. 448
ibri eſſe eſt cum odio eſſe, ſicut
cidentis eſſe eſt eſſe in ſubie-
. 448
orandæ ſanctorum vitæ. 288
oria beneficiorum Dei. 286

Memoria paſſionis Domini.ib. pręceptorum Domini. 277. diuinæ iuſtitiæ.ibid.diuinæ miſericordię. ibid.ſpiritualis pugnæ.ibid.dignitatis propriæ. 289. proſperitatis, & aduerſitatis. 289. erratorum vt doleat.ibid.mortis. 289.
Memoriæ facultas qualiter ordināda ſit. 286
Mentis alienatio in extaſi vnde. 794
Mentis alienatio in contemplatione tribus de cauſis. 797.803
Mentis alienatio, quibus gradibus aſcendat. 807
Mens puſillanimis, multum habet tormentum. 267
Mentiri Deo pœna Ananiæ & Saphyræ. 411
Miniſter nec auare retineat,nec profuſe expendat. 609
Miniſtri fidelitatem non ſeruantes, ſimiles Iudæ in crimine & pœna. 610.

niſti non multiplicentur indiſ-
cretè. 608
ſericordia & mũditia cordis. 787
ſericordia valet cõtra diabolum.
250.
odeſtia in veſtibus. 125
odum cõfeſſionis edoceantur no-
uitij,frequentérque cõfiteri. 530
oleſtiæ fortiter ferendæ. 262
oritur Deo,qui ad ſeculum reuer-
titur. 53
ltum valet ad ſuperandum hoſtẽ,
iducia in Deum. 248
ltitudo librorum diſtrahit. 291
ltitudo eorũ quæ leguntur & au-
iuntur cauſat obliuionem. 291
nditia in comedendo , & tempe-
antia ſeruanda. 198
ndus tenebroſus. 5. proditor.20.
euorat.20.falſus.18.immundus.
o.valde periculoſus. 42. laqueis
enus. 43. fornax Babylonica.
4.diluuium. 43

Mundum fallacem pro Deo fideliſſimo deſerere. 48
Mundi amatores,pacē nō habēt. 49
Mundi pericula. 42
in Mundo pauci ſaluantur. 42
N
Naturæ inſtinctu ad ſapientiam incitamur. 628
Negligentia ad infirmos, proprietatis vitium introducit. 559
Negligere linguæ cuſtodiam valde indecēs eſt,& valde periculoſum. 153.
Nemo deſpiciendus. 322
Neminem diligit Deus niſi eum qui cum ſapientia inhabitat. 730
Nihil rectè exiſtimat, qui ſeipſum ignorat. 778
Nobilitas,potentia,ſcientia,ſine bonitate,ſunt mala potius quàm bona. 551
Nobiles in monaſteriis cæteris præferri non debent,& quare, 551
Noce

cere alteri eſt ſibi ipſi nocere. 460.
n iraſcendum.vide plura. 223
n nocendum alteri, pluribus rationibus. 469
n eſt deſpiciendus ab homine, qui tantum honoratur á creatore. 17.
n ſunt arcendi, quibus eſt bona voluntas, viuēdi in religione. 524
ſunt oſtendenda ſuauia religionis, occultatis aſperitatibus eiuſdem. 526
n eſt verecundum religioni ſi indignos reiiciat, aut ab illa ſponte diſcedant. 535
n videt animus tranſcurrendo velociter latentem ſententiã. 738
uitius quę addiſcere debet nouitiatus tempore. 83. 533
uitius primo corporis diſciplinę & eius informationi intendere debet. 83

Nouitium in religione quæ ſtabiliant. vide totum caput. 58
Nouitij paſcendi ſpirituali pabulo. 529. 531.
Nouitij à periculis cuſtodiendi ſicut infantes. 529
Nouitij anima, qualiter ſit colenda, primum ſpinæ euellendæ, & ſubinde bona ſemina ſerenda. 530
Nouitij mortis. 425

O

Obedientia quid. obedientia mater virtutum.
Obedientia ad diſciplinam acquirẽdam opportuna. lege totum tractatũ vbi plurima præclariſſima de obediẽtię virtute. 577. & deinceps.
Obliuio iniuriarum. 290
Obliuio beneficij impenſi. 290
Obliuio delectationum. 290
Obliuio rerum temporalium. 291
Obſecratio, oratio, poſtulatio, gratiarum actio de quibus Apoſtolus quid ſint. 687

bſequium quod minus gratis exhibetur, minus gratū habetur 607
...um ſent ra temptationum omnium & malorū cogitationū. 237
...ſitas vitanda. in prologo.
...ſitas reprehenſibilis in ætate iuuenili. 403
...oſi ſunt ſalices torrentis. 237
...oſorum triplex ſtultitia. 237
...io vitia nutriuntur & in pinguantur. ibid.
...cupari in quibus debet religioſus. 240
...cupatio honeſta valet plurimum ad triumphādum de diabolo. 236
...ulus intellectualis habet velum magnū expanſum, quod contemplantis initium arcet. 781
...ulos mentis quæ emundēt, vt veritatis lumen intueri poſſint. 753
...endū peccatū quod maxime ſit ...xoſum, & homini noxium. 212
...bile quantopere ſit peccatū. 315

Oratio lectionem præueniat. 734
Orat o humilis. 682
Oratio fidelis feruens. 986
Oratio cum fiducia. ibid.
Oratio timida, tepida &c. 686
Orationis infructuoſæ quinque ſpecies. 710
Oratione quæ petantur. 692
Orari vult Deus. 680
Orationi vacare docent Chriſtus & Apoſtoli verbo & exemplo. 644
Orationes noſtræ offeruntur Deo non ſolum ab Angelis ſed etiam à Chriſto. 650
Oratione ſanantur morbi ſpirituales & corporales. 654
Orationem præmiſit Chriſtus antequam Apoſtolos elegiſſet. 658
Orationi magis intendendum, quũ neceſſitas vel opportunitas adſunt. ibid.
Orando vnus ſanctus plus valet, quã innumeri peccatores p̃liãdo. 653
Ora

at D.Paulus,& aliorum orationi-
nibus plurimum confidit. 647
dũ quid,quãdo,vbi,ad quid.645.
ndum antequam quicquam ar-
lui aggrediamur, & tribulatione
raminente. 658
ndi modus. 643
ndum perſeueranter. 683
ratione requiritur cordis reuo-
catio,puritas & attentio. 676
andum cum lachrymis & gemiti-
bus. 681
tione impetramus quod petimus
vel vtilius. 655
torio magna eſt reuerentia exhi-
benda. 349
linare animum, pacem & trãquil-
itatem inducit. 269
inare appetitum concupiſcibi-
em qualiter. 304
inare appetitum iraſcibilem qua-
iter. 316
inabiliter ſibi humiliter Deo,
ſocia-

ſociabiliter proximo viuendum. 447.
Oris officium duplex & vtrobique periculum. 145
Ornatus corporis, animę ornatum impedit. 130
Ornamenta corporis, cordis ornamenta perdunt. ibid.

P

Panis quotidianus quis & quotuplex. 705
Parcere alicui quibus de cauſis. 313
Pauci ſaluantur. 42
Pauper vbi diuitem cœperit imitari perit. 575
Pauperes aptiores ad obediendum diuinis ſermonibus. 32
Pauperibus, non diuitibus, nec conſanguineis, bona monaſterij eroganda. 576
Pax hęreditas Chriſtianorum. 463
Pax vera eſt cui nihil repugnat. 464
Peccatum quàm ſit odibile. 315

:ccata,mox vt oriri cœperint radicitus euellantur. 547
:ccatores, vitiorum ſerui. in prol.
dum ablutio à Chriſto quid nobis inſinuet. 503
:na eſt omnis inordinatus animus. 269
ricula mundi. 62
rſeuerantia ad diſciplinam neceſſaria. 117
rſeuerantis bona. ibid per totum.
ſtis nulla efficacior eſt ad nocendũ quàm familiaris inimicus. 94
gritia prȩlatorum noxia. 544
gritia in lecto non detineat, nec ſomnum immittat. 394
nitudo orbis terrarum qualiter n corde hominis inueniatur. 778
nderandum prius corde quàm ore proferendum verbum.
rci aromata & margaritas reſpuunt: animales homines ſpiritualia bona. 310
Poten-

Potentia mundi fallax. 26
Pot ntes potenter tormenta patientur. 27
Prælatus ſpiritualia temporalibus præponat. 561
Prælatus corrigat diſcolos. 542
Prælatus exemplum ſit ſubditis bonorum operum, vide totum. 536
Prælatus imitetur diſcretionem Iacob. 574
Prælatus bona monaſterij prodigè non exponat. 575
Prælatus pauperem diſpenſatorem ſe conſideret, non Dominũ. ibid.
Prælati de temporalibus magis ſolliciti, quàm de ſpiritualibus ſigna. 564.
Prælatus in receptione aliquorum ad religionem quæ attendere debet. 253
Præſſuram in mundo habebitis, in me autem pacem. 59
Præſtat cito mori quàm diu male
viuere

iuere. 560
mum ſpinæ euellendæ, ſubinde
ona femina, in agro animæ ſe-
enda. 531
nogenita Pharaonis. 227
cipalia mala, concupiſcentia
arnis & ignorantia mentis. 804
digus ad frugalitatem, auarus ad
iberalitatem exhortandus. 159
ſperitatis tempore qualiter or-
inare quiſque ſe habeat. 461
uidendum diligenter communi-
ti religioſorum. 554
or quid ſit. 112
or valet ad conſequendam diſci-
linam. 112
næ ſpiritualis memoria, quan-
m valeat & quando habenda.
42.
hra explicatio illius Cantic. 3.
uæ eſt iſta quæ aſcendit, &c.
98.

* * * * * *

Pulchra contemplatio circa animæ facultates & qualitates. 784. per totum.

Q

Qualitates duodecim excellentiſſ. in electis poſt reſurrectionē. 815

Qualiter ordinanda ſit hominis ratio. 272

Qualiter colloquia cum hominibus prauis deſiderare vel vitare debeamus. 157

Qualiter ad morandum in eccleſia nos diſponere debeamus. 351

Qualiter vox in ſpalmodia ſeruanda. 365

Qualiter ſe gerere debet,omni tempore,& temporum varietate. 397

Qualitas & quantitas cibi.180.& 181

Quam vilis & deſpicienda ſit terrena ſublimitas. 317

Quam periculoſa ſit altitudo terrena. 318

Quanto proſequatur honore Deus, humanam naturam. 516

Quaſi

uaſi dominationis & ſuperiorita-
tis conditoris iugum à ſe excutit
qui per inobedientiam ſubeſſe
contendit. 599
uę ſugerit caro, quę mundus, quę
diabolus. 251
uę ad dil·gendum prouocent. 498
uę mutuum honorem commen-
dent. 516
uę ad animorum vnitatem com-
parandam conducant. 455
uę valent ad lectionis profectum,
& iuſte viuendum.
erulosus monachus, monachus
non eſt. 625
ies vera quę ſit. 638
ies mentis in ſolo Deo. 629
ies mentis ad pręſentem vitam
pertinens. 632
ies contemplatiuorum. 633
ietem quę impediant. 635
i eſt in bona ſocietate, emolu-
menta habet in vita, in morte &

post mortem. 446
Qui magis meretur vel multis ieiuniis ſe caſtigans vel infirmis deſeruiens. 559
Qui vult cum Deo frequenter eſſe legat & oret. 650
Quo ordine ſtudio, ſine noſſe quæque oporteat. 281
Quotidiana ſui examinatio. 110
Rationabile obſequium eſt diſcretio. 104
Ratio minime inquirat nimis difficilia aut inutilia. 280
Receſſus à Deo cauſat timorem irrationalem. 60
Religio cur ſignificet Ieruſalem quę eſt viſio pacis. in prol.
Religio ordinata, locus eſt luminis. 17.
Religio ordinata theſaurus abſconditus. 49
Religio continet omne bonum. 51
Religio mulier fortis. 49

igio archa Noe. 56
ig o locus ſalutis. in prol.
gio ſine eruditione, habitatio
eſtiarum. in prol.
igionem ingrediens confeſſio-
em generalem facere debet. 61
igionē ingrediens nil aliud quæ-
t præter Chriſtum,
ig onem intrans nihil mundi de-
et retinere. 69
igionem nouiter ingreſſis. quale
tud um eſſe debeat. 69
ig.onem deſerere valde pericu-
oſum. 51
igioſus ignarus velut terra arida
z deſertum. in prolog.
ig oſus corde ad mundum re-
iens eſt ſtatua ſalis, ſicut vxor
oth. 57
gioſus ſibi aliquid retinens cui
icatur ſimilis. 71
g oſus proprietarius ſacrilegiū
eteſtabile committit. 77
******

Religioſus animam magis quàm corpus occupet. 238
Religioſus male viuens quàm ſit reprehenſibilis. 410
Religioſus malè viuens theſaurizat ſibi iram. ibid.
Religioſus columba cœleſtis. 56
Religioſus corpus proprium hoſtē ſuum, in diſciplinatum ſeruū conuertere debet. 81
Religioſus carens delitiis ſpiritualibus, quęrit carnales. in prologo.
Religioſi ignari, non ſunt religioſi, ſed ſtatuę religioſorum. in pro o.
Religioſi culpam maximè aggrauāt, loci ſanctitas, bonorum ſocietas, bene viuendi opportunitas, & quędam alia. 414
Religioſi proprietarij, valde notabile exemplum. 77
Religioſi, orare magis debent quàm alij. 673
Religioſi diuites in ſeculo, qualiter ſe ge-

gerere debent in monaſterio, militer qui pauper. 613
nedia crebro mutata nocent. 119
ugnandum vitiis, contrarii vir-
tibus, vt amore contra odium,
entio ad loquacitatem. 265
erentia ad altare & pręparatio
l M.ſſam celebrandā qualis. lege
otum. 371
ninatio ſeu rememoratio iuuat
nemoriam. 292
S
ra doctrina, quantum nobis cō-
nendetur à Deo. 726
ces torrentis. 237
ne regina in completorio & viſio
quędam. 671
pſon raſis crinibus quid ſignifi-
et. 134
ctum dare canibus & margari-
as porcis quid ſit. 158
ctitas filia timoris & amoris di-
uini. 751

Sapientia quid & quid ſtultitia. 59
Sapientia eſt res præcioſiſſima. 719
Sapientia eſt ſubſtantia vitæ ſpiritualis. 725
Sapientia eſt peccatoribus odioſa. 717.
Sapientia valet contra diabolum exemplo chriſti. 249
Sapientia in quibus diuitias omnes & bona temporalia excedat. 720
Sapientia auferri non poteſt ſicut diuitiæ temporales. 720
Sapientia diſtributa, incrementũ ſuſcipit, niſi publicetur elabitur. ib.
Sapientia ad ſalutem comparandam proficit. ibid.
Sapientia confert diuitias & gloriã temporalem. ibid.
Sapientia ſeu doctrina, multum cõmendatur in ſcriptura ſacra. 729
Satham obliuionem, negligentiam & concupiſcentiam inducit. 238
Scribere iuuat memoriam. 292
Semper

per coram domino aſtamus ſed
ręcipuè cùm oramus 679
ores deputati ad inquirendum
e diligentia aut negligentia re-
gioſorum ad lectionem.in pro l.
uum exteriorum cuſtodia. 277
co & purpura induti Chriſtum
nduere nequeunt. 130
no vehiculum ſapientiæ & di-
inæ gratiæ à loquente in audien-
es. 153
no Domini accedit ad Dei amo
em. 108
none perpenditur, an aliquis ſit
piens. 150
ire Deo meretur dominiū mun-
li. 706
a bonæ iuuentutis, amor labo-
s, taciturnitas, corporis conti-
entia,pudor. 404
ntium clauſtrale quàm neceſſa-
um. 172
onia in monaſteriis.in prologo.

Sobrietas valet ad dęmonem reuincendum. 244
Sobrietatem comitantur continentia,& modeſtia. 146
Sobrium cibum ſequitur ſobrius ſomnus. 394
Societas malorum fugienda. 45
Solitudo timenda,ſocietas bona eligenda.
Societas & ſolitudo,ſicut vnum mēbrum aliis corporis membris cōiunctum aut ſeparatum. 440
Sola virtus pręſtat gaudium perpetuum & ſecurum. 306
Sublimitas diuinarum reuelationū, manifeſtum eſt diuinę dilectionis indicium. 789
Sumno mane orandum. 395.& 664
Superbia. 7
Superbia nulla maior quàm propriū conſilium toti congregationi pręferre. 596
Superbi non ſunt ad religionem recipien-

ipiendi. 525
gere ad matutinas eſt corpori ſa-
ubre. 663.per totum.

T

ere qualiter deceat. 165
iturnitas. 176
neritas congregationem pertur-
bat. 462
npus nocturnum contemplatio-
ni commodum. 664
npore completorij corrigat reli-
giosus quę minus bene geſſit in
lie. 667
npus comedendi. 180
nporalia qualiter petēda à Deo.
93.
nporalia bona etſi non petantur
rouidentur ſpiritualibus viris
anquam filiis. 694
nptatio prima dæmonis eſt de
ula. 244 146
nptatio dęmonis doloſa, crude-
s, cõtinua, multiplex omni tem-
pore

pore omni loco,ad omnes perſonarum ordines. 218
Temptatio Deum glorificat. 209
Temptatio erudit nos. 206
Temptatio negligentiã repellit. 207
Temptationes vtiles valde. 206
Temptatio populum ædificat. 209
Temptatio humiliat. 206
Temptatio auget virtutem, & illam manifeſtat. 208
Temptationes ſolent multum vexare nouitium. 202
Timendum quid. 752
Timor Domini purificat cæteras virtutes. 340
Timor Domini mundat cor. Et oculus mentis clarius videt quod eſt initium ſapientiæ. 338
Timor Domini præterita expellit mala & futura præcauet. 409
Timor Domini vnitatem fraternitatis cuſtodit. 460
Timori afflictionum quid opponendum,

dum. 214
Timenda quæ in diaboli temptationibus. 217
Tormentum ſuperbiæ eſt quaſi ſuſpendium. 38
Tranquilitas ordinis pax omnium rerum. 269
Tres claues ad os aperiendum. 171
Tria faciunt homines clamare, ignis, aqua, hoſtes, quæ nos debent cōpellere ad clamandum pro auxilio diuino. 648
Triſtitia ſeculi, triſtitia ſecundum Deum. 312
Turpe non rogandum neque petitum faciendum. 459

V

Velle temporalia cum modo & cōditione. 297
Vera mala ſunt pœnæ futuræ vitæ: vmbra malorum ſunt pœnæ præſentis vitæ. 326

Ver-

Verba quę cum proximo habenda. 161.
Verba ſacrę ſcripturę meditanda. 743.
Verecundia omnium eſt ornatus ętatum. 113
Veſtis tenera,non facit ornatum clericum,ſed munditia mentis. 132
Via Domini arcta & difficilis, conſuetudine fit delectabilis. 82
Videre & videri multis fuit occaſio mali. 47
Vigilantia contra diaboli temptationes. 241
Victus valet ad cordis illuminationem. 7
Virtutes deficiunt niſi exerceantur. 705.
Vita pręſens eget quotidianũ panẽ mendicare. 706
Vita fidelium, orationibus & gratiarum actionibus,deberet plurimum occupari. 657
Vita

ita mundana multũ laborioſa. 37
ita auari plena doloribus. 37
itium cordis tenebras inducit. 7
itia ſpinę & cruciatus. 38
itium proprietatis nequiſſimum. 559.
Vitia quęlibet ſunt animę tormenta. 38
Vnitas multiplex, interna, eſt vnanimitas, externa, eſt conformitas laudandi Deum in choro, cõformitas victus & veſtitus. 453
Vnitas animorum quàm grata Deo, congregationi vtilis, & dęmonibus terribilis. 450
Vnitas quę non eſt ſecundum Deũ, periculoſa & valde noxia. 458
Voluntas ordinata, omnium bonorum cauſa. 293
Voluntas ordinata, diuinę ſe voluntati conformat. 299
Voluntas ordinata, omnium eſt cauſa malorum. 294
Voluntas

Voluntas prælati tanquam Dei voluntas exiſtimanda.

Voluntas incitanda ne differat bene agere & quod cœpit bonum ne remiſſe faciat. 297

Voluntatis ordinationem, faciunt refrenatio a malis, & ad bonum incitatio.

Voluntatem ſuam ad diuinam conformare, maxima quies mentis. 300.

Voluntatem ordinare eſt illam non ſubiicere peccatorum ſeruituti. ibid.

Voluptas deterior morte. 23

Voluptates quot inferant corporibus nocumenta. 185

Voluptates more latronum amplexantur vt iugulent. 147

FINIS.

SPECVLVM RELIGIOSORVM SIVE DE ERVDITIONE EOrum opuſculum.

SVMMARIVM Primi Libri.

Primus liber de eruditione religioſorum, qui ordinat religioſum ad mundum continens quatuor partes. Quarum prima gratiam vero religioſo in eductione de ſeculo à Deo factam indicat: & diuiditur in octo cap. In quorum primo declaratur quod educto de ſeculo, neceſſarium ſit gratiam in eductione factam ſibi agnoſcere.

CAPVT I.

QVi gratiam acceptam non agnoſcit, & de ea gratias non agit, & de eius amiſsione non dolet, ſe ipſius gratiæ recuperatione reddit indignum: & maxima caſtigatione & Dei punitione dignum: & alterius gratiæ ſuſceptione indignum. Auguſtinus dicit ſuper illud, Non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerũt. Quod Deus dederat gratis, tulit ingratis. Non eſt dignus dandis, qui non agit grates de datis. Bernardus: ingratitudo eſt ventus vrẽs: ſiccãs ſibi fontem pietatis. Neceſſarium eſt ergo illi, quem miſericordia Dei de ſæculo eduxit, vt magnitudinem gratiæ quam accepit, agnoſcat: & frequẽter de ea gratias referat Deo: vt ſic gratiam

Rom. 1.
Gloſa ordinar. ad illud cum cognouerunt.
Ser. 51. in Cant. à medio

gratiam acceptam cuſtodiat: & receptiōe gratiæ alterius dignus exiſtat. Ad locum vnde exeunt flumina (gratiarum ſupple) reuertuntur, vt iterum fluant. Cùm eduxiſſet Domin⁹ filios Iſraël de Ægypto, vbi grauiter premebantur: voluit eos habere tantum beneficium in memoria, dicēs eis: Memētote diei huius, qua egreſſi eſtis de Aegypto. Et ſæpe eis hoc beneficium in memoriam reducebat. Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Nō minus beneficium eſt, eductio de ſeculo per eius cōtemptum & religionis ingreſſum, eductione corporali de Aegyto. Vita enim amatorum mundi, illorum ſcilicet qui amant bona mundi, vſque ad contemptum Dei graui ſeruitute premitur. Auguſtin. Malus tot dominorū ſeruus eſt, quot vitiorū. Voluptuoſus ſeru⁹ eſt ſer-

Eccleſ. 3.

Exo.

Pſal. 30.

Lib. 4. de ciui.

Dei. ca. 3. circa fin. to. 5. Pro. 30. ui ſui, ſcilicet corporis ſui cui obedit, etiam mortem ſuam imperanti: & eſt valde grauis ſeruitus iſta. Per tria mouetur terra: & quartum ſuſtinere non poteſt. Per ſeruum cùm regnare cœperit. Auarus ſeruus eſt auaritię, cui exhibet eum venalem, etiam vili precio. Itē dicitur de auaro. Hic animam ſuam venalē habet. Superbus ſeruus eſt vanæ gloriæ, quæ tantum tributum ab eo exigit, quod ad eius ſolutionem comitatus, vel ducatus, vel etiam regnum non ſufficit.

Ec. 10.

Septem conſiderationes quæ valent ad cognoſcendum magnitudinem gratię in eductione de mundo à Deo recepta.

CAPVT II.

AD cognoſcendum magnitudinem gratię in eductione de mundo

mundo à Deo receptæ, multum valere poſſunt ſeptem conſiderationes. Quarum prima pertinet ad mundi tenebroſitatem. ſecunda ad eius falſitatem. tertia ad bonorum mundi modicitatem. quarta ad impedimentum maiorum bonorum. quinta ad bonorum mundi velocem tranſitum. ſexta ad mundi cruciatum. ſeptima ad eius periculum. Poſt ſeptemplicem circuitum ciuitatis Hierico, muri eius coram filiis Iſraël corruerunt. Et in corde eius, *Ioſ. 6.*
qui religionem ingreſſus eſt, ad dictas ſeptem conſiderationes mundus quodãmodo corruit, vt in eum nihil poſſit: & in comparatione regni cæleſtis nihil ei ſit.

CIrca mundi tenebroſitatem notandum, quòd eius amatores magnas tenebras patiuntur: ideo mundus conuenienter per

Aegyptum intelligitur. Aegyptus enim tenebræ interpretatur. Vna plaga Aegypti fuit tenebrarum.
Exo. 10. Extendit Moyſes manus in cælum, & factæ ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Aegypti. Vbicũque vero habitabãt filij Iſrael, lux erat.
Prou. 4. De tenebris malorum habetur. Via impiorum tenebroſa. In Pſal. Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Ipſum enim lumen amatorum mundi, tenebræ
1. Co. 3. ſunt: iuxta illud, Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum. Si
Mat. 6. lumen quod in te eſt tenebræ ſunt: ipſæ tenebræ quantæ erunt? Cauſa harũ tenebrarum eſt, quod oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terrã, quæ eſt corpus obſcurum: dorſum
Lib. 4. cap. 16. à medio tomo. 5. habentes ad Deum, vnde eſt verum lumen. Auguſt. in libro Confeſſionum, Dorſum habebam ad lumen: & facies mea non illuminabatur.

Item

Item in libro de Libero arbitrio. Veh eis, Domine: qui auertunt ſe à lumine tuo. Ipſi etiam nubem peccatorum ſuorum ſibi & vero ſoli interponunt: ideo ab eo non illuminantur. *Iſa. 59.* Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum. Sicut omnis virtus facit ad cordis illuminationem: ſic omne vitium ad eius obtenebrationem. De ſuperbia eſt hoc manifeſtum, quod eſt quædam inflatio faciei interioris: viſum ſpiritualem impediens. Auguſtinus in libro Confeſ. Tumore nimio ſeparatur à te: & nimis inflata facies claudebat oculos meos. Superbia eſt quaſi quidam mons, radios veri ſolis à corde prohibens. Hic eſt mons in quo angelus clarior ſyderibus obtenebratus eſt. Bernard. *Serm.* Nónne hic eſt mons, in quem angelus aſcẽdit: &

Domini ante me. Similia habet 31. moral. ca. 8. Iob. 5.

diabolus factus eſt? Gregorius de ſuperbis ait: Tanto à luce Dei lóge ſunt, quanto apud ſe humiles non ſunt. Bernardus: Superbo oculo veritas nó videtur. De inuidia verò idem patet: quæ oculos cordis excæcat. Hæc excœcauit Iudæos. Excœcauit eos malitia eorum. Per diem incurrent tenebras: & quaſi in nocte ſic palpabunt in meridie. Gregorius. Mens inuidi cùm de alieno bono affligitur, quaſi de radio ſolis obſcuratur. Et ſubdit: Dies boni operis in proximo lucet exterius: ſed quaſi in nocte palpant inuidi, quia liuore cæci aliqua quæ reprehendant, inuenire ſatagunt. Ipſi ſunt vt noctuæ lucem bonorum operum odientes: & tenebroſa opera amantes. Bona opera proximi ſunt vt candelæ: lucem boni exempli nobis monſtrantes, ſed inuidi candelis iſtis oculos ſibi eruunt.

Ser. 62. In Cant.

ruunt. De ira idem patet, *Impedit* *Iob. 17.*
enim ira animum, ne poſſit cernere
verum. Caligauit ad indignationē *Pſal. 6.*
oculus meus. Turbatus eſt à furore *Pſal. 37.*
oculus meus. Item: Supercecidit
ignis: & non viderunt ſolem. Ignis,
inquam, iræ. Ira enim excœcatur
homo, ſicut vrſus ad peluim arden-
tem excœcatur. De odio ſimiliter
patet, quòd cor obtenebrat. Ber-
nar. Amor vel odium veritatis ne-
ſcit iudicium. De accidia idem pa-
tet: quod dum hominem quaſi dor-
mire facit, oculos cordis ei claudit.
Vſquequo piger dormies? Pigredo
immittit ſoporem. De vicio gulæ
idem patet. Grauantur enim oculi
cordis crapula & ebrietate: & ocu-
li corporis aliquando. Attendite
ne grauentur corda veſtra crapula
& ebrietate. Cui ſuffoſſio oculo-
rum? Nonne his qui morantur in vi-
no: & ſtudent calicibus epotan-

dis? Exceſſum in cibo & potu comitantur fumoſitates: quę viſum ſpiritualem impediunt. De ebrietate eſt hoc manifeſtum: quod oculos obtenebrat cordis: quę hominem
Oſeæ 7. quaſi inſanum reddit. Cœperunt furere principes à vino. Reuera nihil aliud eſt ebrietas, quàm voluntaria inſania.

De peccato luxuriæ idem patet, cũ amans aliquam fatuo amore, eã credat eſſe pulcherrimam, quam omnes alij ſciunt eſſe turpem. De peccato auaritiæ & cupiditatis idem patet. Sollicitudine enim temporalium oculi cupidi & auari velantur: & velatis oculis ad ſuſpendium infernale ducitur. Cum modicum pulueris terreni, viſum oculi corporalis impediat: non eſt mirum ſi viſus cordis impediatur, in quo per ſollicitudinem & inordinatum amorem, multitudo terrenorum recipitur.

cipitur Tobias excęcatus eſt calidis ſtercôrib. hirũdinis. Sic ardẽs amor ad temporalia, quæ Apoſtolus arbitratus eſt vt ſtercora: oculos cordis excæcat. Auguſtinus in libro Confeſſionum loquens Domino ait: Spargis pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates: Saluator illuminaturus cæcum à natiuitate, lutum poſuit ſuper oculos eius: Inſinuans cauſam cæcitatis ſpiritualis eſſe lutum diuitiarum. Vnde habetur de auaro: Vſquequo aggrauat contra ſe denſum lutum? Præterea vbi amor, ibi oculus. Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Cupidus ergo & auarus habent oculos cordis in burſa, vel in arca, vel in agris ſuis, ideo non vident quæ ad ſalutem animæ ſuæ pertinent, ſicut ille qui oculos corporales amiſit, non videt corporaliter. Oculi ſapientis in capite eius: ſtultus

Tob. 2. *Ioan. 9.* *Aba. 2.* *Mat. 6.*

Eccle. 2. in tenebris ambulat. Oculi ſtulto-
Pro. 17. rum in finibus terræ. Cupidi & a-
uari talpę comparantur, quæ dici-
tur habere oculos velatos: Affe-
ctus in malis hominibus poſt ſe
trahit intellectum: ſecundum illud
Pſal. Tranſierunt in affectum cor-
Pro. 21. dis. Affectionem eorum comitatur
intellectus erroneus. Lucerna im-
piorum peccatum. Vnde cùm pec-
catum ſit res tenebroſa, intelle-
ctus eorum in peccatis manens er-
Zach. 5. rat. De impietate dicitur: Hic eſt
oculus eorum in vniuerſa terra.
Auguſt. Errat quiſquis veritatem
ſe poſſe noſcere putat, ſi adhuc ne-
quiter viuat. Amatores mundi, &
bona, & mala excæcant. Mala: quia
Exo. 23. per impatiẽtiam eos quaſi inſanire
Eccl. 20. faciunt. Bona: quia excæcant eos
dona, ſecundum illud: Non accipies
munera quæ excæcant prudentes.
Encœnia & dona excæcant oculos
iudi

Iudicum. Tantæ ſunt tenebræ amatorum mundi, vt ſeipſos non videant, nec attendant quibus ſeipſos paſcunt: vel vbi maneant: vel quo tendant. Seipſos non vident, Putant enim ſe ſapientes, cùm ſtulti ſint: putant ſe eſſe magnos, cùm in valore nihil ſint. Qui exiſtimat ſe aliquid eſſe cùm nihil ſit: ipſe ſe ſeducit. Meliorem partem ſui, ſcilicet animam cognoſcere nó videntur, putantes pulchritudinem corporis & ornatum, id eſt, affectionem ſibi ſufficere: anima deformi, nuda, & famelica remanente, & ita in vanum vidétur animam ſuam accepiſſe. Corpus etiam ſuum non perfectè agnoſcunt: cuius non attendunt originem vel finem: vel quod in eo continetur. Si enim eius originem vel finem attenderent, agnoſcerent illud eſſe terram, vel puluerem & cinerem, vel putredi-

nem. In Pſal. Sciant gentes quoniam homines ſunt, homines ſcilicet ab humo. Puluis es, & in pul-
Gen. 3. licet ab humo. Puluis es, & in pulGen. 3.
Ibid. 18. uerem reuerteris. Item ait Abraham: Loquar ad Dominum Deum meum cùm ſim puluis & cinis.
Eccl. 10. Quid ſuperbis terra & cinis? Pu-
Iob 18. tredini dixi, pater meus es, mater mea, & ſoror mea vermibus. Si quod in eo continetur, attenderent, ſaccum ſtercorum illud eſſe agnoſcerent. Gloria impij ſtercus
Math. 2. & vermis. Quibus ſe paſcunt, non agnoſcunt: qui prohibitis fruuntur, acquiſitis ſcilicet, per vſuram, furtũ, & rapinam: quæ quaſi venenata ſunt eis. Dicitur de auaro: Cũctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris. Vbi maneant non vident, iuſtitia enim Dei quam pro bonis
Eccle. 5. minimis cõtemnunt, gladium euaginatum tenet ſuper capita eorũ q̃ eos occideret, niſi Dei miſericordia

expe

expectans eos ad pœnitentiam, hoc prohiberet. Fugite à facie gladij, quoniam vltor iniquitatis eſt gladius. Quò tendant non vident, quia velatis oculis ad patibulum infernale ducuntur. Gregorius: Qui præſenti ſuauitate capitur, quaſi per amœna prata ad īteritū ducitur. Et notandū quod cæcitas amatorū mūdi in multis differt à cæcitate corporali. Cæci enim corporaliter, cæcitatem ſuam licet non videant, tamen de illa dolent: illuminari cupiunt: & ducem quærunt. Amatores verò mundi, cęcitatem ſuam (ſpiritualia enim poſtponentes, voluptates mundanas exoptant) non agnoſcunt, & ideo ab illuminatione remoti ſunt. Vidiſti hominē ſibi ſapientem (ſapiētia videlicet mundi) videri? magis, illo ſpem habebit inſipiens. Ipſi cæcitatem ſuam loco in quo ſunt attribuunt *Iob 19.* *pro. 26.*

tribuunt

Epiſ. 51. paulo à prin. tribuunt, ſicut refert Seneca de quadã fatua relicta ſibi vxore ſua, quæ viſum amiſerat, & domui in qua erat imputabat quod non videbat: petens ſe transferri ad alium locum. Sic amatores mundi vicia ſua non agnoſcunt: & aliter neminem in iſto mundo poſſe viuere aſſerunt. Cæci corporaliter multum
Tob. 5. de cæcitate ſua triſtantur: vt patet ex verbis Tobiæ dicentis: Quale gaudium mihi erit: qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video? Amatores verò mundi de miſeria
Libr. 1. confeſ. c. 13. to. 1. cæcitatis ſuæ non dolent: & ideo ſunt miſerrimi. Auguſtin. Quid miſerius miſero, nõ miſerante ſeipſum? Cæci corporaliter illuminari multum deſiderant: vt patet de cæco illo, cui cùm dixiſſet Dominus: quid vis faciam tibi? Illuminationem præ omnibus elegit, dicens: Domine vt videam. Amatores verò

mundi

mundi lucem odiunt: & prędicationem qua illuminari poſſent, fugiunt: Qui male agit, odit lucem. Ipſi ducem non quęrunt. Seneca: Cæci ducem quærunt & nos ſine duce erramus. Errauerunt cæci in plateis. Amatores mundi tenebras diligunt: & ad tenebras infernales vadunt. Hoc eſt iudicium (id eſt, cauſa iudicij ſeu damnationis) quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Qui de mundo ad religionem ordinatam tranſit, de loco tenebrarum ad locum luminis tranſit vel vadit: vbi remota terrenitate per paupertatẽ ſpiritus fugata nube peccatorum, à vero ſole meditatione, lectione, oratione illuminatur. Ad illuminationem etiam operantur actus luminoſi, ſcilicet exempla virtutis, quæ in fratribus conſpiciuntur: Luceat lux veſtra coram hominibus: vt vi-

Ioan. 3. *Tren. 3.* *Ioan. 3.* *Matt. 5.*

deant opera veſtra bona.

De falſitate mundi.

CAP. III.

Circa falſitatem mũdi notandũ, quòd mundus eſt falſus & fallax: & non inuenitur in eo veritas. *Iſe 4.* In Pſal. Non eſt in ore eorum vetas. Non eſt veritas; & non eſt miſericordia, & nõ eſt ſcientia Dei in terra. Non inuenitur in eo fides, *Prou. 20* nec vera amicitia. Virum fidelem quis inueniet? Sapiens. Id primum ſentio: niſi in bonis amicitiam eſſe nõ poſſe: Quomodo amat aliũ, qui non amat ſeipſum? In Pſal. Qui diligit iniquitatẽ: odit animam ſuam. *Eccl. 14.* Qui ſibi nequam? cui bonus erit? Non amant amatores mundi, etiã propinquos ſuos: & ſi amant eos ali- *Ieb. 9.* quando carnaliter, odiunt eos ſpiritualiter

tualiter. Vnuſquiſq; à proximo ſuo ſe cuſtodiat: & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam, quia omnis frater ſupplantans ſupplãtabit, omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrẽ ſuum deridebit, & veritatem non loquetur. Nolite credere amico, & nolite confidere in duce: Ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui: quia filius contumeliam facit patri: & filia conſurget aduerſus matrem ſuam: nurus aduerſus ſocrũ ſuam, & inimici hominis domeſtici ejus. Ephraim ad interfectionem deducet filios ſuos. Bernardus. Nõ parcunt ſuis, qui ſibi non parcunt: perimentes pariter & pereuntes. Falſus & fallax eſt mundus: exterius aureus, interius luteus. Vñ dicitur de hypocrita, Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Secundum Hieronymum, Hypocrita eſt, qui aliud eſt,

Mich. 7.

Oſeæ 9.

Iob. 20.

& aliud ſimulat. Similis eſt mũdus ſterqlinio niue tecto: & ſepulchris dealbatis putredine plenis, & tales ſunt qui exterius apparẽt pulchriores, & interius ſunt turpiores; igne infernali exuſti & denigrati, igne ſcilicet luxuriæ & cupiditatis. Ad te Domine clamabo: quia ignis comedit ſpecioſa deſerti, mundi ſcilicet à Deo deſerti. Cum mundus ſit immundus, amplectentes ſe amore inquinat. Aug. O munde immunde, quid ſtrepis? quid aucte te conaris? Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Fallax eſt mundus ſpecies fallacię ignominioſiſſima. Quia proditor, cùm cum arridet, decipit. Potius eſt eligenda eius ira, quàm arriſus. Melior eſt ira riſu. Gre. Cùm omnis fortuna ſit timenda, magis timenda proſpera, quam aduerſa. Hæc enim ſeuiendo erudit: illa blandiendo ſeducit. Mundus amantes ſe deuorat,

Serm. 29. de verb. Domini circa med.

iuxta

iuxta illud Aug. Amas ſeculũ, abſorbebit te. Amatores ſuos vorare nouit: non portare. Mundus enim quẽ oſculatur, hoſtibus ſuis tradit. Ei congruit illud verbũ Iudæ. Quẽcunque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum. Hoc dicit mundus dæmonibus. Mundus quem oſculatur, occidit, ſicut Ioab Amaſã. Fallaces ſunt amatores mũdi: & fallacia bona quæ ab eis amantur: ipſi & fallũt & falluntur. Frequenter odiunt, quos amare ſe verbo oſtendunt, Abſcondunt odium labia mendacia. Illos autem quos in proſperitate diligũt, in aduerſitate deſerũt, Eſt amicus ſecundum tempus, & non permanebit in tempore tribulationis. Ipſi parua occaſiõe eorum inimici fiunt: quorum amici ante fuerunt. Eſt amicus, qui conuertitur ad inimicitias. Bona mundi fallacia ſunt: ideo dicuntur mendacia.

Mat. 26
2. Re. 20
Pro. 10.
Eccle. 6.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Pſal. 4. Vt quid diligitis vanitatem, & Eccl. 34. quæritis mēdacium? Quaſi qui apprehendit vmbram, & perſequitur ventum: ſic qui attendit ad viſa mēdacia. Iſai. 28. Poſuimus mendacium ſpem noſtram. Seneca. Tenue eſt mēdacium: perlucet ſi diligēter inſpexeris. Fallaces ſunt diuitiæ: fallax mūdi gratia, potentia & gloria. Diuitiæ fallaces ſunt ſecūdum illud. Sol Mat. 13. litudo ſeculi iſtius & fallacia diuitiarum ſuffocant verbū. Diuitię fallunt, quia promittunt copiam, & faciunt vel augent indigentiam. Habent enim defectus ſuos diuitię, ſicut amator earum: quos defectus Seneca in ſecum afferunt, cùm ad aliquē veepiſt. 120 niunt. Et ideo verbum ſapientis ve Eccle. 5. rum eſt, quod pluribus indigent, qui plura poſſident. Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Non ſunt ſimul, fames diuitiarum,

&

& ſacietas. Amor verò diuitiarum eſt quædam fames earum: ideò non eſt ſimul cum ſatietate, quam quaſi fructum ex diuitiis amatores earum aſſequi ſe credunt. Bernardus. Non plus ſatiatur cor hominis auro, quàm corpus aura. Seneca. Altera cupiditatum ex fine alterius trahitur. Quod eſt propter defectum, quē bona alicui aduenientia habent ſecum. Diuitiæ eos qui eis innituntur, fallunt: quia eis fulcimentū non tribuūt. Qui confidit in diuitiis ſuis, corruet. Delitiæ temporales fallaces ſunt. Habent enim amaritudinem annexam. Boëtius. Dulcedo felicitatis humanę multis amaritudinibus reſperſa eſt. Inueni amariorem morte mulierem. Hęc mulier eſt carnis voluptas. De amaritudine iſta credēdum eſt viris ſanctis, qui habent palatum cordis bene diſpoſitum: nō peccatoribus, qui *Eccle.* 7

habent illud febre iniquitatis infe-
ctum, Amarior eſt voluptas carnis,
quę animam à Deo ſeparat, morte
temporali, quæ animã ſeparat à cor-
pore. Voluptas carnis eſt quaſi mel
quod lingitur in ſpinis. In Pſal. Ini-
mici eius terram lingent. Inimici
Dei, ſunt amici mundi. Sicut aquæ
ad mare tendunt: ſic deliciæ tem-
Epiſ. 27 parum à principio porales ad amaritudinem æternam
ducunt. Seneca. Voluptates non
ſunt fideles, nõ ſunt ſolidæ: etiam ſi
Pro. 31. non nocent, fugiunt. Gratia mundi
fallax eſt. Fallax gratia: & vana eſt
pulchritudo. Multum falluntur, qui
gratiam mundi quęrunt. Primò, quia
eis cariſſimè conſtat: cùm minus quã
nihil valeat. Tot expenſæ fiunt pro
mundi gratia, ſeu placentia haben-
da, quod aliquando comitatus vel
regna ad eas non ſufficiunt. Pro ea
fiunt precioſi ornatus veſtium, le-
ctorum, equorum, menſarum: ſcili-

cet vaſa aurea & argentea. Pro ea fiunt ſumptuoſa conuiuia: habentur multę equitaturæ, magnæ familiæ. Gratia mundi minus quàm nihil valet: cùm magis expediat homini habere iram mundi quam arriſum. Secundo falluntur, qui Dei gratiã, quę eſt res precioſiſſima, pro mundi gratia amittunt: quæ eis inutilis vel potius noxia eſt. In Pſal. Confuſi ſunt qui hominibus placent, quoniam Deus ſpreuit eos. Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Adulteri neſcitis quia amicitia huius mundi inimica eſt Deo? Quicunque ergo voluerit eſſe amicus huius ſæculi: inimicus Dei conſtituetur. Tertio falluntur, quia multotiens gratia huius mundi haberi ab eis creditur, & non habetur: imò rarò integrè habetur, ſi tamen aliquando: de Chriſto enim qui plenus gratia fuit, ſcriptum eſt quod alij

Gal. 1.
Iaco. 4.

dicebant,quia bonus eſt, alij dicebant,nòn:ſed ſeducit turbas.Quartò falluntur.quia licet gratia mundi aliquando, quantum ad plures habeatur:citò amittitur. vt in Chriſto,qui die qua venit Hieroſolymã ad paſſionem, gratiam habuit: ſed cito eam amiſit. Bernardus.Ab eodem populo,in eodem loco, & ipſo tẽpore pauciſſimis diebus interpoſitis: primo cum tanto triũpho ſuſceptus,poſtea crucifixus eſt. Mundi potentia fallax eſt, innitentes ei decipiens. Baculus arundineus eſt.Speras ſuper baculo arundineo & cõfracto Aegypto,ſuper quem ſi incubuerit homo, comminutus ingredietur manũ eius & perforabit eã,ſic eſt Pharao rex Aegypti,omnibus qui confidunt in ſe. Potentia ſeculi comparatur arũdini in aquis creſcenti: exterius nitidæ,interius vacuę,fructũ nõ habẽti niſi lanuginem

Serm. 2. dominica in ramis pal. circa medium.

4. Re. 18

ginẽ.Potẽtes ſeculi in aquis delicia
rum creſcunt: quia vt frequenter
delicatè nutriuntur,& viuũt, exte-
rius nitent per vanã gloriam, inte-
rius vacui ſunt, habentes ſeruitutẽ
& impotentiã ignominioſam. Fre-
quenter magis ſubiecti ſunt vitiis
& minus poſſunt eis reſiſtere: vt
ſuperbiæ, iræ, odio, gulæ. Fructum
verò potentiæ ſuæ hunc habent: ꝙ
magis onerati peccatis decedunt,
& ad maiorem cruciatum vadunt.
Potentes potenter tormẽta patien- *Sap. 6.*
tur. Fortioribus fortior inſtat cru- *Ibid.*
ciatus. Gloria mundi fallax eſt, mul
tũ decipiens amatores ſuos. Primò,
quia credunt gloriam: quæ verè
ignominia eſt. Gloria in confuſione *Phil. 3.*
eorum qui terrena ſapiunt. Veſti-
mentum corporis quod ipſi cre-
dunt glorioſum, verè eſt ignomi-
nioſum: tanquam verecundi reme-
dium, turpitudinis operimentum,
pul

pulchritudinis adiutoriũ, ab infirmis creaturis ignominioſe mendicatum, & ſignum eſt culpæ, vt cauterium latronis. Bernardus. Qui de veſte gloriatur, ſimilis eſt furi glorianti de cauterio: quia propter peccatum Adę introductus eſt vſus veſtium. Secundo gloria mundi amatores ſuos decipit, quia vt frequenter cito in ignominiam conuertitur. Seneca. Cito fit ignominia, ſuperbi
Oſe. 4. gloria. Gloriam eorum in ignominiam commutabo.

Tertiò, quia valde carè eam emũt:
Ioan. 8. cùm nihil valeat. Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt. Si multi tantum expenderent pro æterna gloria, quantum ipſi expendunt pro vana: vix eſſent qui eam non haberent.

Quartò, quia multum eſt eis noxia, opera eorum inutilia reddendo, gloria æterna priuãdo, & pœnę

ęternę eos obligādo. Dicitur de eis qui quęrunt mundi gloriam. Receperunt mercedem ſuam. Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctū. *Mat. 6.* *Apo. 18.*

De bonorum temporalium modicitate.

CAPVT IIII.

CIrca modicitatem bonorum tēporalium notandum, quod bona temporalia modica ſunt reſpectu Dei, & reſpectu animæ, & reſpectu cœli.

Reſpectu Dei ſunt quaſi gutta roris. Tanquam momentum ſtaterę, ſic eſt ante te orbis terrarum, & tanquā gutta roris antelucani: imo nihil ſunt reſpectu Dei. Vſque modo non petiſtis quicquam, Nihil petit, qui temporale petit. Aſpexi *Sap. 11.*

terram

Hier. 4. terram,& ecce vacua erat.

Reſpectu animæ modica ſunt: quia eam replere non poſſunt. Cum enim anima capax ſit Dei, minore eo non poteſt impleri. Modica etiã ſunt reſpectu cæli: ſicut centrum reſpectu circunferentię. Latitudo eſt circunferentię, non centri. Seneca. Punctum eſt id in quo nauigatis, bellatis, regnatis; Idem. Ab vltimis littoribus Hiſpaniæ vſque ad Indos, pauciſſimorum dierum ſpacium jacet, ſi nauem ferat vẽtus: At illa cęleſtis regio per triginta annos velociſſimo ſyderi viã pręſtat. Modica eſt bonitas temporalium

Sap. 5. rerum reſpectu futurorũ bonorũ. Vmbræ enim ſunt potius verorum bonorum; quàm vera bona. Omnia tranſierunt velut vmbra. Signum modicæ bonitatis eorum eſt quod Deus dat ea, & amicis ſuis, & inimicis. Communia enim ſunt & bo-

nis & malis: & plus habent inde mali quàm boni. Poſſeſſores ſuos non faciunt bonos: imò frequenter vel malos faciunt, vel malitiam augent, vel in ea detinent. Pluribus nocent quàm proſunt. Vſquequo ſtulti quæ ſibi ſunt noxia cupient? Amatores ſuos inquinant: tendentes ad cælum onerant. Auguſtinus in lib. de Ciuit. Dei. Deſerto bono bonorum proprio, lapſus factus eſt ad bonorum minimum: non bonis proprium, ſed bonis & malis commune. *Prou. 1.*

Quod bona temporalia, maiorum bonorum, vt puta ſpiritualium ſint impedimenta.

CAPVT V.

Circa impedimentũ quod bona tẽporalia bonis ſpiritualibus præſtant, notandum quòd oportet eum à creatura auerti, qui ad Deũ vult

vult perfectè cõuerti: & terrenis euacuari, qui vult cœleſtibus impleri. Auguſtinus ſuper illud Pſal. Di-

Concione 3. in Pſa. 30. paulò à fine.

ligite Dominum omnes ſancti eius. Diſce non diligere mundum, vt diſcas diligere Deum: auerte vt conuertaris: funde vt implearis. Sicut non coniungitur cœlum terrę, imò multum diſtat ab ea: ſic cœleſtia in corde humano terrenis nõ coniunguntur. Vult Deus tanquam nobiliſſimus Dominus, & ad prouiſionem ſeruorum ſufficientiſſimus, habere ſeruos propriòs ab alia ſeruitute expeditos: q totaliter poſsint eius intendere ſeruitio. Habuit Abrahã vernaculos expeditos. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Non poteſtis Deo ſeruire & mammone. Sermo Dei in pauperibus plus proficit. Sunt enim à curis liberiores: & cum ſint hic in miſeria, alterius felicitatis ſunt inueſtigatores. Ideo Saluator

tor pauperibus euangelizare miſſus eſt. De Iudæis amantibus terrena dicitur. Nō profuit eis ſermo auditus. Et iuuenis habens multas poſſeſſiones, audito conſilio Domini de poſſeſſionibus vendendis, abiit triſtis. Semen inter ſpinas ſuffocatur. Inuitati ad nuptias excuſant ſe, eò quòd ſunt negotiis terrenis impediti. Abundantia temporalium & obliuio Dei frequenter ſe comitantur. Effraim & Manaſſe fratres fuerunt. Effraim fructificans interpretatur: Manaſſe obliuio, quia proficientes in temporalibus, Deum ſolent obliuiſci. Caue ne cùm dederit tibi Dominus vrbes & oppida, cunctarúmque opum copiam, obliuiſcaris Domini Dei tui. Pincerna Pharaonis in proſperitate conſtitutus, oblitus eſt Ioſeph interpretis ſui. Expedit ei qui vult ad cœlum tendere, onus temporalium deponere. Auguſt. in libro

Iſa. 61.
Heb. 4.
Math. 19.
Idem 13.
Luc. 14.
Deut. 8.
Gen. 40.
Serm. 25. in ſent.

De veloci tranſitu bonorum temporalium. CAP. VI.

CIrca velocem tranſitũ bonorum temporaliũ nota, ſicut apparet velox tranſitus fluminis,cum conſideratur ſtabilitas littoris: ſic apparet velox tranſitus temporaliũ comparatione æternorũ. Hunc velocem tranſitũ recognoſcunt ſuperbi: qui pœnæ æternæ in inferno ſunt condẽnati. Tranſierũt omnia illa tanquam vmbra,& tanquam nuncius præcurrens, & tanquã nauis quæ pertranſit fluctuántẽ aquam, cuius cùm pręterierit,nõ eſt veſtigium inùenire, neque ſemitã carinæ illius in fluctibus: aut tanquã auis quę trãſuolat in aẽre, cuius nullũ inuenitur argumentum itineris illius:aut tanquam ſagitta emiſſa in locũ deſtinatum, ſic & nos nati continuo deſinimus eſſe.& ſubditur:Spes impij tanquã lanugo eſt quæ à vẽto tollitur:& tanquã ſpuma Simile. Sap.5.

gracilis quæ à procella diſpergitur: & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt: & tanquā memoria hoſpitis vnius diei prętereuntis. Temporale comparatum ad æternum eſt, quaſi res quæ iam præteriit. In Pſal. Mille anni ante oculos tuos, tanquā dies heſterna quæ præteriit. Item eſt

Iob 20. velut ſomniū, ſecundum illud: Velut ſomniū aduolans non inuenietur, & tranſiet ſicut viſio nocturna. Parum durant homines, parum durant res tēporales, & cito tranſeunt de perſona in perſonā. De primo. Quid eſt

Iac. 4. vita noſtra? Vapor ad modicum pa-

Lib. 6. cap 6. in fine. rēs. In Pſal. Vidi impium ſupra exaltatum, & eleuatum ſicut cedros libani: tranſiui, & ecce non erat. De ſecūdo dicit Auguſtinus, 3. lib. Cōfeſſionum. Si quid arriſiſſet proſperi, tedebat apprehēdere: quia pene priuſquā teneretur, euolabat. Bernardus. Erras ſi manſuras tibi putas diuitias: quæ

per

per tot manus hominum trãſierunt.

De cruciatu mundi.

CAPVT VII.

CIrca mundi cruciatũ nota quod vita mundana multũ eſt laborioſa. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, ambulauimus vias difficiles: Fatigationis huius duplex eſt cauſa, ſ. multitudo agendorũ: & multitudo impedimentorum. Amatores mundi tot inueniunt impedimenta in his quæ agunt, quo t etiã homines potentes non perficiunt quod intendunt. Greg. Vita præſens laboribus plena eſt, cum luctu agitur, & cum lacrymis amittitur. Non ſunt ſine cruciatu, qui amore ſpinas diuitiarum amplectuntur. Dicitur auaro: Cuncti dies eius pleni ſunt doloribus & erumnis: nec per noctem mẽte requieſcit. Non ſunt ſine cruciatu, qui in ſpinis viciorum iacent:

Sap. 5.

Eccl. 2.

Tormentum iræ eſt excæcatio. Impedit enim ira animum, ne poſſit cernere verũ. Homo iratus eſt quaſi furioſus. Aliquando manus in ſe inii- *Sap.16.* cit. Homo per malitiam occidit animam ſuam. Aliquando aggreditur proximum ſuum, aliquando Deum, vel aliquos ſanctos eius blaſphemãdo. Ipſe eſt quaſi demoniacus ſecũdum illud. Exagitabat Saul ſpiritus *1. Reg. 16.* nequam à Domino.

Tormentum inuidiæ valde magnum eſt. Sapiens. Quanta ſunt hominum fœlicium gaudia, tanti ſunt inuidorum gemitus. Inuidus amittit quod alij lucrãtur. Horatius. Inuidia Siculi nõ inuenere tyrãni maius tor- *Lib. 1. epi. epiſt. 2 circa finem.* mentum. Inuidus alterius rebus marceſcit opimis. Tormentum accidiæ *Prou. 21.* tantum eſt, vt morti cõparetur. Deſideria occidunt pigrum. Noluerunt quicquam manus eius operari. Tota die cõcupiſcit & deſiderat. Totus eſt

famelicus, cùm ſit ocioſus. Aures eius eſuriunt rumores:oculi vanitates,gula mane cõmedere vellet.Tormentũ guloſi magnum eſt.Ipſe patitur quaſi caninũ appetitum.Cùm nõ eſurit cibum : eſurit eſuriem cibi. Ventre enim pleno, ſi delicata habeat, triſtatur: quia non habet vel appetitum vel vacuitatem ventris. Vox guloſi eſt verbum illud Eſau:
Gen.25. En morior. Tormentum etiam infirmitatis frequentèr vicium gulæ
Eccl 37. comitatur:In multis eſcis erit infirmitas. De tormento huius vicij dicit ſapiens quidam. Si videres epulones velut opimos boues ſtertere & ſudare, intelligeres eos qui maximè voluptates ſequuntur, minimè aſſequi. Tormentum luxuriæ, magnum eſt.Voluptas enim huius peccati inter amaritudines incluſa eſt. Procuratio habet afflictionem:& finis fœditatem. Seneca. In voluptate nihil

nihil eſt magnificum:nihil quod naturam Deo proximam deceat. mẽbrorum turpium miniſterio veniẽs, exitu fœda. Amor ſe fatuè amantium, eſt quaſi ignis infernalis eos crucians. Tormentum cupiditatis & auaritiæ magnus eſt valde. Sicut patet ex hoc quòd veritas diuitias ſpinas vocat. Abel frater fuit Cain: Luctus enim comitatur poſſeſſionẽ temporaliũ. Abel luctus, Cain poſſeſſio interpretatur. Gre. Quid quietius quàm nihil in hôc mundo appetere? Quid laborioſius, quàm terrenis deſideriis eſtuare? Hinc eſt quòd Iſrael accepit ſabbatum in munere. Aegyptus percutitur muſcarũ multitudine. Sapiens. Nihil grauius poteſt imprecari cuiuis inimico auaritia, quæ in præſenti tormenta patitur: & in futuro æterna ſupplicia meretur. *Iſa. 14.*
Ponã Babilonem in poſſeſſionẽ ericij: vt ſcilicet pungatur, ab his quæ

poſſidet,ſicut tangens ericium ab eo pungitur. Diuites amatores tẽporalium exterius vidẽtur fœlices: interius tamẽ ſunt miſeri. Seneca. Horũ qui fœlices vocãtur, hilaritas ficta eſt,& grauis triſtitia: eo quidem grauior, quòd nõ licet interdũ palã eſſe miſeros: ſed inter erumnas cor ipſum excedentes neceſſe eſt agere fœlicẽ.

De periculo mundi.

CAPVT VIII.

CIrca mundi periculũ nota quod mundus eſt valde periculoſus: propter quòd mare dicitur. In Pſal. Hoc mare magnum & ſpatioſum. Periculum huius maris iuxta verbũ Bernard. probat tranſeuntium raritas,& pereuntiũ multitudo. In mari Marſiliæ, de quatuor nauibus non perit vna. In hoc mari de quatuor animabus non ſaluatur vna. Mirabiles elationes huius maris. Nunquam eſt

eſt ibi tranquilitas: inceſſanter flant ibi venti, & qui in hoc mari perit, æternaliter perit. Quaſi locus diluuij eſt mundus iſte: vbi pauci reſpectu pereuntium ſaluantur. Maledictum, mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt. *Oſe. 4.* Mundus eſt velut locus peſtilens. Declinant ſapientes loca peſtilẽtia, maximè quando vel ægrotos vel ægrotandos ſe cognoſcunt. Seneca: Nõ tantum corporis, ſed etiam moribus locũ ſalubrẽ eligere debemus. *Epiſt. 52. aliquãtulũ à prin.* Idem. Indubitãter valet ad corrumpendum vigorem regio. Mundus eſt locus laqueis plenus: quos humilitas ſola euadit. Antonius vidit oẽs laqueos inimici tẽſos in terra, & ingemiſcens ait: Quis poterit tranſire? Et audiuit vocẽ dicentem: humilitas. Creaturæ Dei in odiũ factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum: & in muſcipulá pedibus inſipientium.

Inſi

Infinitæ ſunt cauſæ pereundi in mũdo. Perimũt homines & bona & mala, & pluries bona quàm mala, ſecũdum illud Pſal. Cadent à latere tuo mille: & decẽ milia à dextris tuis. Occiduntur homines & ab amicis & ab inimicis. Alij pereunt amore, alij odio, alij timore. Si non eſſent in mundo alia pericula, niſi excommunicatione excommunicatores detractorum, & mulierũ: adhuc nimis multa eſſent. Vix eſt aliquis qui à communicatione excommunicatorũ plenè abſtineat, vel à detractione. Super illud: Cum detractoribus non cõmiſcearis, dicit gloſſa: hoc vicio periclitatur fere totum genus humanum. Hier. Efficaciſſimum glutinũ ad capiendas animas eſt mulier. Idem: Si fœmina cum viris habitet: nõ deerit viſcariũ diaboli. Ex his enim primo auſpicatũ eſt peccatum. Mundus eſt ſicut fornax Babilonica igne infernali

Sap. 14. Gloſſa ord. ad illud: Hac quoque ſapientibus,

nali ſuccenſa. Ideo multum timenda eſt homini valde paſſibili, qui ad ſibilum vnius verbi, accenditur igne iræ, ad aſpectum vnius mulieris igne luxuriæ : ad intuitũ vnius rei precioſæ, igne cupiditatis & auaritiæ. Cùm peccatũ ſit morbus contagioſus: fugienda eſt ſocietas malorũ. Non eſt tutum ſano, cum leproſis habitare. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. & qui cõmunicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Similiter & opera mala. Qui cum ſapientibus graditur, ſapiẽs erit: amicus autẽ ſtultorum ſimilis efficietur. Qui vult ire ad S. Iacobũ, non ponit ſe in ſocietate eorũ qui Romã pergunt. Societas nõ ducit, niſi quo vadit: Sic qui vult ire ad paradiſum : declinare debet ſocietatẽ eorũ qui vadunt ad infernũ. Fili mi ne ambules cũ eis, pedes enim eorum ad malum currunt.

Eccl. 13. *1. Cor. 15.* *Prou. 13.* *Prou. 10.*

Noluit

Noluit Iacob habere Eſau ſocium
itineris ſui. Seneca. Conuictor deli-
catus paulatim eneruat & emolit:
malignus comes quamuis candido
& ſimplici rubiginē ſuam affricuit.
Eccl.12. Quis medebitur ei, qui cōcomitta-
tur cum viro iniquo? Sicut enim non
eſt tutum agno habitare cum lupo:
ita nec bono habitare inter malos.
Eccl.13. Sicut communicabit lupus agno ali-
quando, ſic peccator iuſto. Philoſo-
phus interrogatus quid eſſet inimi-
ciſſimum homini? Reſpondebit, al-
ter homo. Magis timendum eſt inter
malos venire, quàm inter lupos: quā-
tum ad hoc quòd lupus vno modo
læderet: Venienti verò inter malos
timendum eſt lædere, & lædi: videre,
& videri: audire, & audiri: occidere,
& occidi. Videre fuit Dauid occaſio
& adulterij, & homicidij. Bernardus.
Lib. 2. de conſid. parum à fine. Detrahere aut detrahentem audire:
quid horum damnabilius, non facilè
dixe

dixerim? Videri eſt multis occaſio, vt bona ſua amittãt. Mulieribus formoſis videri, eſt occaſio vt concupiſcantur: & ſolicitatæ fornicentur. Seneca. Nemo noſtrum ferre poteſt impetum viciorum: magno impetu venientium. Si modicum fermenti totam maſſam corrumpit, quanto magis multum fermenti eam corrumpet? Valde difficile eſt bonis, ſi ſint inter malos, cùm ipſi pauci ſint, & habeant aſcendere, cõtrariari multitudini malorum, quæ quaſi infinita eſt, & impetuoſe deſcendit. *1. Cor. 5.*

Ideo multum eis neceſſe eſt elongari ab eis. Ne coneris contra ictum fulminis. *Eccl. 4.*

Incipit ſecunda pars huius libri, quæ tãtum continet vnum capitulum: in quo incitat ad gaudendum de mutatione ſtatus ſecularis in ſtatum religionis.

QVem Dei miſericordia de mundo eduxit, ſi diligẽti cõſideratione prædicta attendat, conſequens eſt, vt de commutatione facta non pœniteat, ſed valde gaudeat. Vtilis commutatio tranſeunti de tene-
Eccl. 11. bris ad locum luminis. Dulce lumẽ, & delectabile oculis videre ſolem. Vtilis commutatio, cum mundus fallax pro Deo fideliſſimo deſeritur: cùm bona temporalia modica in breui amittenda, meliorum impeditiua pro maximis in æternum manſuris relinquuntur. Vtilis tranſitus de loco preſſuræ & laboris, ad lo-
Ioan. 16. Mat. 11. cum pacis & quietis. In mũdo preſ-

ſuram

ſuram habebitis:in me autē pacem. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis,&c. Non habent pacem amatores mundi:qui mala pœnæ fugiunt, quæ non effugiunt: & bona fugientia ſequuntur. Vtilis trāſitus à loco pleno periculis, ad locū ſecuritatis. Qui de mundo tranſit ad clauſtrum bene ordinatum, gaudere debet:ſicut illi qui per arcam à periculo diluuij fuerunt liberati: & ſicut Loth ab incendio Sodomorum ſaluatus fuit, & ſicut filij Iſrael gauiſi ſunt, cùm ſeruitutem Pharaonis & exercitum eius euaſerunt: & ſicut pueri à fornace ignis Babylonica fuerunt liberati. Qui mundum pro Deo reliquerunt, ſi id pro quo reliquerunt, viderent, non pœniterent, nec ſe deceptos eſſe crederent. Dictum eſt de Niniue, quæ tenet figuram mundi. Qui viderit te, reſiliet à te: dictum eſt de muliere forti:

Pro. vlt. Guſtauit & vidit quoniam bona eſt
Mat. 13. negociatio eius. Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro: quē qui inuenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrũ illũ. Qui nunc triſtatur labore & malorum perpeſſione regnum emendo:
Pro. 20. gloriabitur illo obtento. Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor, & cùm receſſerit, tunc gloriabitur.

Incipit Tertia pars primi libri, quæ monet vt eductus de ſæculo, nec corde, nec corpore ad ſæculum redeat. In cuius primo capitulo oſtēditur, quod reditus ad ſæculum multum ſit timendus.

CAPVT I.

MVltum timendum eſt ei, quem Dei bonitas de ſæculo eduxit, ad illud redire corde vel corpore: ante profeſſionē, vel facta profeſſione.

De

De reditu poſt profeſſionẽ, hoc pa-
tet: Qui enim ſic ad ſęculum rẽdit: à Lib.1. cap. 1 pa-ũ an-te mediũ.
Deo r cedit & perit. Aug. in lib. So-
liloquorum. Deus quem relinquere,
hoc eſt quod perire. Iſte receſſus à He.17.3
Deo multum habet confuſionis. Do
mine omnes qui te derelinquũt, cõ-
fundentur. Verè confuſione dignus
eſt, qui eum relinquit timore mali,
in quo nihil habetur mali. Qui cu- Eccle.1.
ſtodit præceptum, non experietur
quicquam mali. Quod alij eſſet ma-
lum, ei eſt bonum. Dignus etiam eſt
confuſione, qui ei præponit aliquid
bonum, in quo omne bonum, & quo
amiſſo nullũ retinetur bonum. Dixit
Dominus Moyſi: oſtendã tibi omne
bonum. Omne bonum, eſt Deus: &
illo amiſſo, omne bonum amiſſum Exo.33.
eſt. Proiecit Iſraël bonum. Bonum Oſea 8.
vniuerſaliter proiicit, qui Deum de- Colligitur ex epiſt. 77.
ſerit. Seneca. Nihil eſt homini bo Iſa 3.
num, ſine ſe bono. Cum Deo bene

eſt homini: ſine ipſo non. Dicite iuſto, quia bene. Auguſtinus. Tale bonum eſt Deus, vt nemini eum deſerenti bene ſit. Verè cõfuſione dignus eſt, qui eum relinquit à quo exiſtit: & qui eum redemit. Deum qui te genuit, dereliquiſti: & oblitus es Domini creatoris tui. Ingratus ſenſu dereliquit liberantem ſe. Verè confuſione dignus eſt, qui peſſimum Dominum, optimo præponit. Dixit Petrus Domino quærenti à diſcipulis, an vellent abire: Domine ad quem ibimus? Malitia Domini ad quem itur, cùm à Deo receditur, multum deberet cohibere à receſſu ab ipſo. Maximè in futuro à Deo confundentúr, qui à Deo recedunt: quando manifeſtum erit toti mundo, quòd ipſi ſunt, qui dixerunt Deo, Recede à nobis. Tunc Deus relictus ab eis, reddens eis vicem, dicet eis: Diſcedite à me qui operamini iniquitatem. Diſcedite

Deu 32. *Eccle. 29.* *Ioan. 6.* *Iob 1.* *Pſal. 2.* *Matt. 7. & 25.*

cedite à me maledicti in ignẽ æternum. Diſceſſus iſte à Deo multum prouocat eius indignationem: cùm miſer vermiculus Dominum maieſtatis ſine culpa eius dimittit. Solent magni domini ſeruitores ſuos aliquando dimittere: ſed Dei benignitas ſeruientes ſibi non demittit, niſi eum demittant. Auguſtinus. Nemo te admittit, niſi qui te dimittit. Magnitudo diuinæ indignationis aliquando ex hoc apparet, quòd Deus dimittit apoſtatas in tanta miſeria eſſe in hoc ſæculo. Conflabitur indignatio mea ſuper vos, cùm ingreſſi fueritis Aegyptum. Apoſtatæ ſunt arbores infructuoſæ bis mortuæ. In canonica Iudæ. Mundo moritur quis cùm de ſæculo egreditur: Deo moritur, cum ad ſęculum reuertitur. Fructum ſeu vtilitatem vitæ qua mundo viuitur, amiſit in monaſterij ingreſſu: vtilitatem vitæ qua viuitur Deo, *Hier. 42.*

in egreſſu:& ſic factus eſt homo inu-
Pro. 6. tilis. Iuxta illud: Homo apoſtata, vir inutilis.

Quod multa ſunt reditum ad ſeculum diſſuadentia.

CAPVT II.

Religioſus cui temptator ſuadet vt ad ſæculum redeat, iſta ad ſui ſtabilimentum attendere debet. Saluator Lazarum ad vitam ſæculi reuerſurum plorat. Qui non plorauit moriturum, plorauit ad ſæculum reuerſurum. Magis expediret aliquibus mori, quàm ad ſæculum reuerti. quia iuxta verbum Senecæ: Maius eſt periculum male viuendi, quàm cito moriendi. Item ſaluator Iudæis ſuadentibus, vt de cruce deſcenderet, nullatenus acquieuit: neque motus pietate matris, cuius animam gladius paſſionis pertranſibat: neque promiſſione Iudæorum qui dicebãt, ſe in

ſe in eum credere, ſi deſcenderet de cruce. Saluator etiam poſtquam de mundo receſſit, licet aliquibus bonis ad confirmandam fidem reſurrectionis apparuerit: mũdo tamen immiſcere ſe noluit. Multum timendũ eſt ei qui acquieſcẽs Angelo magni conſilij, terrena dereliquit: derelicto eius cõſilio in conſiliũ impiorũ abire, & ad ea redire, quæ reliquit. Deſpexiſtis omne conſiliũ meũ, &c. Ego quoq; in interitu veſtro ridebo. Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorũ. Infœlix verò qui abiit. Itẽ multũ terrere debet illum qui pœnitet, quòd terrena pro cœleſtib⁹ reliquit, quod legitur in vita B. Ioãnis Euãgeliſtę de duobus fratribus perſonis honoratis: qui audita eius prędicatione, ſuas poſſeſſiones vendiderũt, & pauperibus diſtribuerũt. Qui cùm quadam die viderẽt ſeruos quos habuerunt, diuites, & in habitu pretioſo: ſe

Pro. 1.

Pſal. 1.

autem egentes,& in habitu vili:contriſtati ſunt de hoc quod fecerant. Quo cognito,Iohannes virgis ſyluestribus in aurum commutatis, & lapidibus communibus mutatis in lapides precioſos, dixit:Ite & redimite vobis terras quas vendidiſtis,quia cœlorũ premia perdidiſtis. Et ſuſcitans quendam iuuenem qui mortuus efferebatur: fecit quòd ipſe illis fratribus annunciaret, quãtam gloriam amiſerant, & quãtam pœnam incur-
Gen.8. rerant.Columba comperto quod diluuium nõ ceſſaſſet, ad arcam rediit. Cùm ergo diluuium peccatorum in ſæculo inceſſanter ſit,non videtur eſſe columbæ cœleſtis,illuc redire,ſed potius corui infernalis.Coruus ab arca emiſſus,non legitur ad arcam fuiſſe reuerſus. Quem ſpiritus Dei in clauſtri deſertum duxit, credere debet ſpiritum malignum eſſe, qui reditum ad ſeculum ei ſuadet: quia ſecundum

cūdum Bernardum: Spiritus ſanctus qui adduxit, non reducet: cùm non ſit in eo eſt & non. Angelica admonitio eſt ad Loth facta: Noli reſpicere poſt tergum tuum: nec ſtes in omni circa regione: ſed in monte ſaluum te fac. Reſpiciens autē vxor eius poſt ſe, conuerſa eſt in ſtatuam ſalis. Statua eſt corpus ſine ſpiritu: ſimilitudinem habens hominis, non veritatem. Sic reſpiciens ad ea quæ reliquit: ſimilitudinem habet religioſi, non veritatem. Corpus habet in clauſtro, cor in mundo, ſic fit quædam ſtatua: Hoc exemplo vtitur ſaluator, dicens; Memētote vxoris Loth. Nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Filij Iſraël de manu Pharaonis liberati, pertranſito mari rubro non redeunt in Aegyptum: ſed de ſua liberatione exultant, & laudant ſuum liberatorem. O quàm fatuè egiſſent, ſi in

In ſerm. de quadrupli ci debito. *Gen. 19.* *Luc. 17.* *Ibid. 9.* *Exod. 15.* *Gen. 26.*

Hi. 42. Aegyptum rediiſſent. Ne deſcendas in Aegyptum. Nolite intrare in Aegyptum. Magi diuinitus edocti ad Herodem non redierunt, Saluatoris hoſtem. Ioſeph etiam timuit redire ad locum vbi audiuit regnare Arche- Mat. 2. laum. Sic timendum eſt ei qui propriam ſalutem deſiderat, redire ad mundum: vbi Satanas aduerſarius ſalutis inter ſeruientes eius regnat & Apoc. 2. habitat. Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt Satanæ.

De his qui valent ad ſtabilimentum viri religioſi.

CAPVT III.

QVatuor multum poſſunt valere ad ſtabiliendum nouicium in religione. Primum eſt timor confuſionis: Secundum eſt timor periculi. Tertium amor propriæ ſalutis. Quartum eſt ſpes adiutorij. Circa primum notandum, quod raro eſt

reditus

reditus ad ſæculum ſine confuſione. Vix eſt qui rediens non incurrat notam leuitatis,vel verecundię,timiditatis,vel alicuius iniquitatis. Leuitati aſſcribitur, quòd incœpit facere, & non potuit conſummare. Cum leuitate etiam notatur de fatuitate, quæ leuitatem comitatur. Stultus vt luna mutatur. *Eccl. 27.* Seneca. Stultitia eſt cui nihil conſtat: nihil diu placet. Stulti quod non habent cupiunt: quod habent faſtidiunt. E contrario eſt de ſapiente. Seneca. Quid eſt ſapientia? *Epiſt. 20. ante med.* eſt idem velle ſemper atque nolle. Non poteſt cuiquam ſemper idem *Sap. 7. Pro. 3.* placere niſi rectum. Sapientiam non vincit malicia. Non eiicit temptator ſapientem de clauſtro. Stabiliuit cœlos prudentia. Per eam viri cæleſtes ſtabiliuntur. Non eſt ſine ignominia, cùm pugil fugit extra locum certaminis. Victus enim reputatur. Locus *certaminis, eſt clauſtrum.

Dum

Dum in clauſtro manet aliquis, adhuc ſpes habetur de eius victoria, etiam ſi hoſtis ei aliquãdo præualeat: quia victorem à victo ſuperari ſæpe videmus. Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris. Non eſt ſine confuſione cùm aliquis ſolus fugit de prælio, aliis remanentibus, pugnantibus & vincentibus. Raro aliquis clauſtrum deſerit, qui non prius Deum deſeruerit: & ab eo deſertus ſit. Solet ſequi receſſum à Deo timor irrationalis. In Pſal. Trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Habuit Cain caput tremulum poſt peccatum. Comminatus eſt Dominus tremorem iſtum Iudęis: ſi ab eo peccando recederent. Terrebit eos ſonitus folij volantis: & ita fugiunt quaſi gladium. Fugit impius nemine perſequente.

Eccl 10.

Pro. 26. Nota etiã quòd qui de rẽligione ad

ad ſeculum redit, aliquam iniquitatem habuit, quæ eum quieſcere non permiſit. Sicut pũctiones muſcarum vel ſpinarum iumentum diſcurrere faciunt, ſic punctiones viciorum animum inſtabilem reddunt. Peccatum peccauit Hieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. Cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt. Spiritus rationalis qui nobilis eſt, in lecto ſordidæ cõſciẽtiæ quieſcere nõ poteſt. Ideo qui ad religionem intrat, debet facere confeſſionem generalem: & exemplo Dauid lauare per ſingulas noctes lectũ ſuũ: vt in eo cum Deo quieſcere poſſit: & ſic ſtabilis eſſe poterit. Si iniquitatem quæ eſt in manu tua, abſtuleris à te, & non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia tua, tunc lauare poteris faciem tuam abſque macula, & eris ſtabilis. Timor periculi, multum valere poteſt ad ſtabiliendũ nouicium

Tre. 1. *Iſa. 57.* *Iob. 11.*

in religione. Mundus iſte igne infernali ſuccenſus eſt,ſcilicet iræ, cupiditatis auaritiæ, vel luxurię. Et ideo cum indignatione repellenda eſſet ſuaſio, qua diabolus ſuadet reditum ad ſeculum. Bernardus. Domus ardet, ignis inſtat à tergo: & tu mones non egredi,vel iam egreſſum regredi? Perditionis filius eſſe videtur, qui iam eſt in loco ſalutis, & ad
Ioan.17. locum periculi redit. Nemo ex eis periit,niſi filius perditionis. Talis periculum ſuum videtur amare: vnde
Eccle.3. non eſt mirum ſi in illo pereat. Qui amat periculum, in illo peribit. Timor huius periculi eſt, quaſi clauus configens carnalem affectũ,ne eo ſtimulante redeat nouitius ad ſeculum.
Pſal 118. Cõfige timore tuo carnes meas. Itẽ eſt quaſi pondus comprimendo retinens: ſicut aſſeres lapidũ põderoſitate retinentur in tectis domorum. Timor Dei ſuper omnia ſe ſuppoſuit.

ſuit. Si nō in timore Domini tenueris te inſtanter, cito ſubuertetur domus tua. Spes etiam multum valere poteſt ad ſtabiliēdum nouicium. Eſt enim quaſi anchora conſeruans, ne vehemētia temptationis à Deo euellatur, & ad ſæculum reuertatur. Dicitur de ſpe. Quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. Aug. Noli abrumpi ab anchora, antequam intres portum. Fluctuat nauis in anchoris: ſed non longè à terra proiicitur. Conatur diabolus deijcere nouicium, diffidentia vel deſperatione, continuitate vel vehementia tentationis: vel diuturnitate clauſtralis laboris. Sed diuturnitati laboris opponenda eſt æternitas mercedis. Aug. Si labor te terret, vide mercedem. Diuturnitas quodāmodo facit, vt leuius ſuſtineatur ratione conſuetudinis: quæ diuturnitatem ſequitur. Sapiens. Optima forma viuendi eligenda

Eccle.25. *Ibid.27.* *Heb.6.*

eligenda eſt,quam iocundam reddet aſſuetudo. Vehementiæ,vel continuitati temperationis, reſiſtit ſpes diuini auxilij & adiutorij.In Pſalm. Dominus protector vitæ meæ : à quo trepidabo? Dominus eſt in circuitu populi ſui: quaſi murus defendẽs eũ. Vehementia etiam temptationis eſt occaſio, vt facilius ſuſtineatur: quia
1.Corin. 10. ad hoc facit,vt gratia augeatur. Fidelis Deus eſt,qui non patietur vos tẽptari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum temptatione prouentum id eſt, gratiæ augmentũ,vt poſſitis ſuſtinere. Fiducia etiam eſt habenda in ſuffragiis ſanctorum, & adiutorio fratrum. Et notandum eſt, quod Deus iuuat ſeruos ſuos ſecundum quod ipſi habent ſpem in eo. Bern. Quatenus in bonis Domini fiduciæ pedẽ porrexeris: eatenus poſ-
Tren. 3. ſidebis. Bonus eſt Dominus ſperantibus in ſe. In Pſalmo. Sperantem autem

autem in Domino miſericordia circundabit. Benedictus vir qui confidit in Domino: & erit Dominus fiducia eius. & ſubditur: Et erit tanquã lignum quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas, & non timebit cùm venerit æſtus, ſcilicet vehementis temptationis. Confide in Deo: & mane in loco tuo. Facile eſt in oculis Dei ſubito honeſtare, id eſt, ditare pauperem. Amor etiam propriæ ſalutis poteſt multum valere ad ſtabilimẽtum nouicij: ſicut radicatio arboris facit ad eius ſtabilitatem. Radicaui in populo honorificato. Populus honorificatus eſt cætus ſeruorũ Dei in quo aliquis radicatur, cùm expulſo amore ſęculi, introducitur amor Dei, & ſui, & proximi. Amor ſeculi expellitur, cùm diuitiæ & delitiæ & mundi honores contẽnuntur. Ad cõtemptum diuitiarũ pertinet votum

Hie. 17.

Eccl. 11.

Eccl. 24.

paupertatis:ad contemptũ delitiarũ votum continentiæ:ad contemptum honorum humilitas obedientiæ.Nõ introducitur amor verus, niſi expellatur amor vanus. Auguſtinus ſuper epiſtolam Ioannis: Si mundi amor habitet:nõ eſt quo Dei amor intret. Adulterinæ plantationes nõ dabunt radices altas, nec ſtabile firmamentum collocabunt. Adulterinæ plantationes ſunt,de quibus dicitur:Adulteri, neſcitis quod amicitia huius mundi inimica eſt Deo? Amor Dei, amor ſanctæ ſocietatis,& amor propriæ ſalutis multum poſſunt valere ad ſtabilitatem nouicij. Funiculus triplex difficile rumpitur. Amore Saluatoris debet eſſe affixus cruci religionis, qui ad religionem venit. Clauo noſtri amoris potius fuit Chriſtus affixus cruci ſuæ,quàm clauis ferreis. Sicut oſtium ſepulchri Chriſtum non potuit in ẽo tenere,

Tract. 2. circa medium.

Sap. 4.

Iac. 4.

Eccl. 4.

ſic

ſic nec claui ferrei eum in cruce tenuiſſent inuitum, ſed clauo noſtri amoris tenebatur. Sic amor Chriſti nouicium in religione debet retinere. Amor etiam ſanctæ ſocietatis debet eum retinere. In Pſal. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Frater qui iuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma. Debilis qui pugnat cum forti, velle ſuperari videtur, ſi potius eligat eſſe inter eos qui nocent, quàm inter eos qui adiutorium præbent. Amor etiam propriæ ſalutis debet eũ retinere. Amor iſte debet eſſe magnus in homine, cùm in bruto tantus eſſe videatur. Ex amore ſalutis eſſe videtur, quòd ouis lupum naturaliter fugit, & canis ſi in aquam ceciderit, natando ad littus tendit. Item auis ſagaciter cauet laqueum, & declinat lapidis ictum; & ſi ceciderit in laqueum, ad ſui liberationem conatur. Bern. Pudet hoc *Prou. 18.*

rationem nõ poſſe in homine, quod natura poteſt in volucre. Ad idem mouere debet amor, qui habetur ad ſanitatem corporis. Aug. Cum gaudio debet facere immortalis futurus, quæcunque faceret pro differenda morte moriturus. Item ad hoc incitare debet amor, quem Deus & Angeli habent ad ſalutem noſtrã. Bern. Quid eſt homo, quia innotuiſti ei, aut filius hominis, quia reputas eũ? Denique mittis ei vnigenitũ tuum: immittis ſpiritum tuum: promittis vultum tuum: & ne quid ab opere ſollicitudinis noſtræ vacet, in cœleſtibus etiã illos beatos ſpiritus propter nos mittis in miniſterium. Omnes enim ſunt adminiſtratorij ſpiri-
Hebr. 1. tus. Maximè ad ſtabilitatem valet
Sap. 7.
Heb. vlt. gratia. Vnde legitur de Spiritu ſancto, quòd ſtabilis eſt. Optimum eſt gratia ſtabilire cor. Sicut & terra ſi humor defuerit in puluerem redigitur,

tur,& à vento diſpergitur:& corpus ſi ab eo ſpiritus receſſerit, efficitur cinis: ſic ſi gratia S. ſancti nouicio defuerit, ad modũ pulueris fit inſtabilis. In Pſalmo: Non ſic impij non ſic,ſed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ.Ideo frequẽter & deuotè debet inuocare Spiritum ſanctum,qui confirmet quod in eo operatus eſt. *Simile.*

Incipit Quarta pars huius Libri, quæ monet religioſum,vt nihil mundi retineat. Qualiter intrans religionem nihil mundi debet retinere.

CAPVT I.

CAuendum eſt omnimodè illi,qui mundo derelicto ad religionem venit,ne aliquid mundi retineat. Primò vt Deus eum totum habeat. Secundò ne pro modico maxima amittat. Tertiò vt pacem

cordis habere valeat. Si aliquid mũ-
di retinet, princeps mundi aliquid in
eo habet: & non eſt totus Dei. Vult
Chriſtus principem mundi nihil ha-
bere in ſeruis ſuis: ſicut in ipſo nihil
habuit. Venit princeps mundi huius,
Ioan. 14. & in me non habet quicquam. Ne-
Matth. 6. mo poteſt duobus dominis ſeruire.
Chriſtus ſeruis ſuis ſufficientiſſimus
eſt, & protector, & prouiſor, & re-
munerator. Nimis eſt cupidus, cui
non ſufficit Deus. Nõ ſentit de Do-
mino in bonitate, qui credit, quòd
ipſe, vel nolit, vel non poſſit proui-
dere ſeruis ſuis. Verecundiam ei fa-
cit, qui in parte diabolo ſeruit, timẽs
ne ſi Deo totaliter ſeruiret, neceſſa-
ria habere non poſſet. Hierony. Non
habet Chriſtus, vnde alat pauperes
ſuos? Valde fatuè agit, qui pro Deo
mundum reliquit, quando aliquid
retinuit, pro quo Deum amittit. Ipſe
Simile. ſimilis eſt homini negociatori, quæ-
renti

renti bonas margaritas: qui inuenta vna pretioſa margarita, vendit omnia quæ habet, & emit eam: eam verò emptam pedibus cõculcat, & pro nihilo dat. Ad cumulum etiam fatuitatis fecit, quod quotidie ieiuniis, vigiliis & orationibus non ceſſat eam emere, cùm tamen in tali ſtatu nullo modo poſſit eam acquirere. Cùm Dominus eũ de naufragio ſęculi eripuerit, & quaſi in loco tuto, ſcilicet in naui religionis poſuerit: ipſe furtiuè in naui aquam ponit, in qua ſe ſubmergit. De illo videtur poſſe dici, ſicut dixerunt Barbari de Paulo à naufragio maris liberato, cùm in manu eius vipera adhęſiſſet. Vtique homo hic homicida eſt, qui cùm euaſerit de mari, vltio diuina non ſinit eum viuere. Talis de loco ſalutis facit ſibi locum perditionis. Cùm ſit mortuus, timet tamen fame mori: niſi aliquid proprium habuerit. Si

Simile.

Act. 28.

iuxta verbum Senecæ, monſtro ſimilis eſt auaritia ſenilis: quid dicendum eſt de auaritia hominis iam mortui, cui vnum eſt optandum & quærendũ, ſcilicet vita æterna? Col. 3. Mortui enim eſtis. Cùm quidã fenerator abbati Arſenio reliquiſſet magnam hæreditatem, & delatum fuiſſet teſtamentũ: ipſe ait, Ego prius mortuus ſum, quàm ille: quomodo me facit hæredem? Et remiſit teſtamentum, nihil accipiens. Qui ad religionem venit, pacem non habet ſi aliquid mundi retinuerit: ſicut nec ille, qui in ſinu ſuo ſpinas abſcondit. Seneca. Proiice quæ cor tuũ laniant, quæ ſi aliter extrahi non poſſent, cor ipſum cum eis euellẽdum erat. Quidam frater renuncians ſæculo, & ſua dans pauperibus: venit ad Abbatem Antonium: quædam tamen ſibi retinuit. Et cùm hoc comperiſſet Antonius, dixit ei: Si vis Monachus eſſe,

Habetur in vita patrum in 2. parte in lib. quod monachus nil debet poſſidere.

Epiſt. 12. in fine.

Habetur in vit. pat. in 2. part. cap. 64.

eſſe, vade cõpara tibi carnes, & impone corpori tuo nudo,& ſic veni ad me. Qui cùm hoc feciſſet, tam canes quàm aues corpus eius propter carnem rapiendam dentibus & vnguibus dilacerauerunt: & ſic dilaceratus, venit ad Abbatem Antonium. Cui Abbas Antonius ait: Quicũque renunciauerit ſæculo, & vult adhuc habere pecuniam, ſic à dæmonibus lacerabitur.

Quæ debet relinquere ille qui intrat religionem.

CAP. II.

Omnia relinquere debet, qui venit ad religionem. Ecce nos relinquimus omnia. Bern. Omnia reliquerunt Apoſtoli: non tantum poſſeſſiones, ſed etiã cupiditates & eas maximè. Plus enim mundi cõcupiſcentia nocet quàm ſubſtãtia. Et hęc fugiendarũ diuitiarum cauſa præci-

Mat. 19. In tracta. quem habet ſuper hæc verba Mat. parum à pri.

pua eſt: quia vix aut nũquam abſque amore valent poſſideri. Limoſa ſiquidem & glutinoſa nimis non tantummodo exterior, ſed etiam interior ſubſtãtia noſtra, quæ videri non poteſt: & facile cor humanum omnibus quæ contrectat adhæret. Religioſus ſi habuerit proprium, nõ habebit Deum. Augu. Ego per auaritiam meam non te admittere potui: ſed volui tecum poſſidere mendacium, & te amiſi: quia non dignaris cum mendacio poſſideri. Relinquere debet religioſus nõ ſolum ſua, ſed etiam ſuos, & ſemetipſnm. de primo dicitur: Omnis ex vobis qui non re-
Luc, 14. nunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. De
Mat. 10. ſecundo: Qui amat patrẽ aut matrẽ
Luc. 14. plus quàm me, nõ eſt me dignus. Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuũ & matrem, &c. nõ poteſt meus
Mat. 16. eſſe diſcipulus. De tertio: Si quis vult

vult poſt me venire, abneget ſemetipſum. Semetipſum abnegat, qui ſeipſo quodãmodo ſe exuit, proprium ſenſum & voluntatẽ deponendo: & ſenſum Chriſti & voluntatẽ aſſumẽdo, ſicut fecerat Paulus, qui dicebat: Viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus. Item ſe abnegat, qui ſe ſuũ non reputat, ſed Chriſti: ad cuius voluntatem vult operari. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: vt qui viuant, iam ſibi non viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt. Bernard. Cui iuſtius mihi viuendum, quàm ei, qui ſi non moreretur, non viuerem? Iuſtè ſibi vendicat vitã meam, qui pro mea poſuit ſuam. Hieronymus. Perfectus Chriſti ſeruus nihil præter Chriſtum habet: aut ſi habet aliquid præter Chriſtum, perfectus non eſt. Cauendum eſt ei qui ad religionem venit, ne ſub habitu regulari animum ſæcularem gerat. Bernardus

Gal. 2.
2. Cor. 5.

nardus. Attende ſolerter quid diligas, quidve metuas, vnde gaudeas aut triſteris: & ſub habitu religionis animum ſęcularem, & ſub pannis cōuerſionis inuenies cor peruerſum. Et ſubdit: Conuertatur amor tuus, vt nihil omnino diligas niſi Deum, aut certè propter Deum. Conuertatur ad ipſum etiam timor tuus: quia peruerſus eſt timor omnis, quo metuis aliquid præter Deum, & nō propter Deum. Sic & gaudium tuum & triſtitia tua, æquè conuertantur ad eam. Hoc autem ita fiat, vt non niſi ſecūdum eum doleas aut lęteris. Fu-
Gen.31 rata eſt Rachel idolum Laban. Idolum religioſi eſt omnis res tranſitoria, quæ in amore eius, Deo præponitur vel æquatur. Scrutabitur Chriſtus virum religioſum: ſed eius ſcrutinium multum erit diſſimile ſcrutinio Laban. Scrutabitur enim non ſolum exteriora, ſed etiam interiora.

Scru-

Scrutabor Ieruſalem in lucernis. *Soph. 1.* Non ſolum in lucerna:quia non ſolum exteriora videbuntur,ſed etiam cordium abſcondita.Sapiens ſibi videtur vir diues, proprietarius ſcilicet,qui diuitias furtiuè habet in religione: pauper autem prudens ſcrutabitur eum,Chriſtus ſcilicet. *Prou. 28.*

Quod furtum proprietarij ſit valde deteſtabile.

CAPVT III.

VAlde deteſtabile eſt furtũ proprietarij:qui furtum committit inter bonos,quod cauebat inter malos:furtum committit in ſacro loco, quod cauebat in ſæculo. Furtum ibi committit religioſus,vbi timet illud committere ſęcularis. Hoc peccatũ multum offendit Deum,& magnum zelum debet habere cõtra illud, qui religioni præeſt:& etiam congregatio, ſicut oſtenſum eſt in peccato Achor,

& mortuum puniret. In infirmitate ſubtraxit ei viſitationem fratrum, & in morte eius voluit corpus eius non poni cum corporibus fratrum, & tres aureos voluit cum eo ſepeliri, omnibus fratribus ſimul clamantibus: Pecunia tua tecum ſit in perditionem. Exemplo ſuo his qui præſunt in religione, voluit oſtendere, quantum zelum contra hoc peccatum debeant habere. Hoc peccatum deſtruit fundamentum religionis, ſcilicet paupertatem ſpiritus: quam Saluator legem nouam tradendo primo commendauit. Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. *Mat. 5.*

Primi libri eruditionis religioſorum Finis.

Incipit ſecundus Liber eruditionis religioſorum, qui ordinat proprium corpus religioſi: & continet tres partes. In prima parte oſtendit quod corpus noſtrum eſt diſciplinabile. Et agitur de diſciplina in communi.

CAPVT I.

IN parte pręcedēti oſtēſum eſt, quomodo ille qui mūdum reliquit, & ad religionem venit, debeat ſe habere ad mundum: in hac parte oſtendendum eſt, quomodo ſe debeat habere ad corpus proprium. Inimicatur mundus Deo & ſeruis
Ioan.15. eius. ſecundum illud: Si mundus vos odit: ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Corpus etiam inimicatur ſpiritui. ſecundum illud: Caro concupiſcit aduerſus Spiri-
Gal.5. tum. Hoſtes iſti diſſimiles ſunt. Inimicitiæ mundi ſunt implacabiles: & habet mundus pugnatores innumerabi-

merabiles: ideo expedit ſeruis Dei hoſtem iſtum fugere. Alium verò hoſtem ſcilicet corpus, non poſſunt fugere vel fugare: nec licet eis illud perimere. Neceſſario enim habēt illud circunferre: quia alligatum eſt ſpiritui, & Dei ordinatione debent ei neceſſaria prouidere. Sed diligenti ſtudio & labore, ille qui eſt in religione, ad hoc debet intendere, vt hunc hoſtem in ſeruum diſciplinatum & fidelem poſſit conuertere. Et notandum quod corpus ad ſeruiendū ſpiritui datum eſt. Rebellio corporis ad ſpiritum non fuit ab initio, ſed ex vitio: vnde poteſt corpus in ſeruitutem ſpiritus redigi. Redigēdo verò in principio eſt moleſtia & difficultas: ſed adiutorio Diuinæ gratiæ & longa conſuetudine efficitur, vt ibi ſit iucunditas. Vnde ſuper illud: Iugum meum ſuaue eſt, dicit Gloſ. Quomodo iugum Chriſti ſuaue eſt,

Matt. 11.
Gloſa ordin.

f

In ſecundo folio à princip. lib. habetur hic lib. apud Bern.

cum dicatur, arcta eſt via quæ ducit ad vitam? Sed anguſta eſt: quia non niſi anguſto initio incipitur: proceſſu verò temporis, ineffabilis delectationis dulcedine dilatatur. Et in lib. de Vita ſolitaria, diſtinguuntur tria genera hominum, ex quibus conſtat omnis ſtatus religionis: ſcilicet incipientes proficientes & perfecti. In ſtatu verò iſtorum tres gradus diſtinguuntur. In conuerſione incipientis. initium boni eſt obedientia: proficientis ſubiicere corpus ſuum, & in ſeruitutem redigere: perfecti vſu boni conſuetudinem vertiſſe in delectationem. In eodem: Exordinata natura per peccatum, & in conditionis ſuæ rectitudine exorbitans, ſi fuerit ad Deum conuerſa, recuperat cito pro modo timoris & amoris quem habet ad Deum, quæcunque perdidit auerſa. Et vbi cœperit ſpiritus reformari ad imaginem conditoris ſui

In tert. folio à princip. lib. habetur apud Bern.

mox

mox etiam reflorefcens caro ex voluntate ſua incipit cor reformari reformato ſpiritu,nam & circa ſenſum ſuum incipit eam delectare quicquid delectat ſpiritui. In eodem: Facillimum & delectabile eſſet adiuncto amoris Dei condimento, ſecundum naturam viuere,ſi inſania noſtra nos permitteret:qua ſanata,ſtatim naturalibus natura arridet.

Quid cura nouicij primo circa corporis diſciplinam debeat eſſe.

CAPVT II.

NOuicij cura primo debet eſſe circa corpus, & exterioris hominis compoſitionē ſicut Deus corpus Adam primo formauit: poſtea ſpiraculum vitæ in faciem eius inſpi rauit. Et ſicut in vtero materno corpus primo formatur:poſtea rationalis ſpiritus ei infunditur: ſic Informationi & diſciplinę corporis debet *Simile.*

primo intendere,qui nouus eſt in re-
1.Corin.15. ligione. Non prius quod ſpirituale
eſt, ſed quod animale: deinde quod
Simile. ſpirituale. Nouo militi Chriſti cui
imminet forte bellum neceſſarium
eſt habere equum bene edoctum: nō
lentum,vel effrenem,vel vmbroſum
vel aliter vitioſum: ſed ſeſſori obe-
dientem,laboris & percuſſionum pa
tientem, ſtrepitum non timentem.
Pro.21. Equus paratur ad diem belli,Dominus autem ſalutem retribuet. Non
eſt negligenda ſpiritui corporis ſui
curæ per quod etiam in ſtatu culpæ
differt ab angelo malo. Reconcilia-
bilis enim eſt Deo per pœnitētiam:
Gen.6. dum eſt vnitus carni. Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum,quia caro eſt. In illo ſolo eſt ſuſceptibilis primæ gratiæ: in illo ſolo
eſt ei locus merendi.

Tractan

Tractando de diſciplina corporis:primò, diſciplinam deſcribimus vt agnoſcatur. Secundò, eam commendabimus vt ametur. Tertiò, viam perueniendi ad eam oſtendemus, ne in acquiſitione eius inaniter laboretur. Quartò, de eius partibus proſequemur.

Quot modis dicitur diſciplina?

CAPVT III.

CIrca primum notandum, quod nomen diſciplinæ multipliciter ſumitur. Vno modo dicitur diſciplina', quarumcunque rerum ſcientia:& differt à doctrina in hoc, quòd doctrina dicitur tantum in comparatione ad docentem:diſciplina verò in comparatione ad diſcentem. Alio modo diſciplina eſt pars iuſtitię,qua redditur inferiori quod debetur: Sicut obedientia eſt pars iuſtitiæ, qua redditur quod debetur ſuperiori. Sic diſciplina eſt deſiderium corrigendi

Tract. 10. in Ioannẽ in med. inferiores:& videtur idem eſſe quòd zelus,de quo Auguſt.ſuper illud:zelus domus tuæ comedit me. Bonus zelus eſt feruor animi:quo mens abiecto timore humano, pro defenſione veritatis accenditur. Et comeditur,cùm quælibet praua quæ viderit,corrigere ſatagit:& ſi nequit, tolerat & gemit. Aliquando dicitur diſciplina id quod adhibetur ad correctionem aliquorum:& ſic accipitur. *Heb. 12.* Filimi noli negligere diſciplinam. *Ibid.* In diſciplina perſeuerate. *Ibid.* Si extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes. Ergo adulteri & non filij eſtis. Quarto modo dicitur diſciplina effectus diſciplinæ ſumptæ. Secundo & tertio modis. ſic videtur eam deſcribere Cyprianus.

Sequitur

Sequitur notificatio diſciplinæ prout hic ſumitur. Et ſubduntur aliæ deſcriptiones duæ Hugonis de ſancto Victore: quarum prima videtur eſſe ſumpta ex verbis beati Auguſtini, vt in capitulo ſequenti patet.

CAPVT IIII.

DIſciplina eſt morũ ordinata correctio: & maiorum Patrum regularis obſeruatio. Item Hugo de Sancto Victore. Diſciplina eſt conuerſatio bona & honeſta: cui parum eſt non malum facere: ſed ſtudet in his quę bene agit, etiam per cuncta irreprehenſibilis apparere. Hæc deſcriptio videtur ſumpta eſſe ex verbis Auguſtini in regula, dicentis: In inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus veſtris nihil fiat quod cuiuſquam offendat aſpectum: ſed quod veſtram deceat ſanctitatem. Item Hugo de ſancto Victore. Diſciplina eſt

Quo notificatur diſciplina prout hic ſumitur.

In tractat. de inſtitu. nouitiorũ cap. 10. tomo 2.

In tractat. de inſtitu.

nouitior. cap. 10. Epiſtol. 112. paulo à fine.

omnium membrorum motus ordinatus: & diſpoſitio decens in omni habitu & actione. Bern. in Epiſtolis notificat diſciplinam per effectum his verbis: Diſciplina ceruicem ſubmittit, ponit ſupercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, frenat gulam, iram ſedat, format inceſſum. Diſciplina iſta videtur idem eſſe quod modeſtia, de qua loquitur Philoſophus: Cuius eſt decorem ſeu decentiam ſeruare in exteriori conuerſatione, & eſt decor iſte reſpectu aſpectus hominum. Ad cognoſcendum verò vtrum aliquid ſit decorum vel decens vel non, attendendum eſt, an ſit naturæ conſentaneum: & an ſit dignũ perſonæ quę hoc agit, vel cum qua agitur. Attendendum eſt ad congruentiam temporis vel loci. Decorum eſt in homine, quòd eſt conſentaneũ excellenti naturæ hominis. Eſt aliquid

aliquid indecens in homine, quod non eſt indecens in bruto. Item aliquid eſt indecens in perſona prælati, quod non eſt indecẽs in perſona priuata. Item aliquid eſt indecens in religioſo, quod nõ eſt indecens in perſona ſæculari. Item aliquid eſt indecens quia deeſt congruentia temporis: ſecundum illud: Ex ore fatui reprobabitur parabola: quia non dicit eam in tempore ſuo. Ratione etiam loci aliquid indecens: vt in loco ſacro aliquid fit indecenter quod alibi fieret decenter. *Eccle. 20.*

De commendatione diſciplinæ.

CAPVT V.

SEquitur de commendatione diſciplinę: quam Hugo de S. Victore commendat his verbis: diſciplina eſt compes cupiditatis, malorũ deſideriorum carcer, frenum laſciuiæ, elationis iugum, vinculum iracundiæ: quæ domat intemperantiam, *In tractat. de inſtitut. nouitiorũ, cap. 10.*

leuitatem ligat & omnes inordinatos motus mentis, atque illicitos appetitus ſuffocat. Sicut ignis extinguitur cùm premitur, & flãma exire non permittitur: ſic mentis inordinatio quaſi ſuffocatur, cùm per diſciplinæ cuſtodiam motus eius foras fluere non ſinũtur. Deſtruitur naturalis virtus, cùm diu eſt quòd in operatione non exit: vt viſus amittitur in tenebris, ſimiliter virtus conſuetudinalis deficit, ſi in operationes ſuas non exeat: ex operibus verò ſuis conſeruatur, roboratur, & augetur. Sic vitia animi deficiũt, cùm ab operibus ſuis exterioribus per diſciplinam refrenantur. Ad commendationem etiam diſciplinæ valere poteſt, ſi oſtẽdatur, quantum ipſa virum religioſum deceat, & quantum ei expediat. Item quantum eius defectus in viro religioſo indecens exiſtat: & quantum ipſi & proximo noceat. Circa primum

mum notandum, quòd per diſciplinam corpus humanum brutalem ſimilitudinem exuit. Pſal. Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Bernard. Puto iumenta dicerent, ſi loqui fas eſſet: ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt. Hiero. Qui poſt carnem ambulant, in ventrem & libidinem proni: quaſi irrationabilia iumenta reputantur. Homo ex corruptione naturæ pronitatem brutalem habet ad delectabilia carnis. Senſus enim & cogitatio cordis humani in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Hæc pronitas indecens eſt in corpore humano. Aliter enim ſe debet habere corpus, quod regit ſpiritus rationalis, quàm illud quod regit ſpiritus ſolus brutalis. Aliter verò ſe debet habere corpus quod regit Spiritꝰ ſãctus, aliud quod regit ſpiritus

Ser. 35. in Cant. parum ante medium.

Gen. 8.

ſpiritus malus. Diſciplina corpus humanum quaſi ad ſtatum innocentiæ reducit, dum illud ſubiectum & obediens ſpiritui reddit. Sicut corpus aliter diſpoſitum congruit ſpiritui in ſtatu gloriæ quàm in ſtatu gratiæ: ſic corpus aliter diſpoſitum congruit ei in ſtatu gratiæ, quàm in ſtatu ſolius naturæ corruptæ. Diſciplina corporis eſt honeſtas, honoris ſcilicet ſtatus. Habet corpus honorem magnum propter ſpiritũ, quia eſt ei aſſociatũ. Ex hoc enim eſt corpus nobiliſſimum, ad quod alia corpora ordinata ſunt. Ex hac etiam ſocietate maiorẽ honorẽ expectat, & iam maximũ honorẽ in Chriſto propter ſpiritum cui aſſociatũ eſt, ſuſcepit. Aſſociatũ eſt enim diuinitati: & iã glorificatũ ſpiritui creato Chriſti nobiliſſimo. Ideo valde decens eſt, vt in honore ſe cuſtodiat: & ne contemnẽdo faciat ſpiritũ ingloriosũ, quẽ fecit

Deus

Deus tam glorioſum. Cum corpus humanum ſit habitatio,in qua Deus habitat cum ſpiritu rationali: decet eam & decoram eſſe,& ornatã. Neſcitis, quia membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti,qui in vobis eſt. In Pſal.Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Item: Domum tuam decet ſanctitudo Domine, in longitudine dierum. Voluit Deus ſuã cœleſtem habitationem eſſe ornatam. Spiritus eius ornauit cœlos. Sic terreſtrẽ habitationẽ eius decet eſſe ornatã. Cognoſcitur ſpiritus malus in domibus ſuis, vt cognoſcebatur in Saul quem exagitabat. Sic Deus in domib⁹ eius cognoſcitur. Corpus diſciplinatum inhabitat Spiritus ſanctus diſciplinæ amator: qui ſpiritus diſciplinæ dicitur. Circa ſecundum notãdum,quod diſciplina viro religioſo valde eſt vtilis. Hoſtem enim multũ potentẽ ad nocen

1. Corin. 6. *Iob 26.* *1. Reg. 16.* *Sap. 1.*

nocendum, conuertit in vtilem ſeruũ. Magna peruerſitas eſt quòd corpus noceat ſpiritui, qui ita vtilis eſt corpori. Separatio ſpiritus à corpore, manifeſtat quod ei præſentia con ferebat. Si corpus inimicatur ſpiritui, multum poteſt ei nocere, cùm ſit ei multum familiare. Omni tempore & omni loco eſt cum eo. Nulla peſtis efficacior eſt ad nocendum, quàm familiaris inimicus. Eius operibus quotidie indiget, nec vna die ſine illis eſſe poteſt: vnde ſi ſint ei noxiæ, per proceſſum temporis magnum eſt valde nocumentum. E contrario vero ſi fiant debito modo, vt ſpiritui ſint vtiles, valde magnum eſt lucrum. De ſolo fructu oris ſpiritus poſſet ditari, ſi os debito mo-
Pro. 12. do regeretur. De fructu oris ſui vnuſquiſque replebitur, id eſt, repleri poterit bonis: & iuxta opera manuum ſuarum retribuetur ei: ſic ſi malè regatur,

gatur, poterit malis repleri. Debet *Eccl. 33.*
ſpiritus habere corpus ſuum charum
ſi fideliter ſeruiat ei. Si eſt tibi fidelis ſeruus, ſit tibi quaſi anima tua: quaſi fratrem ſic eum tracta. Nec ſoli ſpiritui diſciplina eſt vtilis, ſed etiam corpori. In libro de Vita ſolitaria. Nihil magis expedit ſtulto, quàm *Inter prin.* ſeruire ſapienti. Et iuxta verbũ Bern. *& mediũ libr. habetur ille apud Bern.* Nihil melius corpori quàm ſalutem animæ prouidere. Prouidendo enim animæ ſalutem, prouidet & ſuam: procurãdo eius damnationem, procurrat & ſuam. Si fidelis fuerit ſocius in labore, ſocius erit in mercede. Circa tertium notandum, quod defectus diſciplinæ indecens eſt in viro religioſo. Eſt enim nuditas, qua hominibus manifeſtatur eius turpitudo. Beatus qui cuſtodit veſtimenta *Apoc. 16.* ſua, ne nudus ambulet: & videant homines turpitudinem eius. Qui nũc nuditatẽ hanc nõ erubeſcit,

in ſu

in futuro de ea erubeſcet coram toto mundo. Reuelabo pudenda tua in facie tua: & oſtendā in gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam. Turpitudo ſpiritualis maximè eſt erubeſcenda. Seneca. Omnia tolerabilia pręter turpitudinem crede. Religioſus ſine diſciplina, eſt velut animal excoriatum, quod à muſcis ſanguinem ſugētibus moleſtatur: & cuius aſpectu oculi intuentiū offendūtur. Sic religioſus indiſciplinat⁹ à ſanguiſuga infernali ſanguinē humanū ſitiente moleſtatur: & hoēs in eo ſcādalizantur. Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, quæ ſemper clamant, affer, affer. Qui in nuptiis viſus eſt à Rege non habens veſtē nuptiis congruentem, inter conuiuas habuit confuſionem: & poſt damnationem. Ligatis manibus, &c. Sic in ordine qui non habet veſtem congruentem, ſcilicet ordinatam conuerſationem ſuam,

Num. 3.
Simile.
Pro. 30.
Mat. 22.
Simile.

ve-

peruer

peruerſa conuerſatione ſua alios ſcandalizans,in præſenti habet confuſionem,in futuro verò habebit dãnationem. Veſtimentum mixtum ſanguine,erit in combuſtionem. Vbi deeſt diſciplina,ſpiritus, qui naturaliter eſt Dominus,ſeruus eſt corporis, quod ei ad ſeruiendum datũ eſt: quod valde indecens eſt. Non decet ſeruum dominari principibus. Non decent ſtultum diuitiæ: nec ſeruum dominari principibus. Hæc ſeruitus eſt ſpiritui multum ignominioſa,aſpera, ſumptuoſa, periculoſa. Ignominioſa eſt,cùm ſpiritus naturaliter ſit creatura valde nobilis: cuius cõparatione corpus eſt creatura vilis & debilis. Hieron. Nihil vilius quàm à carne vinci. Aſpera eſt quia aſperius nihil eſt humili, cùm ſurgit in altum. Non bellua ſeuior eſt vlla, quàm ſerui rabies in libera colla furentis. Per tria mouetur terra, &

Pſa. 9.

Prou. 19.
Ibid.

Tres

quartũ ſuſtinere non poteſt. per ſeruum cùm regnare cœperit. Corpus tanquam vilis ſeruus ſi dominetur, vilia imperat, vt ſcilicet intendatur vnius ſacci refectioni, & ventris loci immundi repletioni. Sumptuoſa eſt, ſeruitur enim dominæ gulæ, cui ſingulis diebus parantur varia fercula, & multoties in die, de quibus nihil retinet: ſed poſt quã de iſtis guſtauerit, in locũ turpitudinis & quaſi perditionis tranſmittit. Vlulate qui bibitis vinum in dulcedine, periit ex ore veſtro. Bern. Voluptas gutturis, quæ tantum hodie æſtimatur, vix duorum habet longitudinem digitorum. Non durat delectatio illa: niſi quantum durat tranſitus ille per gulam. & pro illo tranſitu tot & tanta dominæ gulæ parantur. Periculoſa eſt hæc ſeruitus. Corpus enim tanquam dominus maleuolus, noxia imperat: aliquando etiam mortem ſpiri-

Ioel. 1.

In tracta. de conuerſ. ad cler. cap. 12.

ſpiritus. Circa quartum notandum, quòd multum nocet defectus diſciplinæ, ſicut defectus clauſurę in vinea. Velut ſepes eſt diſciplina. Pater cœleſtis vineæ ſepem circundedit. Vbi hæc ſepes defecit, bona auferuntur. Iſa. 5. Auferam ſepem eius, & erit in directionem. Eccleſ. 36. Vbi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio. Vbi ſepes hæc deficit, coluber infernalis intrat & interficit. Eccleſ. decimo. Qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber. Mordet primò morſu culpæ, ſecundò morſu pœnæ internæ, tertiò morſu pœnę æternę. Deu. 32. Deuorabunt eos aues morſu amariſſimo. Item defectus diſciplinæ nocet viro religioſo, defectũ bonitatis indicando. Amictus corporis & riſus dentium, & ingreſſus hominis enunciant de illo. Gregorius in Paſtorali. Qui ſtatũ mẽtis perdidit foris, in inconſtantia motionis defluit:

Iſa. 5.
Mat. 21.
Eccl. 19.

atque exteriori mobilitate indicat, quòd nulla interius radice ſubſiſtat. Proximo etiam nocet, quem malo exemplo corrumpit. Diſciplina viri religioſi Deum glorificat, proximũ ædificat, Angelos bonos lætificat, & malos contriſtat. Deum glorificat, ſicut ornatus templi eius. ſecundum

1.Cor.6. illud: Glorificate & portate Deum

Gloſ.ord. ibid. in corpore veſtro. Gloſſa Auguſtini: Si non parcis tibi propter te, parce tibi propter Deum, qui ſibi te fecit domum. Proximum ædificat: cui ex-

Mat.5. emplum bonum monſtrat. Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra, & glorificẽt Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Angelos bonos lætificat, quibus bonitatẽ illorum indicat, quorum ſalutem deſiderant: quos habent in cuſtodia, & propter quos ſunt in hac valle miſeriæ, Angelos malos contriſtat. Sicut ille qui carnalitati ſuæ dat concupiſcen-

piſcentias ſuas,fit in gaudium inimicis ſuis: ſic ille qui refrenat eam à concupiſcentiis ſuis, contriſtat inimicos ſuos. Diſciplina in viro religioſo multum placet Deo. Iſaac vt ſenſit veſtimentorum filij ſui fragrãtiam,benedixit ei. Fragrantia veſtimentorum ſponſæ etiam laudatur à ſponſo. Odor veſtimentorum tuorũ ſicut odor thuris. Defectus diſciplinæ in viro religioſo multum Deum offendit. Multum doluit Iacob, videns tunicam filij ſui Ioſeph præ cęteris dilecti ſanguinolentam. Defectus diſciplinæ Deum blaſphemat. Super illud: Siue comeditis, ſiue bibitis, ſiue aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Dicit Gloſſa Auguſtini. Si modum naturæ debitũ in moderatione voracitatis excedis, & vinolentia ingurgitas: quantaſcũque laudes lingua ſonet, vita blaſphemat. Non eſt honor regis cœle-

Gen.27. *Cant.4.* *Gen 37.* *1.Cor.10.*

ſtis, quòd ſponſa ſuaſit induta veſte
Simile. vili: veſte ſcilicet veteri aſſuta ei aliqua particula panni noui. Non eſt talis veſtis reginarum, ſed vilium perſonarum.

Secunda pars huius libri oſtendit, quòd ſex ſunt, quæ ad obtinendam diſciplinam multum valere poſſunt. Primum eſt doctrina. Secundum eſt exemplum. Tertium eſt frequens inſpectio operum. Quartum pudor. Quintum obedientia. Sextum perſeuerentia.

Quid doctrina valet ad obtinendam diſciplinam.

CAPVT I.

DOctrina ad obtinendam diſciplinã multũ eſt neceſſaria. Senec. Cito nequitia ſubrepit: difficile virtus inuenta eſt: ducẽ rectorémque deſiderat. Idem: Deſperandum eſt, poſſe

poſſe caſu tantum bonum influere nobis. Etiam in artibus minoribus ad neceſſitatem corporalem pertinentibus, non poſſunt homines ſine doctore eſſe quod cupiunt: iuxta verba Hieronymi. Quanto magis doctrina eſt neceſſaria ad virtutem diſciplinæ. In libro de vita ſolitaria dicitur de nouicio: Si callet ingenio, ſi viget arte, ſi præminet intellectu inſtrumenta habet tam vitiorum quàm virtutum. Non ergo refugiat doceri vti eo in bono, quo etiam in malo vti poteſt: quod proprium virtutis opus eſt. In eodem. Doceri vult virtus cum humilitate, quæri cum labore, haberi cum amore. In eodem. Primum docendus ſecundum Apoſtolicam inſtitutionem, vt exhibeat corpus ſuum hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium ſuum. Hoſtia viuens debet eſſe cor-

Epiſt. 51. circa medium.

Inter prin. & mediũ lib. Inter princ & medium illius, habetur ſic liber apud Bernard.

Col. 3. pus, vt mortificẽtur vitia, & ſeruetur natura. Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram: ſcilicet membra veteris hominis quæ ſunt vitia. *Gal. 5.* Qui Chriſti ſunt, carnem ſuã crucifixerũt cum vitiis & cõcupiſcentiis. Mortuum debet eſſe corpus, ſcilicet ſibi & mundo: viuens Deo. Viuẽs eſt hoſtia, ſi adſit charitas quæ eſt vita animæ, & vita operum, quæ ex ipſo procedunt. Mortua eſt hoſtia in illis, qui ſine charitate ſunt: & ieiunando vel aliter in Dei ſeruitio corpus ſuũ affligunt. Hoſtia ſancta eſt, ſi macula culpæ deſit: Placens Deo, ſi recta intentio adſit, vt purè propter Deum fiat rationabile obſequium. Leuit. 2. Quicquid ſacrificij obtuleris, ſale condies. Mar. 9. Omnis victima ſale ſalietur. In libro de vita ſolitaria: Si vigiliæ & ieiunia, & alia huiuſmodi ex indiſcretionis vitio ſic agantur, vt vel deficiente ſpiritu, vel languente cor-

Non multum ante medium ſitus habetur hic liber apud Bernard.

te cor-

te corpore ſpiritualia impediantur: qui ſic eſt, tulit corpori ſuo boni operis effectum, proximo exemplũ, honorẽ Deo: ſacrilegus eſt, & horũ omnium in Deum reus. Neceſſariũ eſt ei qui in religione nouus eſt, tanquam illi qui peregrinationem magnam facturus eſt, habere equum, qui labori viæ ſuæ ſufficiat: ſcilicet corpus ſuum diſciplinatum: quod ſpiritui ſit adiumentum, non viæ impedimentum. Non eſt commendabile in equo, quòd annonam ſuam non ſumit: nec in nouicio, qui de his quæ ſibi apponuntur ad ſuſtentationem corporis ſufficienter nõ accipit. In eodem libro: Durius eſt tractandum corpus ne rebellet, ne inſoleſcat: ſic tamen, vt ſeruire ſufficiat, quia ad ſeruiendum ſpiritui datũ eſt. Nec ſic habendum eſt tanquam propter illud viuamus: ſed tanquam ſine quo viuere non poſſumus. Fœdus

Inter prin. & mediũ lib. apud Bernard. habetur.

enim quod habemus cum corpore, non quandocũque volumus, abrumpere poſſumus: ſed legitimam eius reſolutionẽ patienter nos expectare oportet: & interim quæ legitimi fęderis ſunt, obſeruare. In eodem dicitur de nouicio: Docendus eſt ſic habere corpus ſuum, ſicut ægrum commendatum: cui etiam multum volenti inutilia ſunt neganda, vtilia verò etiam nolenti ingerenda: ſic agere de eo, ſicut non de ſuo, ſed eius à quo precio magno empti ſumus. In eod. Docendus eſt cauere, quod peccatori populo Dominus per Prophetam improperat: Proiecisti me poſt corpus tuum. Ezechiel. 23. Multúmque cauendum, ne pro neceſſariis vitæ huius vel commodis à propoſiti rectitudine, vel dignitate naturæ in amorem corporis ſui ſinat in aliquo aliquando degenerare ſpiritum ſuum.

Simile.

Eodem loco nunc antea dicto.

Inter prin. & mediũ libri.

Quod exemplum multum valet ad obtinendam diſciplinam.

CAP. II.

EXemplum multum valet ad obtinendam diſciplinam. Maioris efficaciæ eſt exemplum quàm verbum. Senec. Longum iter per verba: breue & efficax per exempla. Efficacior eſt vox operis, quàm vox ſermonis. Verbum oſtendit quid fieri debeat: exemplum oſtendit quomodo fieri valeat: & ad operandum animat, & operantem confortat. Hugo de ſancto Victore: in bonis ſimilitudinis Dei forma expreſſa eſt: & idcirco cum eis per imitationem imprimimur, ad eius ſimilitudinis imaginem nos quoque figuramur. Sed ſciendum eſt, quòd ſicut niſi cera prius emollita fuerit, formam non recipit, ſic & homo quidem per manum actionis alienæ ad formam actio

Epiſt. 6. poſt medium.

Simile.

actionis non flectitur, niſi prius per humilitatem ab omni elationis rigore molliatur. Neque enim per exẽplum alterius aliquando poterit in melius transformari, qui adhuc per elationis vitiũ & bona aliena oppugnat, & ſua mala defendit. Neceſſe eſt ergo, vt ſi bonos veraciter imitari velimus: vt per veram humilitatẽ ad obedientiam corda noſtra præparemus: quatenus mens noſtra tanto citius ad nouitatem redeat, quanto promptius in omnẽ quam viderit virtutis ſpeciem, per voluntariã obedientiam ſe inclinat: & tanto altius ei veſtigiũ bonitatis incipiat inhęrere, quanto arctius ſtudet bona aliorũ imitari potius quàm carpere. Ceræ calefactæ imago ſigilli facile imprimitur. Accendẽdi ſunt qui in religione ſunt, ad Dei amorem, & ad deſiderium deponendi vitæ vetuſtatem, & aſſumendi vitæ vetuſtatem: vt

Simile.

exem

exempla bona ad eorum firmationẽ proficiant. Ad accẽdendum verò ipſos multum valet verbum Dei. In Pſal. Ignitum eloquium tuum vehementer. Item eloquium Domini inflammauit eum. Omnis ſermo Domini clipeus ignitus eſt. Clipeus quia defendit à malo. Ignitus quia accendit ad bonum. Nunquid non verba mea quaſi ignis? Et ſicut exẽplum bonum ad obtinendam diſciplinam multum valet, ſic exemplum malum multum nocet, maximè in illis in quibus viuit amor ſęculi, emolliens eos vt deformitatem ſæculi facile recipiãt. Ideo in aliquibus clauſtris diſciplina non obtinetur: quia quod doctrina ſuadet, exempla diſſuadent. Verbo homines diriguntur ad ſalutem: manu impelluntur vel trahuntur ad damnationem. Vnus ædificans, & vnus deſtruens: quid prodeſt niſi labor.

Pſal. 118.
Prou. 29.
Hier. 23.
Eccl. 34.

Quod

Quod ad obtinendam diſciplinam multum valet frequens inſpectio operum, & quotidiana examinatio.

CAPVT III.

MVltum valet etiam ad obtinendam diſciplinam, ſi is qui in religione eſt, quotidiana diſcutione cogitationes, locutiones, ſimul & facta ſua apud ſemetipſum examinet ſollicitè, attendens non ſolum quid agat, ſed etiam qua intentione illud agat, frequenter cogitans, an quod faciendum eſt faciat: aut bono operi malum aliquod admiſceat: an quod agit, quanta oporteat diligentia adimpleat: an alterius bonum vt ſuum diligat: & ſi ſuum malum, vt alterius malum reprehendat. Per ſingulos dies ad iudicium vitam ſuã vocare debet. Mane conſiderare quid egerit per noctem: in veſpera quid egerit per diem. Si quid ex his

quæ

quæ agenda erant, diligenter neglexerit: aut ſi quid ex his quæ agenda non erant, præſumpſerit: & ſi in aliquo opere inſidiis inimici ſupplantatus fuerit, & excogitare qualiter fraudem illius futuram cauere poſſit, iuxta exhortationem Apoſtoli, ſemetipſum debet ſollicitè cuſtodire:& vt hoc melius poſſit facere, ab aliis oculos ſuos multum debet aduertere, cum propriis vitiis bellũ habere, rixam verò cum alienis declinare. Sapiens: Proprium eſt ſtultitiæ aliena vitia cernere, ſua obliuiſci. Dixit Dominus Moſi: Mitte manũ tuã in ſinum tuum. Quam cùm miſiſſet in ſinum, protulit leproſam. Retrahe, ait, manum tuam in ſinum tuum, Retraxit & protulit: & erat ſimilis carni reliquæ. Ille quẽ de mari mundi Dominus ad religionem aſſumpſit, manũ in ſinum mittit, quando in corde operationes ſuas diſcutit: *Simile.* *Exo. 4.*

in qui-

in quibus in principio lepram peccati reprehendit: ſed inſpectionem iſtam frequentando, tandem ad puritatem operum peruenit.

Quòd ad obtinendam diſciplinam valet pudor.

CAPVT IIII.

AD obtinendã diſciplinam etiã multum valet pudor. Quod patet per hoc, quòd Philoſophus deſcribens modeſtiã, quã dicimus eſſe idẽ quód diſciplinã, ait: Modeſtia eſt virtus, qua pudor honeſtatis purã & ſtabilem cõparat auctoritatẽ. Pudor qui eſt timor turpitudinis, vel fuga rei indecentis. Declinatio indecentiæ in exterioribus efficit ordinationẽ exteriorẽ, quæ modeſtia eſt: & ſic comparatur auctoritas ſeu grauitas pura non hominis ad mixtionem ſui contrarij, ſcilicet vilitatis & ſtabilitatis. Pudor enim qui eam efficit, ipſam ſeruat. Dicitur autem pudor hone

honeſtatis ad differentiam fatui pudoris, quo aliqui fatuè erubeſcunt, vnde gloriari deberent. Et notãdum quòd ſecundum Damaſcenum. Erubeſcentia eſt optima paſſio, & maximè in eo qui nouus & quaſi iuuenis eſt in religione. Philoſophus de quodam iuuene: Erubuit: ſalua res eſt. Seneca: Verecũndia in iuuene bonum ſignum eſt. Bernard. ſuper Cantic. Neſcio ſi quicquam gratius verecundia in moribus hominum deprehendi poſſit. Verecũdia omnium eſt ornatus ætatum: ſed in tenera ętate amplius pulchriusque eniteſcit. Quid amabilius verecundo adoleſcente? quàm pulchra hæc & ſplendida gẽma in vultu adoleſcentis: quàm vera & minimè dubia bonæ nuncia ſpei, bonæ indolis index. Quid ita turpiloquij & omnis deinceps turpitudinis fugitiuum? Idem: Verecundia ſpecialiter gratia eſt cõſcien-

Epiſt. 11. parũ à prin.

Serm. 86. in Cantic. paulo à princ.

Serm. 86. in Cantic.

inter prin. & mediū. tiæ,famæ cuſtos,vitæ decus,virtutis ſedes,virtutum primitię,naturæ laus inſigne totius honeſti.

Quid ad obtinendam diſciplinam valet obedientia.

CAPVT V.

pulchra de obedientia. OBedientia multum valet ad obtinendam diſciplinam. Qui ad religionem venit, debet habere voluntatem bonam,quaſi materiam totius religionis: quam patri ſpirituali locum Dei tenenti, formandam debet offerre. In lib. de Vita ſolitaria: *In tert. folio à princip. libri, apud Ber.* Quicunque voluntatem bonam habuerit,ſecum habet,quicquid ad bene viuendum opus eſt: quamuis bonæ voluntati non ſemper credere expedit:ſed frenanda & regenda eſt, & maximè in incipiente.Regat ſanctæ obedientię regula voluntatē bonam: illa verò corpus. Simplicitatis initiū aliquod habēs in ſeipſa creatura Dei hoc eſt, voluntatē ſimplicē & bonā, quaſi

quaſi futuri boni hominis informauit materiam : in primordio conuerſionis ſuæ auctori ſuo offert eam formandam. Item in eodem dicitur de nouo homine, quòd tanquam à figulo figmentum lege quadam mandatorum, & manibus alienis faciendus & formandus eſt, in omni patientia in rota volubilis obedientiæ. Qualis autem debeat eſſe eius obedientia, oſtenditur his verbis ibidem : Perfecta obedientia & maximè in incipiẽte eſt indiſcreta : hoc eſt, non diſcernere quid vel quare præcipiatur : ſed ad hoc tantum niti, vt fideliter & humiliter fiat, quod à maiore præcipitur. Lignum enim ſcientiæ boni & mali in paradiſo, eſt cenſura diſcretionis in conuerſatione religionis penes patrem ſpiritualem, qui diiudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur. Ipſius eſt diſcernere, aliorum obedire. Adam guſtauit ad malum

Eodem l. co.

Inter prin. & mediũ ib.

ſuum de ligno vetito: edoctus ab eo qui ſuggerẽs, ait: Quare pręcepit vobis Deus, vt de ligno non comederetis? Ecce diſcretio cur præceptum ſit. Et addidit: Sciebat quia qua die comederetis, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij. Ecce quid præceptum ſit, quod deos fieri non ſinat. Diſcreuit, comedit, inobediens factus eſt: & de paradiſo eiectus eſt. Sic & nouicium prudentem in congregatione durare, impoſſibile eſt. Stultus fiat, vt ſit ſapiens. Et hæc ſit omnis eius diſcretio, vt in hoc nulla ſit ei diſcretio. Hæc omnis ſapientia, vt in hac parte nulla ſit ei ſapientia. Et notandum eſt, quòd cum corpus natura debeat obedire ſpiritui, rectiꝰ ac tutius ſæpe obedit in altero, ſcilicet aliquo viro ſpirituali præcipiente: quam in ſemetipſo. Timendum eſt corpori regimen illius ſpiritus, qui tam frequenter illud malè rexit.

Suſpe

Suſpectum poteſt eſſe iudiciũ illius ſpiritus, qui amore nimis coniũctus eſt corpori. Bern. in lib. de cõſiderat. Amor vel odium veritatis neſcit iudicium. Obediẽtia talis à libidine vitiorum mentẽ purgat. 1. Pet. 1. Animas veſtras caſtificãtes in obedientia charitatis. Ipſa etiam virtutes inſerit & conſeruat. Gregorius: Sola obedientia virtus eſt, quæ cæteras virtutes inſerit: inſertasque cuſtodit. Obedientia non tam eſt virtus, quàm mater virtutum: vt dicit idem Gregorius: Et hęc de obediẽtia (quę ad obtinendam diſciplinam eſt maximè neceſſaria) ſufficiant dicta.

In tractat. de gradib. humilitatis, cap. Inquirimus.
Lib 35 mora cap. 12.

Quòd perſeuerantia valet ad obtinendam diſciplinam.

CAPVT VI.

PErſeuerantia in tali obedientia multum valet ad obtinendã perfectionem diſciplinæ. Humanum di-

Rom. 6. co, propter infirmitatem carnis veſtræ. Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Bern. in libro de vita ſolitaria: Audiat hoc hactenus amicum corporis ſui mancipium animalis homo, qui iam incipit corpus ſubdere ſpiritui, & adaptare ſemetipſum ad ea quæ Dei ſunt percipienda, & ad exuendam fœdæ ſeruitutis neceſſitatem, & contra carnis ſuę dominantem conſuetudinem ſe accingat: & neceſſitatem ſibi contra neceſſitatem faciat, & conſuetudinem, & affectum formet contra affectum: donec plenam mereatur accipere delectationem contra delectationem: vt delectationibus ſęculi ac carnis ſecundum conſilium Apoſtoli, ſaltem tantum delectet eum carere, quantũ primũ delectabat eas habere. Tantum

In 3ert. folio à princip. libri.

tũ delectet eũ de mẽbris corporis ſui ſeruire iuſtitię in ſanctificationẽ,quã tũ prius delectabat eũ ſeruire immũditiæ & iniquitati ad iniquitatẽ:Hæc eſt enim perfectio hominis animalis in ſuo ſtatu,vel nouitij incipiẽtis.Obedientia perſeuerãs nouitiũ ad perfectionem ſanctitatis adducit.In eodem libro: Remedia crebro mutata nocent: naturam turbant,ægrum diſterminant. Nam qui aliquo tendit, ſi vnam & rectam viam tenuerit,cito perueniet quo tendit:&itineris & laboris facit finem. Si verò multas aggreditur vias, errat: nec laboris aliquando facit finem: quia error non habet finem.Non ergo ſe mutet,nec aliud pro alio accipiat, ſed vſque ad terminum ſanitatis perfectę,medicinabilis obedientiæ remedio vtatur. Et notandũ quòd perſeuerantia quæ eſt continuitas boni, ſeu permanentia in bono diuturna vel finalis, eſt

In tert ſolio à princip.lib.

Simile.

valde magnæ efficaciæ, Robur enim addit. Seneca: Perſeuerandum eſt, & aſſiduo labore robur addendum. In libro de Vita ſolitaria: Ruſticus duros habet neruos, fortes lacertos. Exercitatio hoc facit. Sine ea enim, corpore molleſcet. Voluntas facit vſum, vſus exercitium, exercitium vires in omni labore ſubminiſtrat. Item perſeuerantia difficilia & aſpera, facilia & ſuauia facit. Bern. in epiſtolis: Subito procedenti de vmbra ad ſolem, de otio ad laborem, graue cernitur omne quod incipit: ſcilicet poſtquam ab his diſſueſcere, & ad illa ſe pauliſper aſſueſcere cœperit, vſus tollit difficultatem, inuenitque facile eſſe, quod impoſſibile ante putauit. Perſeuerantia imperfectum nihil relinquit. Seneca: Non deſpero indurato. Nihil eſt quod nõ impugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura. Videmus debiles mulieres ſenilis

In tert. folio à princ. libri.

Epiſt. 1. circa finem illius.

Epiſt 51. à medio habet aliquid

nilis ætatis,perſeuerando peregrinationes longas perficere. Item videmus naturam continuè operando ex modica nuce,additione imperceptibili magnam arborem efficere: & aquam quæ adeò mollis eſt, lapidem valde durum perſeueranti percuſſione excauare: Perſeuerantia in præſenti hoſtem vincit, & conſolationem accipit, ad quam qui non perſeuerat,non peruenit. Vincenti dabo mãna abſconditum. Homo remiſſus,in ſeruitute vitiorum remanet ſecũdum illud: Manus remiſſa tributis ſeruiet. Perſeuerãtia in futuro coronam apprehendit ſecundum illud: Vnus accipit brauium, ſcilicet perſeuerans. Bern. Scias diabolum ſoli ſemper perſeuerantiæ inſidiari, quam ſolam nouit coronari. Dictum eſt ſerpenti: Tu inſidiaberis calcaneo eius. Item Bern. Studete perſeuerantiæ, quæ ſola coronatur. Chryſoſtomus: Tol-

Apoc. 2.

Pro. 12.

1. Corin. 9.

Gen. 3.

Epiſt. 129. ad Ianuen.

le perſeuerantiam, obſeqnium mercedem non habet. Multum eſt vtilis perſeuerantia in bono,ſeu continuatio boni. Facit enim conſuetudinem, quæ eſt altera natura, & multum neceſſaria eſt. Multum noxia & valde timenda eſt perſeuerãtia in malo, quæ malam conſuetudinem facit: quæ eſt quaſi cathena ferrea, qua aliquis ligatur, & ligatus à diabolo tenetur. *Lib. 8. cap. 5. in princip.* Auguſt. in libro Confeſſionum: Suſpirabam ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea volũtate. Velle meum tenebat inimicus: & inde mihi cathenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate peruerſa facta eſt libido: & dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Prouerb. 5. Iniquitates ſuæ capiunt impium: & funibus peccatorum ſuorũ quiſque conſtringitur. In hoc ſeruit diabolo, qui peccat

quòd

quòd opere ſuo malo ſe diligat: & ligatum diabolo tradit ſe cruciandum. Difficile conſuetudo mala relinquitur, cùm ſit quaſi natura. Naturam pellas, furtim tamen vſque recurret. Prouerbium eſt: Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea. Hiere. 13. Si mutare poteſt Aethiops pellem ſuam, & Pardus varietates ſuas: & vos poteritis facere bonum, cùm didiceritis malum. In ſuſcitatione Lazari (quo figuratur qui aſſuetus eſt peccatis) infremuit Dominus, lachrymatus eſt, exclamauit: quia difficile ſurgit, quem moles prauæ conſuetudinis premit: vt dicit gloſſ. ſuper Ioan. 11. Conſuetudo mala eſt velut languor inueteratus, qui difficile curatur. Eccle. 10. Languor prolixior grauat medicum. Eiuſdem 18. Ante lãguorem adhibe medicinam. Seneca: Minus negotij haberet medicus,

Pro. 22.

Gloſſa ordin. ad illud Voce magna clam. Epiſt. circa medium.

cus, ſi ad recens vitium remedium adhiberetur. Non potuerunt diſcipuli expellere malignum ſpiritum à quodam, in quo fuerat ab infantia. Matt.9. Baſilius: Sicut non poteſt aliquis dediſcere linguam maternam, ſic vix longam peccati conſuetudinem. Conſuetudo mala eſt, ſicut gutta quæ ſubintrauit oſſa, quæ vix ex-

Iob 20. pellitur. Oſſa eius replebuntur vitiis adoleſcentię. Difficile reuocantur ad ſalutem, qui vi conſuetudinis trahuntur ad damnationem. Eos qui tra-

Pro.24. huntur ad interitum, liberare non ceſſes. Difficile eſt retinere equum, qui inchoauit curſum ſuum: ſic difficile eſt corrigere eum qui conſuetus

Hier.8. eſt malis. Nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo dicens. Quid feci? Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum quaſi equus impetu vadens in prælium.

Incipit

Incipit tertia pars, in qua agitur de quatuor partibus diſciplinæ. Primum capitul. de diſciplina in habitu, in quo oſtenditur, quid religioſus debeat cauere, & quid quærere.

CAPVT I.

SEquitur de partibus diſciplinæ. Hugo de ſancto Victore. Quatuor ſunt in quibus ſeruāda eſt diſciplina, ſcilicet in habitu, in geſtu, in locutione, & comeſtione. Cauēdum eſt ſeruo Dei, qui in religione eſt, ne humilitatem veſtium quā religio requirit, erubeſcat: & ne veſtibus malè placere quærat: vel ne ex eis apud homines gloriam affectet: & ne ſecundum prudētiam carnis carni ſuæ ſuauia procuret. Ad neceſſitatem veſtes habeat: quam determinat Bernard. loquēs de illo verbo Actuum 4. Diuidebant ſingulis, prout cuique opus erat.

In Apolog. ad Guilielmum Abbatem cap. penult.

tim.poſt medium. erat.hoc eſt,inquit, quantum ad indumentum,vt nuditatem tegeret: & frigus repelleret. Auguſtinus: Tibi pura veſtis circundetur: non ad pulchritudinem, ſed ad neceſſarium tegumentum:ne de exquiſitis veſtitus, *1 Tim.6.* alteram turpidinem aſſumas.Habentes alimenta,& quibus tegamur, his contenti ſumus. In religione humilitas veſtium eſt glorioſa, ſuperbia vero ignominioſa. Auguſtinus de ſe dixiſſe legitur: Fateor, de pretioſa veſte erubeſco.Non decet hanc profeſſionem, non decet hanc admonitionem, nec decet hæc membra, non decet hos canos. Tu ſcis quód *Heſter.14.* abominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ meæ. Non debet quærere ſeruus Dei corporalem ornatum, quo placeat mundo: ſed ſpiritualem, quo *In 3.regula capi.18.* placeat Deo. Auguſtinus in regula: Non affectetis veſtibus placere, ſed moribus. Confuſi ſunt, qui per tália homi

hominibus placent, quoniam Deus ſpreuit eos. Non debet etiam ex veſtibus gloriam quęrere. In veſtitu ne glorieris vnquam. Bernardus: Qui de veſte gloriatur, ſimilis eſt furi glorianti de cauterio: quia propter peccatum Adæ introductus eſt vſus veſtium. Non eſt glorioſus homini (cùm ſit creatura valde nobilis) ornatus, quem à vilibus creaturis (vtputa irrationalibus inanimatiſque) mendicat. Omnis gloria filiæ regis ab intus eſſe debet. Ornatus decet animam tanquam dominam: & non carnem, ancillam. Bernard. Magna abuſio & nimis magna dominam ancillari, & ancillam dominari. Superbus vult ornari exterius, humilis interius. Ioan. 6. Eum qui venit ad me, non eijciam foras. Gloſſ. Superbi eſt foras eijci, qui nihil habet in bono interiori: nec hic, nec in futuro. Bernard. Fuſi ſumus exterius,

Eccle. 11.

In medi-tat. cap. 2. à med.

Gloſſa ordina. ad aliud ad me veniet.

&

In Apolo ad Gulielmum Abbatem cap. penultim. poſt mediũ

& de regno Dei quod intra nos eſt, relictis veris & perennibus bonis, foris quærimus vanam conſolatio-nem de vanitatibus & inſaniis falſis: & iam religionis antiquæ non ſolum virtutem amiſimus, ſednec ſpeciem retinemus. Ecce ipſe habitus noſter, quod & dolens dico, qui & humilitatis ſolebat eſſe inſigne, à monachis noſtri temporis in ſignum portatur ſuperbiæ. Vix in noſtris prouinciis inuenimus, quo veſtiri dignemur. Miles & monachus ex eodem pãno, partiuntur ſibi cucullam & clamidem. Conſcientiæ & non carni procuranda eſt ſuauitas. Bern. Chriſtus qui non fallitur, elegit quod carni moleſtius: id ergo melius & magis eligendum eſt. Idem Memento quod aſperior cardo facit pannum leniorem, & conuerſatio conſcientiam.

Quòd

Quod 12. poſſunt eſſe reprehenſibilia in habitu.

CAPVT II.

ET notandũ quòd in habitu multa poſſunt eſſe reprehẽſibilia: de quibus 12. tãgere ſufficiat. Primum eſt nimia pretioſitas. Secundum eſt nimia ſubtilitas. Tertium mollicies. Quartum nimius nitor. Quintum cõpoſitio irreligioſa ſecundum ſęculi vanitatẽ. Sextũ indecens coaptatio, quæ attenditur in modo portandi. Septimum exquiſita extraneitas. Octauum immunditia. Nonum nimia breuitas. Decimũ nimia magnitudo. Vndecimum ſuperflua veſtium multitudo. Duodecimũ cùm periculoſè acquiſitus eſt habitus, ſcilicet vel cum peccato eius cuius eſt, vel cum peccato alterius. Aliqua horũ tangit Hugo de ſancto Victore his verbis: Amatores religionis plus debent hic amare veſtimenta vilia,

quàm prætioſa: plus groſſa quàm ſubtilia: plus aſpera quàm mollia: plus fuſca quàm nitida: plus neglectè quàm curatè compoſita vel adapta. In libro de Vita ſolitaria: Intentum interioribus ſuis animum magis decent omnia exteriora inculta & neglecta. Diligentia circa vanitatem exterioris ornatus, ſignum eſt negligentiæ circa interiorem ornatum. Bern. Non tantum curaretur corporis cultus, niſi prius neglecta fuiſſet mēs inculta virtutibus. Ornatus corporalis eſt impedimentum ornatus ſpiritualis. Cyprianus: Serico & purpura indutæ, Chriſtum induere non poſſunt: auro & margaritis & monilibus adornatæ, ornamenta cordis & pectoris perdiderunt. De pretioſitate veſtium dicit gloſ. ſuper illud Lucæ 16. qui induebatur purpura & byſſo: ſi cultus prætioſarum veſtium culpa non eſſet, ſermo Dei non tam vigi-

Circa medium libri & habetur apud Bernard.

In apolog. ad Gulielmum Abbatem cap. Dicitur à medio.

Gloſ. ord. ex Gregorio.

vigilanter exprimeret, quòd diues purpura & byſſo indutus apud inferos torqueretur. Gregor. Nemo pretioſa veſtimenta, niſi ad inanem gloriam quærit: videlicet, vt honorabilior cæteris videatur. Nemo vult ibi pretioſis veſtibus indui, vbi à nemine poteſt videri. Nolebat Apoſtolus mulieres in veſte pretioſa orare. Quid ergo faciendum viris? Mercator ſapiens torſellum etiam pretioſum vilibus operit: ex quo ſatis patet, quòd inſipiẽter agit, qui corpus vile pretioſis induit. Idem patet ex eo, quòd rex gloriæ in mundo veniens, in ſacco carnis noſtræ mortalis hominibus apparere voluit: de quo ipſe in Pſalmo ait patri ſuo: Concidiſti ſaccum meum. Cùm Deus ſpiritum pretioſum vili carne induerit, veriſimile eſt, quòd carnem vilem pretioſis indui noluerit. Veſtium ſubtilita-

Hom. 40. in Euang. ante medium.

Tim. 2.

tem in fratribus ſuis reprehēdit Bernard. his verbis. Quæritur ad induēdum, non quod vilius, ſed quod ſubtilius inueniatur: non quod frigus repellat, ſed quod ſuperbire compellat. Non denique iuxta regulam, quod vilius comparari poteſt, ſed quod venuſtius, imò vanius oſtentari poteſt. Idem de mollitie veſtium: Mollia, inquit, indumenta, animi mollitiem indicant. Non decent eos qui ad deſertum clauſtri cōfugerunt, indumenta mollia. Qui mollibus induuntur, in domibus regum ſunt. Et ſuper illud Matt. 3. ipſe Ioannes habebat veſtimenta de pilis camelorum. Dicit Gloſ. Seruus Dei non debet habere veſtimentum ad decorem vel ad delectationem, ſed tantum ad tegendum nuditatem. Non decet hominem virilem habere veſtem muliebrem. Hieron. Non tenera veſtis, ſed munditia mentis orna-

In Apolo. ad Guilielmum Abbatem in cap. dicitur à med.

Matth. 11.

Gloſ. ord. ibid.

ornatum facit clericum. Non indue- *Deut. 22.*
tur vir veſte fœminea. De nitore
qui attendi videtur in colore, &
de immunditia, dicit Seneca: Non *Epiſt. 5.*
ſplendeat toga nec ſordeat. Hiero- *pa-um à*
nymus: Ornatus & ſordes pari *princ.*
modo fugienda ſunt: qui alterum
delitias, alterum gloriam redolet.
Idem: Nec affectatæ ſordes, nec ex-
quiſitæ delitię laudem pariunt. Et de
Auguſtino legitur: Veſtimenta eius
& calceamenta, nec nitida nimium,
nec abiecta plurimum: Color natu-
ralis videtur congruere viris reli-
gioſis: Cùm iuxta verbum Aug. Ho-
mo implens mandatū euangelicum
de duabus tunicis, det vnam non ha-
benti. Sufficere debet homini men-
dicanti color qui ſufficit eleemoſinā
danti. De veſte extranea habetur.
Viſitabo ſuper omnes qui induti *Sopho 1.*
ſunt veſte peregrina. Longitudo ve-
ſtis nimia inſinuatur reprehēſibilis à

animarum. Alæ iſtæ intelligi poſſunt extremitates ſuperborum palliorum. His alis volatur in infernum,non in cœlum. In alis iſtis inuenitur duplex ſanguis. Sanguis pauperum , ſcilicet ſpolia eorum, ex quibus eſt veſtis illa , quæ iudicio ſcripturæ ſunt ſanguis & vita pauperum. Eccleſ. 34. Panis egentium vita pauperũ eſt:qui defraudat eum, homo ſanguinis eſt:. Alius ſanguis perſonæ , qui illud defert , ſciens illud eſſe de re iniuſtè acquiſita. Mors enim ſua,vt frequenter iacet ibi.

De diſciplina in geſtu.

CAPVT III.

EST autẽ geſtus,motus vel diſpoſitio membrorum corporis: & indicat corporis geſtus diſpoſitionẽ animi & motus, ſicut effectus cauſam. Bernardus: Ex cordis theſauro procedit quicquid foris apparet

In apolog. ad Gulielmum abbatem, in cap. dicitur. à med. viciosum. Vanum cor vanitatis notã ingerit corpori. Debet ſeruus Dei, & interius coram Deo, & exterius coram proximo indecentiam cauere. Seneca: Si continens es, etiam tui corporis motus obſerua: ne indècori ſint. Et notandum quod inter geſtus corporis aliqui ſunt reprehenſibiles: & aliqui commendabiles. De reprehenſibilibus verò octo modos tangere ſufficiat. Primus pertinet ad *Iſa. 3.* ſuperbiam, de quo habetur: Pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Syon, & am- *Prou. 6.* bulauerunt collo extento, &c. Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimũ deteſtatur anima eius: Oculos ſubli- *Iob 15.* mes. Cucurrit aduerſus Deum erecto collo. Secundus pertinet ad iracundiam. Cùm animus ira commotus eſt, cor accenſum ſtimulis iræ palpitat, corpus tremit, lingua præpeditur, facies igneſcit. Vnde verum eſt illud Poëtæ. Deprehendas animi tor-

tormenta latentis in ægro corpore. Tertius pertinet ad laſciuiam ſeu petulantiam. De quo habetur: Plaudebant & ambulabant pedibus ſuis, compoſito gradu incedebant, &c. *Iſa. 3.* Quartus pertinet ad pigritiam, & eſt cum nimia tarditate. Nimia tarditas miniſtri multum diſplicet Domino, ſecundum illud: Sicut acetum dentibus, & fumus oculis: ſic piger his qui miſerunt eum. *Prou. 10.* Moleſtat enim eos ſicut acetum dentes, & fumus oculos. De ſtercoribus boum lapidatus eſt piger, & omnis qui tetigerit eum, excutiat manus ſuas. *Eccl. 22.* E conuerſo velocitas ei multũ placet, ſecundum illud: Vidiſti virum velocem in opere ſuo: corã regibus ſtabit. *Prou. 22.* Quintus pertinet ad inconſtantiam, de quo habetur: Homo apoſtata vir inutilis, graditur ore, peruerſo terit pede, digito loquitur. *Prou. 6.* Sextus pertinet ad molliciem, quæ eſt nimia teneritudo,

ſiue impatientia rei duræ, de qua habetur Deuteronomio 28. Tenera mulier & delicata, quæ ſuper terram ingredi non valebat, nec pedibus veſtigium figere propter molliciem & teneritudinem, nimium inuidebat viro ſuo. Et Iſaias: Non vocaberis
Prou. 18. mollis & tenera. Qui mollis eſt & diſſolutus, frater eſt ſua opera diſſipantis. Mollis cedit duritiei, cùm in opere occurrerit, & illud non perficit. Diſſolutus, qui nullo amore ligatus eſt ad opus quod facit. Septimus pertinet ad negligentiam. In eo eſt negligentia, in quo deficit diligentia: qui non curat qualiter opus perficiat, vtrum bene vel male: ſed
Prou. 12. ſolum vt de illo ſe expediat. Multum decet, vt qui regi gloriæ miniſtrat, in miniſterio ſuo diligentiã habeat. Hæc eſt quæ Deum honorificat. Mulier diligens corona eſt viro ſuo. Anima enim diligens, ſponſum ſuũ Chri

Chriſtum honorat. Ad diligentiam monemur. Diligenter exerce agrum tuum. Octauus pertinet ad diſſolutionem, quæ eſt nimia timiditas: de qua. Væ diſſolutis corde, qui non credunt Deo, & ideo non protegentur ab eo. *Prou.24.* *Eccl.2.*

De geſtu commendabili.

SEquitur de geſtu commendabili, quem Hugo de ſancto Victore notificat his verbis: Primum diligēter obſeruandũ eſt, vt ſingula mēbra ſuum teneant officium: nec vſurpent alienum. Deinde vt vnumquodque ſuum opus tam decenter ac modeſtè impleat, vt per diſciplinam oculos inſpicientium non offendat. Item diſcretio actionũ in membris obſeruãda eſt, vt ſcilicet id agat vnumquodque membrorũ, ad quod factum eſt, vt nec loquatur manus, nec os audiat, nec oculus linguæ officium aſſumat. *In tract. de nouit. inſtru. cap. 12. à med.*

ſumat. Sunt quidam, qui neſciunt auſcultare, niſi buccis patentibus. Alij loquentes digitum extendunt, ſupercilia erigunt, aut oculos rotantes, aut profunda ponderatione defigentes cuiuſdam intrinſecus magnificentiæ conatus oſtendunt. Alij caput iactant, comam excutiunt, veſtimenta adaptando componunt, & latera cubitando pedéſque extēdendo ridiculam ſatis oſtentationis formam fingunt. Alij quaſi ambæ aures ad audiendum factæ non ſint, alteram tantum collo detorto voci venienti opponunt. Alij nauigant brachiis incedentes: & duplici quodam monſtro vno & eodem tempore pedibus deorſum in terra ambulant: & lacertis ſurſum in aëre volant. Quid eſt, quæſo, monſtrum hoc, quod ſimul in ſe fingit hominis inceſſum, & nauis remigium, & auis volatum. Prima igitur cuſtodia diſciplinæ

plinæ in geſtu eſt, vt vnumquodque membrorum in eo officio, ad quod creatum eſt, ſe contineat: vt id quod facit, eo modo faciat, quod faciendum eſt: nec plus, nec minus, nec aliter. Et vt in paucis exemplificemus: Ridere debet ſine apertione dentium, videre ſine defixione oculorum, loqui ſine extenſione manuum, & extenſione digitorum, incedere ſine ventilatione brachiorũ, & ſine geſticulatione ſcapularum, ſedere ſine alterutra ſuperiectione pedum: ſine extenſione vel agitatione tibiarum, & ſine accubatione laterum.

De diſciplina in riſu.

CAPVT IIII.

ET notandũ quod virum religioſum multum decet, vt diſciplinã ſeruet in riſu. Quis riſus ſit reprehẽſibilis, oſtendit Seneca his verbis: Miſcebis interdũ in ſociis iocos, ſed tempe-

temperatos: & ſine detrimento dignationis & verecundię. Nam reprehenſibilis riſus eſt, ſi immodicus, ſi pueriliter effuſus: ſi muliebriter fractus. Odibilem hominem facit riſus aut ſuperbus & elatus: aut malignus & furtiuus, aut alienis malis euocatus. Idē: Riſus ſit ſine cachinno. Luctus in hac valle lachrymarum debet eſſe frequens & multus: riſus verò rarus & modicus. Ad hoc monemur exēplo Chriſti, de cuius luctu habetur in multis locis ſacræ ſcripturæ: ſcilicet Lucæ 19. Ioao. 22. Hebr. 5. De riſu verò eius in hac vita præſenti nuſquam legimus. Riſus habet maledictionem eius. Vę vobis
Luc. 6. qui nunc ridetis. Luctus verò habet eius benedictionem. Beati qui lugēt.
Mat. 5. Inter riſum diſciplinatum & indiſciplinatum diſtinguitur. Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam: vir autem
Eccl. 21. ſapiens vix tacitè ridebit. Riſus indiſci-

diſciplinatus eſt velut ebulitio ſtultitię. Os fatuorum ebulit ſtultitiam. *Prou. 15.*
Eſt etiam velut ſonitus ſpinarum in igne. Sicut ſonitus ſpinarum crepitantium ſub olla, ſic riſus ſtulti. *Eccl. 7.*
Riſus indiſciplinatus aliquando eſt inuidię, aliquando perfidię, aliquãdo inſanię. De primo dicit Poeta: Riſus abeſt, niſi quem viſi fecere dolores. De ſecundo dicitur: quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus. De tertio Auguſtinus: Malunt ſapientes ſe gerere ſanos lugentes, quàm freneticos ridentes. *Prou. 10.*

De diſciplina & locutione. Et primo quod cuſtodia oris eſt cuſtodia animæ.

CAPVT V.

NOtandum quòd maximè eſt neceſſaria oris diſciplina: eò quòd ex oris cuſtodia fit cuſtodia cordis. In cuſtodia oris pro magna parte eſt cuſtodia cordis. Qui cuſtodit os ſuũ, *Prou. 31.*
cu-

cuſtodit animam ſuam. Os eſt quaſi porta hominis. Vnde cuſtodia oris tam neceſſaria eſt in homine, ſicut in caſtro cuſtodia portæ. Vnde quando aliquis habet caſtrū, ſimplicem habens murū, ad portam habet turrim: ſic cuſtodia oris eſt cuſtodia animæ. Valet etiā cuſtodia oculorū ad cuſtodiam cordis: quia frequenter per oculos mors intrat in animam. Sic intrauit ad animam matris noſtræ

Gen. 3. Euę. Videns enim quòd bonū eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectúque delectabile, tulit de fructu eius & comedit. Simile accidit in Dauid, cui aſpectus mulieris, occaſio fuit adulterij & homi-

2. Reg. 11. cidij. Cuſtodia etiam aurium valet ad cuſtodiam animę. Frequenter enim per aures mors intrat ad animā. Hie. 9. Intrauit mors per feneſtras noſtras. Auriū portæ ſunt multū timendæ, & diligenter cuſtodiendæ:

cùm

cùm ſint ſemper apertæ. Vnde ſepiẽdæ ſunt ſecundum illud: Sepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire. Aures ſepiuntur cùm oſtentatione triſtis faciei detractor repellitur. Ventus aquilo diſſipat pluuias; & facies triſtis linguam detrahentem. Hieronymus: Nemo inuito auditorio libenter aliquid narrat. Præcipuè ad cuſtodiam cordis valet cuſtodia oris: quia non ſolùm nocent animæ quæ per os intrant, ſed etiam quæ ex ore exeunt, ſecundum illud: Quæ de ore procedunt, & de corde exeunt, ea coinquinant hominem. Habet os duo officia, ſcilicet officium ſumendi cibum & potum toti corpori: & officium loquendi. Vtrobique verò poteſt accidere periculum. Quantum ad primum, maius periculum eſt, ſi cuſtodia oris negligatur, quàm oculorum: quia per oculos intrant rerum ſimilitudines;

Eccle. 28.

Pro. 25.

Matt. 15.

per os verò ipſæ res manſuræ corpori viuenti, quæ hominem multum immutant. Vnde qui cuſtodit os ſuum, quantum ad ſumptionem cibi & potûs, cuſtodit animam ſuam: quia cuſtodit vitam naturæ & gratiæ. Vitam naturæ: quia hoc multum valet ad ſanitatem. Eccleſ. 37. Qui abſtinens eſt, adiiciet vitam. In eodem: In multis eſcis erit infirmitas. Valet etiam ad cuſtodiendam vitam gratiæ. Sobrietatem enim comitatur continentia. Vnde ſuper Matth. 4. capitulo dicit gloſſa: Diabolus victus de gula, non temptat de libidine. Si temptetur aliquis de ira, vel luxuria, vel loquacitate, poſt exceſſum in cibo & potu, facilè acquieſcit: non ſic eſt, ſi ſobrietatem ſeruauerit. Cuſtodiendum eſt os à cibis & potibus, quaſi proditoribus: qui quanto cum maiori gaudio recipiuntur, tanto plus nocent. Prouerb. 23.

Gloſſ. ord. ſuper illud: Hæc omnia tibi dabo.

Dicitur

Dicitur de vino: Ingreditur blandè, & in fine mordebit vt coluber. Seneca: Voluptates inter res viliſſimas præcipuè extirpa, quæ more latronũ in hoc nos amplectũtur vt iugulent. *Epiſt.51 in fine.*

Cuſtodia verò oris quantum ad locutionem, ſpecialiter valet ad cuſtodiam animæ. & pro illa ſpecialiter videtur dixiſſe Salomon illud verbum: Qui cuſtodit os ſuum, &c. Vnde ſubdit: Qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala. Loquentem inconſideratè ſequuntur hæc mala. Primò, conſcientiæ remorſio, Qui multis vtitur verbis, lædit animam ſuã. *Ecc.20.* Secundo, gratiæ euacuatio. Sapiens in verbis amabilem ſe reddit, gratiæ autem fatuorum effundentur. *Ecc.20.* Tertiò, confuſio. Os ſtulti confuſioni proximum eſt. *Pro.10.* Impius confundit, & confundetur: *Ibidem.* In futuro vero damnatio. Mors & vita in manibus linguæ. *Ibidem.*

Secunda pars huius Capit. Quod magnæ diligentia eſt adhibenda in cuſtodia linguæ quadruplici ratione.

QVadruplici ratione magna diligentia eſt adhibenda circa cuſtodiam linguæ. Primò, quia eius cuſtodia eſt valdè difficilis. Secundò, quia eſt valde vtilis. Tertiò, quia valde indecens eſt circa eius cuſtodiam negligentia. Quartò, quia hæc negligentia eſt valde periculoſa. Difficultatem cuſtodiendi linguam, primo oſtendit nobis natura, quæ linguam incluſit, ſicut ſolent includi crudelia animalia, & indomita ne noceat.

Secundò, ſcriptura. In Pſalm. Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtiũ circunſtantiæ labiis meis. Propter difficultatem cuſtodiendi linguam rogat Dauid Dominum de
Pro. 19. eius cuſtodia. Domini eſt gubernare linguam.

linguam. Non ſufficit ad hoc virtus vel diſcretio humana. Quis dabit ori meo cuſtodiam. Ori tuo facito oſtia, vt ſcilicet poſſit cuſtodiri lingua. Omnis natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentum, & cæterorum domatur, & domita eſt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare poteſt. Et ſubditur: Eſt enim inquietum malum. Vtilis eſt valde cuſtodia linguæ. Si enim lingua debito modo regatur, de fructu eius poteſt homo ditari. De fructu oris ſui vnuſquiſq; repleſbitur bonis. Pretioſi fructus linguæ, quam Spiritus ſanctus regit, qui in ſpecie linguæ apparere voluit, ſunt modeſtia in loquendo, oratio, Dei laudatio, gratiarum actio, peccatorũ confeſſio, proximi eruditio, & conſolatio. Linguæ vtilitatem oſtendit Salomon, dicens: vena vitæ os iuſti. Sermo eſt inſtrumentum ſapientiæ: circa quòd inten-

Ecc 22. Eiuſd. 28. Iac 3. Pro. 12. Fructus linguæ. Pro 10. Pro 10.

dũt tres magnæ ſcientiæ: ſcilicet grã-
matica, logica, & rethorica. Et circa
idem pro magna parte intendit diui-
na ſcientia. Magnum reputatur ſcire
ea quæ tres dictæ ſcientiæ circa ſer-
monem attendũt: ſed valde magnum
eſt ſeruare ea quæ in ſermone diuina
Iacob.3. ſciẽtia requirit. Si quis in verbo non
Pro.10. offendit, hic perfectus eſt vir. Qui
moderatur labia ſua, prudentiſſimus
eſt, non ſolum prudens vel pruden-
tior. Sermône perpenditur, an ali-
Eccle.4. quis ſit ſapiens. In lingua, ſapientia
Eiuſdẽ 27. dignoſcitur. Ante ſermonem non
laudes virum. Hæc enim tentatio eſt
hominum. Hiero. In pondere ver-
borum, probatio exiſtit humanæ vi-
tæ. Valde indecens eſt, cum cuſto-
dia linguæ negligitur: & lingua in-
quinationi exponitur. Lingua enim
eſt nobile membrum: rationis orga-
num ſpeciale. In quo membro ho-
mo ſpecialiter eſt honoratus à Deo,
quod

quod ſpecialiter deputatum eſt diuino officio, electum ſpecialiter à ſpiritu ſancto: quo ſit inſtrumentum ſapientiæ & gratiæ, ſcilicet ſermo. Valde ſeruandum eſt ab inquinatione os humanum, & quantum ad labia, & quantum ad linguam. Indecens eſt valde ibi immunditia propter eius nobilitatem. Qui ore ſuo ab inquinatione non parcit, ab homine quaſi degenerauit: & in porcum tranſiit. Porcus non plus parcit ori ab inquinatione quàm pedi, vbi ponit pedem ponit & os. Lingua quãtum ad vſum loquelæ naturaliter eſt organum rationis: nec inuenitur naturaliter quãtum ad vſum iſtum, niſi in habente rationem, ideo à ratione regi debet, & ad eius imperium in actum ſuum exire. Cùm ad iumentum non pertineat loquela, iuſtè poſſet illi Dominus loquelam auferre, qui vt iumentũ factus eſt: & ratione linguã ſuam *Simile.*

non regit. Cùm in membro iſto homo præ omnibus creaturis ſit honoratus à Deo, valde ingratus eſt, ſi eo Deum inhonorat. Creaturæ irrationabiles vt aues lingua ſua Deũ laudando honorãt, vnde multum poteſt offendi Deus, videns ſe ſola lingua humana inhonorari: à qua maximè debuit honorari. Lingua deputata eſt diuino officio. Ea enim homo Deum orat & laudat. Quia illa Deus oratur multum cauendum eſt, ne illa Deus offendatur: quia (vt ait Gregor.) cùm is diſplicet, qui ad interpellandum mittitur: irati animus ad deteriora prouocatur. Et quia Deus ea laudatur, à peccato ſeruanda eſt: quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Cùm electa ſit à Spiritu ſancto: non debet ſeruire ſpiritui maligno. Sermo eſt inſtrumentum ſapientiæ. Sapientia eſt in corde quaſi in quiete: in ſermone verò quaſi in vehiculo. Per

In Paſtorali prima part. ca. 11.

Eccl. 15.

Per ſermonem enim quaſi transfertur de vno in alterum. Etiam eſt quaſi gratiæ vehiculum: quia per ſermonem datur audiēti gratia. Omnis ſermo malus de ore veſtro non procedat, ſed ſi quis eſt, ad ędificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Vnde verba Chriſti dicuntur verba gratiæ. Mirabantur omnes in verbis gratiæ, quæ procedebāt de ore Dei. Negligentia circa cuſtodiam linguæ valde periculoſa eſt. Multum enim nocet ſi nō cuſtodiatur. Vnde dicitur de ipſa, quod eſt inquietum malum plenū veneno mortifero. Et ibidem dicitur: Lingua noſtra ignis, vniuerſitas iniquitatis. Gloſſa: Vniuerſitas, quia per eam ferè cunčta facinora, aut cōtinuantur, vt latrocinia, ſtupra: aut patrantur, vt periuria, falſa teſtimonia: aut defendūtur, vt cum quilibet ſcelus excuſat quod commiſit. Nocet lingua ei qui loquitur eua-

Eph. 4. *Luc. 2.* *Iac. 3.* *Gloſſ. ordi. ibi.*

In ſer. de triplici cuſtodia, ſcilicet manus, linguæ, cordis. cuando mentem eius bonis. Bernar. Leuis res eſt ſermo: ſed grauiter vulnerat: aptiſſimum euacuandis cordibus inſtrumentum. Eccle. 28. Multi ceciderunt in ore gladij: ſed non ſic quaſi qui interierũt per linguã ſuam. In eodem: Flagelli plaga liuorem facit: plaga autem linguæ comminuet oſſa. Nocet lingua audienti. Bernard.

Ser. 24 in cant paulò ante medium. Vnus eſt qui loquitur, & tantũ vnum verbum profert: & tamen vnum verbum vno momento, multitudinis audientium aures dum inficit, animas interficit. Nocet his de quibus loquitur etiam valde remotis: vt lingua eius qui eſt in Galia, nocet ei qui eſt vltra mare, vel in Hiſpania, dum eum infamat. Imo lingua eius qui eſt in terra, nocet ei qui eſt in cœlo: dũ Deum blaſphemat. In Pſal. Poſuerũt in cœlum os ſuum, &c. Et notandum quod cũ homo cõſtet ex corpore & ſpiritu, ſermo qui eſt eius inſtrumentum,

tum habet aliquid quaſi corporale, ſcilicet vocem:& aliquid quaſi ſpirituale, ſcilicet ſignificationẽ: ratione cuius attingit non ſolum creaturam, ſed etiam creatorem, qui ſermone oratur, laudatur, vel blaſphematur. Item attingit ſpiritum creatum. Sermone enim, voluntas vnius ſpiritus alteri manifeſtatur. Item attingit nõ ſolum præſentia, ſed etiam pręterita & futura. & non ſolum propinqua, ſed etiam remota: ideo multum poteſt nocere. Vna mala lingua, ſcilicet vnius mali cõſiliarij deſtruit patriam vnam. Dicitur de lingua tertia. Ciuitates muratas diuitum deſtruxit. *Eccle 28.*

Tertia pars huius capituli, quæ ſunt attendenda in locutione, diſtinctum explanat.

AD diſciplinam linguæ pertinet attendere, quis loquitur,& cui, & de quo,& quid, & vbi, & quando, & quo modo. Circa primum inſtruit

In trac. de inſtruct. nouitiorũ, cap.13.

ſtruit Hugo de ſancto Victore his verbis. Qualitas perſonarũ quatuor modis conſideratur: ſcilicet ſecundum ętatem, ſecundum ſcientiam, ſecundum officium, & ſecundum conditionem. Secundum ætatem: quia aliud cõuenit locutionibus ſenum, aliud locutionibus iuuenũ. Secundum ſcientiam: quia aliud conuenit locutionibus ſapientum, & aliud locutionibus ſimplicium. Secũdum officiũ: quia aliud cõuenit locutionibus eorum qui negocia terrena tractant: & aliud locutionibus eorũ qui ſanctioris vitæ, quieti, & ſtudio contemplationis inuigilãt. Secũdum conditionem: quia aliud conuenit locutionibus eorum, qui ſunt prælati: & aliud locutionibus eorũ qui ſunt ſubditi. Senes debẽt loqui de diſcretione bene cõſulendi, iuuenes de inſtantia bene faciendi. Sapientes de myſteriis ſcripturarum: ſimplices vero de exẽ-

plis

pliſ bonorum operum. Hi qui tractant exteriora negocia, de ſolertia acquirẽdi: hi qui quietam vitam ducunt de diſciplina bene viuendi. Prælati de diuiſione & prouiſione rerum, ſubiecti de obedientia præceptorũ. Circa idem inſtruimur: Non decent ſtultum verba compoſita. Non eſt ſpecioſa in ore ſtulti parabola. Item. Quomodo pulchras fruſtra habet claudus tibias: ſic indecens eſt in ore ſtulti parabola. Et intelligas ſtultum, non ſolum cui deeſt ſcientia: ſed etiã cui deeſt bona vita. Circa ſecundum, ſcilicet ſecundum perſonam cui loquimur, inſtruit Hugo de S. Victore his verbis: Boni prauorum colloquia aliquando appetere, aliquando vitare debent. Appetere, quando ſua exhortatione illos ſperant poſſe corrigi: & de ſua ſtabilitate confidunt, vt non timeant de eorum ſuggeſtione praua corrumpi. Quando vero & illorum

Pro. 17.
Eccle. 20.
Pro. 26.

In trac. de inſtruct. nouitiorũ. ca. 14.

illorum duritiam, & ſuam infirmitatem conſiderant: expedit eis vt fugiant: ne dum illos non valent ſuis admonitionibus corrigere, paulatim incipiant ipſi ad prauitatem illorum declinare. Cùm ergo propter noſtrã ædificationẽ loquimur, cum illis loquamur, quorum doctrina poſſumus ad virtutem inſtrui. Cum autẽ loquimur propter ædificationem proximi, cum illis loquamur, quos ſperamus per noſtram exhortationem à prauitate ſua poſſe emendari: alioquin & ſapientes velle docere, ſuperbia eſt: & obſtinatos corripere, inſipiẽtia. Circa illud inſtruimur: In auribus inſipientium ne loquaris: quia deſpicient doctrinã eloquij tui. Noli arguere deriſorem. Cum ſtulto ne multum loquaris. Nolite ſanctũ dare canibus: neque mittatis margaritas veſtras ante porcos. Canes ſunt detractores, porci contemptores. Loquens

Pro. 23.
Ibid. 9.
Eccle. 21.
Matt. 7.

quens cum illo, quem ſperat exhortatione ſua poſſe corrigi, inſtruitur ab Hugone de S. Victore his verbis: Id profecto mai⁹ dici cõuenit, quod ad illud in quo tempore plus laborat malum ſanandum, conſilio commodiori occurrit. Verbi gratia. Quando conſtantiam laudare volumus, ad puſillanimes, non ad ſuperbos ſermonẽ noſtrũ dirigere debemus: quia cum vicium ſuperbiæ nonnumquam ſub prætextu conſtantiæ ſe contegat, ſi ſuperbis cœperimus laudare conſtãtiam dum eos ad virtutẽ hortari credimus, amplius eos in ſuo vitio confirmamus. Exhortemur ergo ad conſtantiam timidos, ad timorem ſuperbos, ad frugalitatem prodigos, & ad liberalitatem auaros. Similis inſtructio habetur: Cum viro irreligioſo tracta de ſanctitate, & cum iniuſto de iuſtitia. Admonitio debet eſſe ſecundum defectum gratiæ, quem ha-

In tract. de inſtruc. nouitiorũ, cap. 14. à medium.

Eccle. 37.

In prologo 3. prin. in paſto in medio.

bet ille quem admonemus. Item ſecundum capacitatem auditorum, formandus eſt ſermo doctorum: vt dicit Greg. Et hoc non ſolum quãtum ad ſublimitatem vel ſubtilitatem doctrinæ ſed etiam quantum ad prolixitatẽ. Aliqui minus capacibus tot & tanta dicere volunt, quod nihil retinent. Ipſi volũt ponere doliũ vnum vini in lagenã vnam, vel cyphum vnũ. Attendere debet etiam qui loquitur, vt ſermo eius materiæ congruat: Senec. Viciosum eſt in re ſeria delicatum inferre ſermonem. Nõ decet etiã cum de diuinis loquimur vt exẽmplis vilibus vtamur. Reprehẽſibile eſt etiã circa paruam negligentiã nimiũ zelum oſtendere. Aliqui quęrũt enſem ad muſcã occidendam, & ſecurim ad ouũ frangendum. Tales ſunt qui erga modicã neglĩgẽtiam ita mouẽtur, ac ſi eſſet magnũ peccatũ: quod nõ debet fieri, maximè cũ hoc facile poteſt

corrigi,

corrigi. Circa quartũ ſcilicet id quòd dicendũ eſt, inſtruimur: Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat: ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiã audientibus. Semper veſter ſermo in gratia ſit ſale cõditus. Benedictus in regula ſua, Scurrilitates vel verba ocioſa, & ad riſum mouentia æterna clauſura in omnibus locis damnamus: & ad tale eloquium diſcipulum os aperire nõ permittimus. Ber. in libro de cõſideratione: Inter ſæculares nugæ ſunt nugæ: in ore ſacerdotum blaſphemiæ. Interdum ſi incidant, ferendæ fortaſſe, referendæ nunquam. Conſecraſti os tuum Euangelio: iam talibus aperire illi citum eſt, aſſueſcere ſacrilegium. Idem: Verbum ſcurrile quod faceti vrbaníve nomine colorant, non ſufficit peregrinari ab ore: etiam ab aure relegandũ eſt. Fede ad cachynnos moueris: fedius moues.

Eph. 4. *Coll. 4.*

Cap. 6. in fine illius.

Lib. 2. pau lò à fine illius.

Eccl. 5. Tacendum eſſe etiam propter defectum intelligentiæ oſtenditur. Si eſt tibi intellectus, reſponde proximo tuo: ſin autem, ſit manus tua ſuper os tuum: ne capiaris verbo indiſciplinato. Propter reuerentiam auditorum tacendum eſſe etiam oſtenditur. *Eccl. 11.* In medio ſeniorum ne adiicias loqui. Quòd propter obſtinationem maliciæ ſit tacendum, oſtenſum eſt prius. *In tracta. de inſtructione nouit. c. 17. in princ.* Circa modum loquendi inſtruit Hugo de ſancto Victore his verbis: Modus loquendi in tribus conſiſtit: hoc eſt, quo geſtu, quo ſono, qua ſignificatione quid dicatur. Diſciplina iubet vt loquẽtis ſit modeſtus geſtus & humilis, ſonus demiſſus & ſuauis, ſignificatio vera & dulcis. Modeſtiam debet habere geſtus loquẽtis, vt nec inordinatè, nec impudicè, nec turbulentè inter loquendum membra moueat: aut aliqua indecenti conformatione, aut tranſ-

tranſmutatione vultus, prolationem ſui ſermonis imminuat. Humilis debet eſſe geſtus loquentis, vt apud auditores gratiam ſermo eius inueniat. Sonus loquẽtis, debet eſſe demiſſus: ne ſtrepitu aut immoderata clamoſitate auditores ſuos aut iniuſtè terreat, aut iuſtè offendat. Porrò detrahere vel detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, nõ facile dixerim. Seneca. Sermones vtiles magis quàm facetos, &c. affabiles ama: rectos potius quàm obſecundantes. Idẽ, Si tempus iocos exigit, hos cum dignitate ſapientię gere. Nõ erit tibi ſcurrilitas, ſed grata vrbanitas. Sales tui ſine dente ſint: ioci tui ſine vilitate. Idẽ, Non ſis aliorũ curioſus ſerutator, neque acerbus reprehẽſor: ſed ſine reprehẽſione & exprobratione correptor: ita vt ammonitionem hilaritate præuenias: & errori facile veniam dato: nec extollas quenquam

nec deiicias. Requirenti facile reſpóde, contendenti facile cede: nec in iurgia detractionéſque deſcendas. Idem: Rari ſermonis ſis ipſe, ſed loquenti nõ impatiens, nõ ſeuerus ſis, ſed hilaris, non aſpernans. Circa locum vbi loqui debemus, inſtruit Hugo de ſancto Victore his verbis: Cùm aliquid dicere volumus, prius vbi illud dicere conueniat cõſideremus. Nam quædam ſunt loca, vbi ſilentium ſeruandum eſt: quædam verò in quibus humanos ſermones, id eſt, confabulationes edere ad alterutrum non licet: exceptis his verbis, quibus homo cum Deo, vel ad Deũ loquitur, quando in orationibus vel in lectionibus, ſiue in hymnis & canticis, manifeſtè vel occultè prolatis Deo famulatur. Vnde & beatus Aug. in regula: in oratorio nihil agẽdum eſſe dicit: præter id ad quod factum eſt. Et intelligit illud Aug. in ora-

In tracta. de inſtru. nouitiorũ, cap. 15. in prin.

In 3. regula non procul à prin.

oratorio nemo aliquid agat, niſi ad
quod factũ eſt: nõ ſolũ de opere, ſed
etiã de locutione. Itẽ Hugo. Non de-
bemus ea quæ ſunt pluribus dicen-
da, in occulto edere: nec ea quæ ſunt
paucis reuelanda, in manifeſto pro-
palare. Sapiens: Quidã ea quæ ſolis *Seneca*
amicis cõmittenda eſſent, his quos *epiſt.3.à*
habuerunt obuiã, narrant. Non poſ- *medio.* *Eccl.19.*
ſunt aliqui auditũ verbum tenere. Sa-
gitta infixa femori canis: ſic verbum
in ore ſtulti. In eodem: A facie verbi
parturit fatuus. parturiens non quie- *Simile.*
ſcit donec partũ emiſerit: nec fatuus
donec verbũ protulerit. Attendendũ
eſt etiã tẽpus loquendi. Sermo opor-
tunus eſt optimus. Mala aurea in le- *Prou.15.*
ctis argenteis, qui loquitur verbũ in *Ibid.25.*
tẽpore ſuo. Homo ſapiens tacebit *Eccl 20.* *Ibid*
vſque ad tẽpus. Ex ore fatui repro- *Eccl.3.*
babitur parabola, quia nõ dicit illam *In tracta.*
in tẽpore ſuo. Tẽpus tacẽdi & tẽpus *de nouit o-* *rum, inſtr.*
loquendi. Hugo de ſancto Victore: *cap 16.* *tom 2.*

Tepus tacendi, tẽpus loquendi pręcedere debet: quia prius per ſilentiũ tempus tacẽdi diſcitur: quod poſtea per verbũ tempore loquendi proferatur. Aliquando debemus tacere, quia alter prior cepit loqui: ne fortè ſi ſermonẽ verborum noſtrorũ prolatione interrumpimus, & eum qui loquitur, & eos qui audiunt pariter offendamus. Aliquando tacendũ eſt: quia ad id quod dicere volumus, animos auditorũ paratos adhuc nõ eſſe cõſideramus. Aliquando tacendũ eſt propter multiloquiũ vitandum, vel quia ipſi qui locuturi ſumus, nondũ apud noſmetipſos congruã loquendi formam inuenimus, quia profectò animus auditorũ magis offenditur, ſi ſermo qui ædificare debet, confuſus & inordinatus proferatur. Aliquando tacendũ eſt: quia hi qui præſentes habentur, nequaquam tales ſunt, ad quos verbũ debeamus facere.

re.

re.Quod duobus modis fieri poteſt: ſcilicet vel dum reuerentia dignitati perſonæ impenditur: vel dum malitia incorrigibilis, & ideo indigna ammonitione exiſtimatur.Et ſubdit quod ſermonẽ eorũ qui priores nobis cœperunt loqui, non debeamus interrumpere, oſtendit Iob:qui cùm de diſciplina ſua & illorũ reuerentia erga ſe loqueretur, inter cætera ſic ait: Qui me audiebant:expectabant ſententiam meam:& intenti tacebãt ad conſilium meum, &c. Sæpe propter infirmitatem auditorum tacendum eſt, vt Dominus ſuo exemplo docet: qui cùm Apoſtolos ſuos adhuc imbecilles,& ad ſublimioris doctrinę eruditionẽ imparatos aſpiceret,ait:Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed nõ poteſtis portare modò. Multiloquium timendũ eſſe inſinuat Salomon, dicens: In multiloquio non deerit peccatum.qui autem mo-

Iob 29.

Ioan. 16.

Prou. 10.

deratur labia ſua, prudentiſſimus eſt.
Iſa. 42. Vnde de Chriſto legitur: Non clamabit. Seneca. Vox ſit ſine clamore. Suauis debet eſſe: ne prolationis aſperitate tanto fiat animus audientium oneroſior, quantò ad aures durior venit & iniucundior. Significatio, id eſt, ſententia ſermonis debet eſſe vera. Aug. in libro de doctrina Chriſtiana: Minus intelligantur, minus placeant, minus moueant quæ dicantur: vera tamen dicantur & iuſta. Hugo de ſancto Victore: Cũ veritate neceſſe eſt vt ſermo loquentis dulcedinem habeat: quia ſæpe etiam veritas auditori amara efficitur, ſi aut ſine ratione, aut ſine dilectione, hoc eſt, ſi vel importunè vel impiè contra eum proferatur. Verbũ dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. qui ſapiens eſt corde, appellabitur prudens: qui dulcis eſt eloquio, maiora reperiet. Magis enim

In tracta. de inſtru. nouitiorũ, cap. 17. circa mediũ.
Eccl. 6.
Ibid. 16.

enim proficiunt,qui habēt dulcedinem linguæ, quàm qui habent magnam ſapientiam in corde: Et notādum quòd ſermo noſter debet eſſe purus. Purus ſermo pulcherrimus firmabitur à Domino. Purus debet eſſe à falſitate,purus à noxietate proximi,& purus à contumelia Dei.

In quarta parte huius capituli, quatuor quæ multum ad linguæ cuſtodiam valent,enumerantur.

QVatuor ſunt,quæ multū valere poſſunt ad linguæ cuſtodiam. Primū eſt,quod ante portā oris barræ ponantur. Secundum eſt,vt porta oris raró aperiatur. Tertium eſt, vt aperta porta citò claudatur.Quartū, vt in ea clauis habeatur.Quaſi barræ ante portam oris ſunt firma propoſita declinandi illas perſonas, cum quibus per linguā peccare ſolemus, vel loca illa in quibus habemus oc-

caſionem peccandi per linguam. Vel tenendi ſilentium in illis horis, in quibus homo facilius per linguā labitur: vt eſt hora poſt ſumptionē cibi & potus, & alia ſimilia propoſita ſalubria, valentia ad cuſtodiam linguæ. De his barris habetur: Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma, & iudicia quaſi vectes vrbium. Propoſita ex iudicio rationis facta ſunt quaſi vectes vel quaſi barræ. Raro aperienda eſt porta oris, & cito claudenda. Sapiens: Ad ſummam perfectionem te volo eſſe breuiloquum, rariloquum, & ſubmiſſa voce loquentem. Sit omnis homo tardus ad loquendum. Seneca: Tardiloquum te eſſe iubeo, & prope erit tibi Deus. Idem: Aurem verbis frequentius, quàm linguam accommoda. Sicut multiloquium frequenter habet peccatum, ſecundum illud: In multilóquio non deerit peccatum:

Prou. 18. *Iac. 1.* *Prou. 10.*

tum:ſic breuiloquium valet ad hoc, vt caueatur peccatum. Triplicem clauem debet habere porta oris. Primam in archa cordis. Secundam in manu prælati. Et tertiam in manu Dei. Locutionem viri religioſi debet præcedere mentis deliberatio, id eſt, prius veniat ſermo ad limen, quàm ad linguam. Eccleſ. 5. Ne temere quid loquaris. Noli citus eſſe in lingua. Eiuſdem 21. Verba prudentum ſtatera ponderabuntur. Sapiens habet os in corde, in cordis ſcilicet poteſtate & diſpoſitione: ſtultus cor in ore. In eodem: In ore fatuorum cor illorum: & in corde ſapientum os illorum. Religioſus etiam antequam loquatur, à prælato ſuo licentiam debet petere. Qui neſciente & nolente prælato ad loquẽdum portam oris aperit, poſtquam clauem ei tradidit: fractor templi ſpiritualis eſſe videtur, & quaſi fur, *Eccl. 4.*
facien-

faciẽdo clauem contra clauem. Orationem etiam debet ad Deum præmittere, cuius eſt linguam gubernare: vt linguam regat, ne in ea offendat. In Pſalm. Domine labia mea aperies.

Quinta pars huius capituli, quantum valet clauſtrale ſilentium ad linguæ cuſtodiam: bonáque ex eiuſdem cuſtodia prouenientia lucide oſtendit.

CIrca clauſtrale ſilentium notandum, quod pro eius obſeruantia zelare multum debent prælati, qui clauſtra habent in ſua cuſtodia. Clauſtrum abſque obſeruatione ſilentij,
Iac 3. eſt velut equus ſine freno: Si equis frenos in ora mittimus, ad conſentiendum nobis & omne corpus eorum circunferimus, & cætera. Seſſor equi licet cæteris membris eius libertatem concedat, ori tamen frenum imponit. Sic rector clauſtri fre-

frenum ſilentij debet ori imponere. Abſque freno ſilẽtij vana eſt religio. Si quis putat ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum: huius vana eſt religio. Religio abſque ſilentio, eſt quaſi clauſtrum habens guerrã abſque porta, & abſque muro. Memento belli, nec vltra addas loqui. Ori tuo facito oſtia. Sicut vrbs patens, & abſque muri ambitu: ita vir qui non poteſt in loquendo cohibere Spiritum ſuũ. Religioſus vir qui non ſeruat ſilentium, poteſt dicere illud: Quaſi rupto muro & aperta ianua irruerunt ſuper me. Silentium quaſi beſtiam crudelem & indomabilem, linguam incluſam cuſtodit: Linguam nullus hominum domare poteſt. Foueam obſtruit per quam infiniti perierũt. Propter peccata labiorum ruina proximat malo. Beatus qui non eſt lapſus verbo ex

Iac. 1. *Iob 40.* *Eccl. 28.* *Prou. 25.* *Iob 30.* *Iac. 3.* *Prou. 12.* *Eccl. 14.*

ore

ore ſuo. Silentium os claudit, vnde *Iac. 3.* flamma infernalis exiit. Lingua ignis eſt inflammata à gehenna. Silentium *Eccl. 19.* maliciã ſuffocat. Qui odit loquacitatem, extinguit maliciam. Linguam maledicam emendat. Hieronymus: Linguam maledicam indictũ emendat ſilentium, hominem roborat. In ſilentio & ipſe erit fortitudo ve-*Iſa. 30.* ſtra. Sicut ad fortitudinẽ obſeſſorum in caſtro valet clauſura bona cũ forti adiutorio: ſic ad ſpiritualem fortitudinem valet ſilentium cum ſpe de cœleſti adiutorio. Abbas Paſtor. Omnis labor quicunque euenerit tibi ex taciturnitate, ſuperabitur. Sicut pugil nunquam vel raro vincitur, niſi verbum malum dixerit: ſic vix vincitur homo à diabolo, ſi à verbis malis cauerit. Clauſtrum pacificat. Prouerb. 26. Qui imponit ſtulto ſilentium, iras mitigat. Silentium diuino eloquio auditũ præparat.

parat. Trano. 3. Bonum eſt præſto-
lari cum ſilentio ſalutare Dei. Ver-
bum increatum non reuelat ſecreta
ſua in tumultu. Eccleſiaſticorum 32.
Vbi auditus non eſt, non effundas
ſermones. 1. Reg. 3. Loquere Do-
mine quia audit ſeruus tuus. Silen-
tium feruorem deuotionis ſeruat. Si-
cut ſolet obſtrui vas, in quo fit vinũ
ferratum, vt vinum ſit fortius: ſic o-
portet vt clauſtralis ſeruet ſilentium,
vt feruor deuotionis ſit in eo. Si *Simile.*
verò os eius ad loquacitatem ſit a-
pertum: quicquid deuotionis eſt in
eo, exaltat. Eccleſ. 20. Gratiæ fatuo-
rum effundentur. Auguſt. Loquela
ſit in neceſſitate, taciturnitas in io-
cunditate. Ad taciturnitatem mo-
nemur exẽplo Chriſti: Quaſi agnus *Iſa. 53.*
coram tondente ſe obmuteſcet, &c.
Gloſ. Pilato vel Herodi pauca re- *Gloſ. ord. ad illud nõ*
ſpõdit, ne ſalus humani generis dif- *apperuit*
ferretur. Libenter ergo & tu tacere *os ſuum.*
debes

debes ne impediatur ſalus tua. Abbas Agathon per triennium lapidem in ore ſuo mittebat, donec taciturnitatem diſceret. Qui non habet diſcretionem loquendi, habeat diſcretionem tacendi. Seneca, Taciturnitas homini ſtulto pro ſapientia eſt. Prouer. 17. Stultus ſi tacuerit, ſapiens reputabitur. Raro tamẽ gratia tacendi in ſtudio inuenitur. Sapiens: Nemo ſtultus tacere poteſt.

Diſciplina in comeſtione. Et primo diſciplina in menſa commendatur.

CAP. VI.

DIſciplina in menſa multum eſt commendabilis. Ipſa in loco illo immunditiam cauet, in qua multum hominibus diſplicet, ſcilicet ad menſam. In membro illo etiam mũdiciam ſeruat, in quo immundicia maximè indecens eſt, ſcilicet, in ore. Per eam offenſam Dei cauemus.

quan-

quando eam maximè debemus cauere ſcilicet quando bonis eius vtimur. Magna peruerſitas eſt Deum offendere, cùm in menſa eius ſumus. Cauent latrones aliquot diebus, ne eis noceant, cum quibus comedunt. Per eam etiam fit, vt cùm reficitur corpus, reficiatur & animus. Iuſtus comedit & replet animam ſuam. Ipſa etiam facit, vt cùm paſcitur homo, paſcatur & Deus. Puritatem enim ſeruat, qua delectatur Deus. Canticorum 2. Qui paſcitur inter lilia, &c. Pro. 13.

Secunda pars huius capituli: in quibus diſciplina ſeruanda ſit in menſa.

QVantum ad quatuor eſt ſeruanda diſciplina in menſa, ſcilicet quantum ad taciturnitatem, quantum ad viſum, quantum ad continendi ſe modum, & quantum ad cibi & potus ſumptionem. De tribus

In trac. de inſtitut. nonitiorum, cap. 18.

primis dicit Hugo de ſancto Victore his verbis: Debet quiſque inter epulas conſeruare diſciplinam in ſemetipſo, videlicet vt linguam ſuam à loquacitate reſtringat, & oculos ſuos à circunſpectione cohibeat: & vt cætera mem̃bra omnia cum modeſtia & quiete contineat. Idem de taciturnitate. Taciturnitas inter epulas neceſſaria eſt, idcirco, quoniam lingua, quæ omni tempore prona eſt ad peccatum, labitur periculoſius, cùm per crapulam inflãmata fuerit: ſi ad loquendum relaxetur. Propter ea diues qui inter epulas loquacitati ſeruierat, pòſt in inferno poſitus vehementius in lĩgua ardebat. Idem: Cuſtodia oculorũ inter epulas, propterea neceſſaria eſt, quia non decet ibi præcipuè vt vagos quis habeat oculos, neque curioſè reſpiciat, & vt amplius aliquid dicam, imprudenter ea quæ apud alios agũtur circuluſtran

Eodem ca. nono antea citato.

culuſtrando perſpiciat: ſed vt potius demiſſis luminibus, ea tantum quæ ſibi appoſita ſunt, attẽdat. Idem: Cuſtodia quoque ſe continendi ibi negligenda non eſt, quatenus videlicet neque in habitu, neque in geſtu indecens aliquid aut inhoneſtum agatur: nihil cum ſtrepitu aut tumultu fiat: ſed omnia membra cum modeſtia & tranquillitate in diſciplina contineantur.

Eodem lib. & cap. citat.

Ad diſciplinam in ſumptione cibi & potus pertinent quid, quantũ, & quomodo ſit ſumendum. In libro de vita ſolit. Cura carnis agenda eſt ſobriè, & cum quadã ſpirituali diſciplina: vt neq; in modo eius, nec in qualitate, neque in quãtitate aliquid appareat, quod nõ deceat ſeruũ Dei. In eod. Ipſa neceſſitas non ſeculariter, nõ carnaliter, expleatur: ſed ſicut cõuenit ſeruo Dei. Nam etiã ad ſanitatẽ corporis cibus quãto honeſtius &

Ante medium, lib. & habetur apud Ber.

Eodem loco nunc citato.

ordinatius ingeritur, tanto facilius & ſalubrius digeritur. Obſeruandus eſt ergo ſumendi modus, & tempus, cibi qualitas & quantitas. Tempus, ne ante horã. Qualitas, qua ſcilicet vtitur communitas fraternitatis: excepta cauſa manifeſtę neceſſitatis. Qui tempus comedendi præuenit, non expectat donec ſalſa parata ſit, ſcilicet fames: vnde cibum inſipidum comedit. Seneca: Solus panis bonus fiet tibi, eum tenerum & ſimilagineum fames reddit: ideo non edendum antequam illa imponat. Expectabo ergo, nec ante edam, quàm aut bonum panem habere potero: aut malè faſtidire deſiero. Ber. Prudenter ſobrieque cõuerſanti ſatis eſt ad omne condimentum ſal cum fame. Sapiens: Deſideriis omnia condiuntur. Qui in religione eſt, nõ debet nimis precioſa vel delicata expetere: nec rara vel inſolita requirere: nec nimis accuratè

Epiſt. 120. habet aliquid de hoc.

Epiſt. 1. declinando ad finem.

curatè & lautè præparata concupiſcere.

Quod precioſi cibi non ſunt querendi. Tertia pars huius capituli.

AD non expetēdum precioſa, primo debet eum monere profeſſio voluntariæ paupertatis. Qui parum vult habere conſequens eſt, vt parum velit expēdere. Qui precium non habet, precioſa querere non debet. Senec. Pauper vbi diuites cœperit imitari, perit. Secundo, affectio pietatis quam debet habere ad pauperes Dei filios & fratres ſuos: inter quos multi ſunt, qui etiam panem non poſſunt habere. Qualis eſt fraternitas, quod alij non habeant neceſſaria, alij habeant ſuperflua? Magna peruerſitas quòd vilis ſeruus precioſa quærat: cùm Dominum ſuum in pauperibus egere ſciat. Non videtur verè mēbrum eſſe illius, cuius Chri-

ſtus eſt caput, qui indigentiæ membrorum eius non compatitur. Si quid patitur vnum membrum, compatiũtur omnia membra. Fidem poſſide cum amico tuo in paupertate illius: vt bonis eius lęteris. Bernardus: Noli putare gratuitũ quod impendis proximo: velis nolis debitor es.

1.Corint.12
Eccle. 22.

Tertiò peccatum quod eſt in acquirendo. Frequenter enim ſumptus quibus precioſa habentur, acquiruntur vel cum periculo eius qui eis vtitur: vel illius à quo dantur. Noſuit Dauid bibere aquam quam ſibi attulerant tres fortes: ſed libauit eam Domino, dicens: Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hoc. Num ſanguinẽ hominum iſtorũ qui profecti ſunt in animarũ periculũ bibam? Melius eſt ſine periculo tãtum panem & aquam ſumere, quàm cum periculo precioſa habere. Iudas ſeceſſit in deſertum locum, ibique inter feras vitã in

2. Reg. 23.
Mach. 5.

in montibus cum ſuis agebat:& fœni cibo veſcentes demorabantur, ne participes eſſent coinquinationis. Quartò cõditio corporis. Cum enim corpus vas ſit, vbi corrumpitur quod infunditur: fatuũ videtur eſſe ibi precioſa ponere. Vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam periit in ore veſtro. Nõ ſic eſt in aliis ſenſibus. Non enim corrumpitur res pulchra cum ſemel viſa fuerit: nec res odorifera cùm ſemel odorẽ eius aliquis perceperit. Non videtur quòd Deus voluerit hominem quęrere cibos precioſos, qui eãdem aſſignauit cum iumẽtis eſcam. Ecce dedi vobis herbam afferentem ſemen ſupra terram, & vniuerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam & cunctis animantibus terræ. Quòd cibi precioſi quæruntur, hoc frequenter accidit, vel ex delectationis amore, vel

Ioel. 1.

Gen. 1.

ex ambitione, & vtrobique eſt magna fatuitas. Fatuum eſt ſumptus magnos facere pro breui delectatione: quantum tranſitus cibi per guttur durat ſolum durante. Item valde fatuum eſt & peruerſum paſcere oculos mundi, de hoc quod ſubtrahitur in pauperibus famelico ori Dei.

Quòd deliciæ non ſunt quærendæ corpori. Quarta pars huius capituli.

MVltis de cauſis fatuum eſt corpori ſuo delicias procurare. Primò, quia qui delicatis vtitur, infirmitati corporis ſui remedium adhibet: vnde infirmitas aggrauatur. Secundum Auguſtinum, ſumenda ſunt alimenta ſicut medicamenta, ſed ſicut dicit Gregor. Medicamentum in vulnus vertitur: quia exquiſito remedio paulò diutius inhærentes ex eo grauius deficimus, quod prouidè ad refectionem paramus. Secundo, quia

Lib. 10. conf. eſ cap. 31. in princ. tom. 1.

quia dum aliquis delicatis vtitur, hoſti eius conſuetudo mala ſuper eum acquiritur, quæ vix excutitur. Seneca: Voluptatibus ſe immergunt, quibus in conſuetudinem adductis carere non poſſunt: & ob hoc miſerrimi ſunt, quia eo perueniunt, quòd illis quæ ſunt ſuperflua, facta ſunt neceſſaria. Conſuetudo mala pertinens ad vicium gulæ vix deponitur. Coruus non eſt reuerſus ad archam. Actus vnde generatur hoc vicium & augetur, & multum frequentatur: ideo hoc vicium vix dediſcitur. Glutinum eſt valde forte, & quaſi indiſſolubile. Vxorem duxi, ideo non poſſum venire. Ad matrimonium pertinet indiſſolubilitas. Vxor iſta eſt voluptas carnis. In hoc matrimonio, in quo diabolus coniungit, ſolus Deus ſeparat.

Epiſt. 39. poſt mediū

Gene. 8.

Luc. 14.

Tertiò, quia qui delicata corpori ſuo parat, adiutoria hoſti ſuo procu-

Paulò ante medium lib habetur in Bern.

rat. In libro de vita ſolit. De condimentis ſufficit vt fiant comeſtibiles cibi noſtri, non autem concupiſcibiles vel delectabiles. Sufficit enim cõcupiſcentiæ malitia ſua: quæ cùm vix aut nullo modo pertranſire poſſis ad finem explendæ neceſſitatis, niſi per viam quantæcunque delectationis: ſi cœperit accipere irritamenta ab eis, qui perpetuum ſuſceperunt bellum aduerſus eius oblectamenta, fiunt duo contra vnum, & periclitatur conſcientia. Quartò, quia vſum deliciarum frequenter exceſſus comitatur, vnde corporis infirmitas & ſæpe mors ſequitur. Seneca. Poteſt ſæpe noſtra prouidentia huic corpuſculo coram prolongare longiorem, ſi voluptates quibus maior pars corporum perit, poterimus regere & coercere. Idem: Ipſæ voluptates in tormenta vertuntur. Idem: Quis hoſtis in quenquam tam cõtumelioſus fuit,

Epiſto. 24. à medio.

fuit,ſicut in quoſdam voluptates ſuę ſunt? Sufficit alicui, ſi hoſtem ſuum excœcat, ſed voluptates non ſolum excœcãt voluptuoſos, ſed etiam impotentes reddunt, & contractos & leproſos, & alijs infirmitatibus affligunt eos, & tandem interficiũt. Chryſoſt. Hi qui in deliciis & luxuriis vitam ducunt, reſoluta corpora & omni cera molliora circunferunt, atque infirmitatibus repleta: quibus ad culmem malorum podagræ, tremor, & immatura ſenectus accidit: & eſt ſemper vita in medicis & medicamentis: ſenſus autem tardi, & graues, & obtuſi, & quodammodo ſepulti. Seneca. Victus tibi ſit ex re facili: nec ad voluptatem, ſed ad cibum accede, palatum tuum fames excitet, non ſapores. Cùm os non ſolùm ſibi cibum ſumat, ſed toti corpori, nec quod ſumit ſibi retineat, ſed ad membra tranſmittat, non eſt habendus

dus reſpectus in ſumptione cibi, ad os tantum,ſed ad corpus. Aliquando enim quod nimis eſt corpori,parum eſt gulę:& quę gulę ſunt delectabilia corpori ſunt noxia. Vnde ſi ille qui habet multitudinē ciborū delicatorum, tantū vult inde ſumere quod ſit ſatiata gula,poteſt inde currere infirmitatem,vel etiam mortē. Similiter accidere poteſt in illo, qui in cibis non attendit,niſi vt gulæ ſint delectabiles. Quod enim eſt gulæ delectabile, poteſt eſſe corpori mortiferum. Nō congruūt deliciæ tēpori, in quo ſumus. Bernard. Vniuerſum tempus præſens pœnitentiæ vigilia quædam eſt ſolennitatis magnæ: & æterni ſabbati quod præſtolamur, delitiæ ſolennitati conueniunt, non vigiliæ. Non congruunt etiam delitiæ loco in quo ſumus. Locus enim eſt exilij: vallis lachrymarum & miſeriarum, nō locus delitiarum. Nō ciecit Dominus

In ſer. in vigilia beati Andreæ

minus hominem de loco delitiarum, vt hic ſibi delicias procuraret. Item nō congruūt delitię ſtatui corruptionis: in quo nunc eſt humana natura. Quæ facilè corrūpuntur, melius ſeruantur in aqua ſalſa, quàm in aqua dulci. Homo etiam in ſtatu naturæ bene inſtitutę, poſitus in delitiis corruptionem incurrit: quem tribulatio quaſi aqua ſalſa in ſtatu naturæ deſtitutæ cuſtodit. Nō congruūt etiam delitiæ ſeruili conditioni corporis. Seruo maleuolo, tortura & compedes congruūt: non delitiæ. Prouerb. 29. Qui delicatè, à pueritia ſuum nutrit ſeruum: poſtea ſentiet eum contumacem. Item non cōgruunt delitię ſtultitię corporis, ad cuius correctionē virga neceſſaria eſt. Virga in dorſo eius qui indiget corde. Non decēt ſtultum deliciæ. Per ſtultum cibo ſatiatum mouetur terra. Stultus cibo ſatiatus eſt, homo carnalibus deliciis repletus. *Pro 10.* *Pro. 19.* *Pro. 30.*

repletus. Non congruunt etiam ſtatui Chriſtiani. Ber. Chriſtus qui non fallitur, elegit quod carni moleſtius eſt: id ergo melius, id vtilius, id magis eligẽdũ eſt. Exẽplo ergo Chriſti non carni delectabilia: ſed moleſta debet Chriſtianus eligere. Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerũt cum vitiis & concupiſcentiis. Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me: non eſt me dignus. Chriſtianus debet potius eligere cum populo Dei carnis afflictionẽ: quàm inordinatã cum ſeruis diaboli cõſolationem, ſicut de Moyſe legitur: Magis eligẽs affligi cũ populo Dei, quàm corporalis peccati habere iocũditatem. Specialiter ſtatui religionis non congruunt delitię. In deſerto religionis non ſunt quęrẽdæ delitię carnales: ſed à Deo quęrẽdæ & ſperandę ſpirituales. Tũc Deus filiis Iſrael manna dedit in deſerto, cùm cibus terrenus defecit. Afflixi te pe

Serm. 3. in natali Domini ante medium.

Gal. 5.

Mat. 10.

Heb. 11.

Deut. 18.

te penuria, & dedi tibi manna. Qui terrenas delicias non vult habere, cœleſtes poteſt ſperare. Grego. Si à carne quod libet abſcidimus: mox in ſpiritu quod delectat inuenimus. Columba fugit aquam, ſcilicet aquam carnalis voluptatis. Bernar. Delicata eſt diuina conſolatio: & non datur admittentibus alienam. Ioan. 16. Niſi ego abiero, paracletus non veniet ad vos. Bern. Quis audeat de cętero carnis illecebris fantaſticis deditus paracletum expectare? Qui clauſtrum ingreditur, carcerem prælegit, in quo pro peccatis ſuis puniatur: ne pro eis infernali carceri tradatur. Non eſt autem carcer locus deliciarum. Qui religionem intrat, exemplo & amore Chriſti crucem aſcendit. Non eſt crux locus deliciarum. Non eſt ibi propinatum Chriſto vinum electum: ſed vinum mirratum, vel acetum felle mixtum. Religio

Gen. 8.

Ad ſenſum hoc habet ſerm. 3. & 6 de aſcenſio Domini ſerm. 6 in aſcen. Domin.

Mat. 27. Luc. 23.

ligio locus eſt, vbi intendendum eſt veræ ſapientiæ percipiendæ: quod impediunt multum deliciæ. Iob. 29. Sapientia non inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Pulchrè dicitur apud Græcos. Pinguis venter non gignit ſenſum tenuem. Seneca: Copia ciborum ſubtilitas intellectus impeditur, Abſtinentia verò à deliciis valet ad intelligentiam. Daniel. 1. Pueri qui cibos regios cõtempſerũt, groſſis cibis contenti intelligẽtiores cæteris inuenti ſunt. Deliciæ ergo viro religioſo non congruunt.

Epiſtol. 15. parum à prin.

Quinta pars huius capituli, quod non ſunt quærendi cibi inſoliti.

RAra & inſolita, qui eſt in religione, non debet quærere: & labori miniſtrantium debet parcere. Hugo de ſancto Victore, Alij noua quædã & inſolita ciborum genera exquirũt: ita vt ſæpe propter vnius hominis ventrem

In trac. de inſtitut. nouitiorum, cap. 19.

ventrem per omnes circum pagos turba famulorum diſcurrat. Hoc aliquando per tumorem elationis accidit. Qui enim appetunt aliis excellentiores eſſe in ieiunio ſuo, aliquid ſpeciale volunt facere. Hieron. Sint tibi pura ieiunia, caſta, ſimplicia, moderata, & nõ ſuperſtitioſa. Quid prodeſt oleo non veſci, & moleſtias quaſdam difficultatéſque ciborum quærere? Carica, piper, nuces, palmarum fructus: tota hortorum cultura vexatur, vt cibario non veſcamur pane. Idem: Audio præterea quoſdam contra naturam rerũ hominúmque, aquam non bibere, nec veſci pane: ſed ſorbitiunculas delicatas & contrita olera. Proh pudor, nõ erubeſcimus huiuſmodi ineptiis, nec tædet ſuperſtitionis: inſuper etiã famam abſtinentiæ in delitiis quæritur. Fortiſſimum ieiunium eſt aqua & panis: ſed quia gloriam nõ habet,

& omnes pane & aqua viuimus, quaſi publicum & commune ieiunium non putatur.

Sexta pars huius capituli, & diſſuadetur ciborum ſtudioſa præparatio.

In tract. de inſt. nouitiorum, cap. 19. ad med.

QVi in religione eſt, non debet ſtudioſa præparata appetere. Cibos enim ſtudioſè & lautè præparare, eſt gladium ſui hoſtis acuere. Hugo de ſanctoVictore: Alij ſuperſtitioſi nimis in præparandis cibis ſtudium adhibent, infinita decoctionum & frixurarum & condimentorũ genera excogitantes: modò mollia, modò dura: modò frigida, modò calida: modò cocta aqua, modò aſſa: modò pipere, modò allio: modò cumino, modò ſale condita: ſecundum conſuetudinem peregrinantium deſiderantes. Bernard. Quis dicere ſufficit (vt cætera taceam) quot modis oua ſola verſantur & vexantur: quanto

In Apol. ad Guliel-mum abbatem in ca. dicitur.

to ſtudio euertuntur, ſubuertuntur, liquantur, durantur? Et nunc quidē frixa, nunc aſſa: nunc mixtim, nunc ſeparatim apponuntur. Vt quid autem hæc omnia: niſi vt ſoli faſtidio conſulatur? Ipſa deinde qualitas rerum talis decoris apparere curatur, vt non minus aſpectus quàm guſtus delectetur. Et cùm iam ſtomachus crebris ructibus ſeſe repletū indicet, necdum tamē curioſitas ſatiatur: ſed dum oculi coloribus, & palatum ſaporibus illiciuntur: infelix ſtomachus, cui nec colores lucent, nec ſapores demulcent, dum omnia ſuſcipere cogitur, oppreſſus magis obruitur, quàm reficitur. Studioſa ciborum præparatio frequenter eſt occaſio quod nimis de cibo ſumatur. Bernardus. Tanta quippe accuratione & arte coquorum cuncta apparantur, vt quatuor vel quinque ferculis deuoratis prima non impediāt. *In apolog. ad Gulielmum abbatem, ca. dicitur.*

nouiſſima:nec ſatietas minuit appetitum. Venter quidem dum veſcitur, oneratur:ſed varietas tollit faſtidiũ. Quia enim puras, vt eas Deus creauit, epulas faſtidimus, dum alia aliis multifariè permiſcentur, & ſpretis naturalibus, quos Deus indidit rebus, quibuſdã adulterinis gula prouocatur ſaporibus: tranſitur nimirum meta neceſſitatis, ſed necdum delectatio ſuperatur.

Septima pars huius capituli. De *quantitate cibi.*

In tracta. de inſtitu. nouit. cap. 20.

DE quātitate cibi ſumendi, dicit Hugo de ſancto Victore, Menſura hæc mihi videtur, vt neque contra honeſtatem, neque ſupra neceſſitatem. Non omnis venter idem ſapit: alius ſic, alius verò ſic. Cui minus ſufficit: iſte priuſquam ad turpitudinem edacitatis veniat, in ſuperfluitatem offendit. Cui multũ opus eſt,

eſt, in eo ſæpe honeſtas comedendi læditur: etiã priuſquã ad ſuperfluitatem veniatur. Ergo ille qui parũ ſatis eſt, ſuperfluitatẽ caueat: ille verò cui multũ opus eſt, magis ad honeſtatẽ attendat. Cibus tuus quo veſceris, erit in pondere. Multũ noxia eſt animæ & corpori ſumptio nimia cibi & potus. Propter crapulam multi obierunt. Attẽdite ne grauentur corda veſtra crapula & ebrietate. Crapula eſt cruda epula. Sene. Ede circa crudelitatẽ: bibe circa ebrietatẽ. Sobrietas verò in cibo & potu, animæ & corpori multum eſt vtilis. Chryſoſtomus, Nihil ſic ſalutem, nihil ſic ſenſuum acumen operatur, nihil ſic ægritudinẽ fugat: ſicut moderata refectio. Exceſſus in cibo frequẽter eſt occaſio ferculorum multitudo: quæ non ſolùm animæ, ſed etiã corpori eſt nociua. Sen. Faſtidiẽtis ſtomachi eſt, multa deguſtare. Quæ vbi varia

Eze. 4.

Eccl. 37.
Luc. 21.

Epi. 2 circa mediũ.
Epiſt 96 ante medium habet aliquid de hoc.

ſunt,& diuerſa: inquinant, nõ alunt: In multis eſcis erit infirmitas. Seneca de antiquis loquens, ait: Simplex erat ex cauſa ſimplici valetudo: morbos multos multa fercula fecerunt.

Vltima pars huius capituli, de modo ſumendi cibum.

ADmodum ſumendi cibum pertinent munditia & temperantia. Munditiam ibi multi nõ ſeruant: de quibus Hugo de ſancto Victore: Quidam ferculorum fruſtra adipem diſtillãtia menſalibus inuoluunt aut ſuperiniiciunt: Alij vnctas manus ad veſtimẽta ſua detergentes, rurſus ad cibaria tractanda redeunt. Alij nudis articulis coclearis vice piſcantur, ita vt in eodem iure & manus ablutionem, & ventris refectionem quærere videantur: Alij ſemiroſas cruſtulas cibariis iterum infigunt, & reliquias dentium ſuorum offas facturi in poculis

In tracta. de inſtitu. nouitiorũ, cap. 21.

culis demergunt. Et ſubdit, Hæc à dicentibus erubeſcenda fuerant: ſi à facientibus præſumpta non fuiſſent. Nunc autem ſuſtineant in audiendo verecundiam, qui in faciẽdo noluerunt habere diſciplinam. Idem: Temperantiam manducandi intelligimus, ſi tractim homo, & non cum nimia feſtinatione comedat. Ad hanc temperantiam pertinet, refrenare nimium appetitum cibi & potus: & ſe nõ effundere ſuper eſcã. Noli eſſe auidus in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam. Aug. Fieri poteſt, vt ſine omni vicio cupiditatis vel voracitatis, precioſiſſimo cibo ſapiens vtatur: inſipiens autem fœtidiſſimæ gulæ flamma in viliſſimũ cibũ inardeſcat: & ſanius quiſque more Domini maluerit piſce veſci, quàm lenticula more Eſau. Nõ propter hoc continentiores ſunt nobis pleræq; beſtiæ: quia vilioribus eſcis

Eodem cap. citato a medio.

Eccl. 37.

aluntur. Effuſio vultus interioris ſuper eſcam eſt, quando animus ad cibum ſic trahitur, vt aliquid cogitare non ſinatur. Comitari ſolet fedam auiditatem inordinatio in ſcindendo panem, & ſumendo cibum, & comedendo. Valet cōtra hanc auiditatem Pſalmi interpoſitio cum aliqua oratione. Ad idem etiam valet auditus ſacræ ſcripturæ, vel recordatio. In libro de vita ſolitaria: Cùm manducas, nequaquam totus manduces, ſed corpore tuo ſuam refectionē procurāte nō omnino anima ſuā negligat: ſed de memoria ſuauitatis Domini, vel ſcripturarum aliquid quod eam paſcat meditando, vel ſaltem memorando ſecū ruminet & digerat. Aug. in regula, Cùm acceditis ad menſam, donec inde ſurgatis, quod vobis ſecundum conſuetudinem legitur, ſine tumultu & contentione audite: nec ſolæ vobis fauces ſumant cibum, ſed &

Non multum ante medium lib. & habetur apud Bern.

In 3. regu. cap. 13.

& aures audiant verbum Dei. Saluator diabolo tentanti de peccato gulæ, ait: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei: inſinuans cibum corporalẽ deſpiciendum eſſe propter ſpiritualem. Contemnentes cibum ſpiritualem, & appetentes corporalem reprehendit Bern. his verbis: Nobis conuenientibus in vnum, vt verbis Apoſtoli vtar: iam non eſt Dominicam cœnam manducare. Panẽ quippe cæleſtem nemo eſt qui requirat: nemo qui retribuat. Nihil de ſalute agitur animarum: ſed nugæ & riſus proferuntur in ventum. Idem: Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures paſcuntur rumoribus quibus homo totus intẽtus modum neſcit in edendo.

Mat. 4.

In apolog. ad Gulielmum Abbatem cap. dicitur.

Secundi libri eruditionis religioſorum finis.

poſſit præualere,aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe.In deſerto tentatur Saluator.Gloſ.In deſerto fit tentatio: quia non ante hoſtis ſe erigit, quàm homo de mundo exit. Ideo accedenti ad ſeruitutem Dei dicitur, Præpara animam tuam ad tentationem.Eccleſiaſt.2.Gregorius in Moral. Lucem rectitudinis, vmbra ſequitur tentationis.

Mat. 12. Luc. 11. Glo ord. circa initium c.4.

Lib. 8. c. 10. à med.

Quòd dæmones tentent homines.

CAPVT II.

CIrca tentationes oſtenditur primò,quòd dæmones impugnant & tentant homines. Secundò, quod tentationes amicis Dei ſunt vtiles. Tertiò,oſtẽduntur modi impugnãdi quos tentator habet. Quartò, quibus modis qui tentatur, repugnare debet. Oſtentio primi multum eſt neceſſaria. Cùm enim dęmones ſint inui-

inuiſibiles, eorum pugna eſt inuiſibilis, nec ſenſu corporali percipitur: imò oportet vt ad lumen fidei oculis cordis manifeſtetur. Ignorantia huius impugnationis periculoſa eſt. Nō enim repugnat, qui ſe impugnari ignorat. Bern. Diabolus quem videre non poſſum, & ideò minus cauere, tetendit arcum ſuum, & in eo parauit ſagittas ſuas narrauit vt abſconderet laqueos, & dixit: Quis videbit eos. Hieronymus: Tunc maximè impugnaris, cùm te impugnari neſcis. Grande periculum eſt iuxta ſe habere hoſtem ſuum, & neſcire hoc. Circa primum notandum, quòd impugnatio quam diabolus facit homini, certificari poteſt ex tertio capite Geneſis: Vbi ſerpens mulierem decepit: vbi etiam Dominus oſtendit omnem impugnationem eſſe duraturam, dicens: Inimicitias ponam inter te & mulierem: &

In med. ca. 14. ante mediū.

Gen. 3.

ſemen tuum & ſemen illius. Secundò, ex libro Iob 1. & 2. cap. vbi ſathan petiit à Domino, vt daret ei licentiam flagellandi Iob. Item: Matt. & Lucæ 4. vbi legitur diabolum tentaſſe Dominum. Et ſecundum Auguſt. aſſumpſit formam humanam: quod permiſit Dominus vt tentatio iſta certior fieret. Item, 1. ad Corint. 7. Reuertimini in idipſum ne tentet vos ſathanas. Et Epheſ. 6. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates tenebrarũ harum. Et, Cur tentauit ſathanas cor tuum? Et de beato Martino legitur, quod diabolus multoties apparuit ei in forma humana. Similiter de beato Antonio, cui apparuit in forma pueri nigri: & in forma animalium diuerſorum generum. Simile legitur de multis aliis Sanctis. *Iob 1. & 2.* *Act. 5.*

Secun

Secunda pars huius tertij, vno tantum clauditur capitulo. In quo oſtenditur, quod tentationes amicis Dei multum ſunt vtiles.

CAPVT I.

CIrca ſecundum notandũ, quod tentatio eſt multum vtilis. Bernardus: *Serm. 64. ſuper Can. in prin.* Neceſſe eſt vt tentationes veniant. Quis enim coronabitur, niſi qui legitimè certauerit? Aut quomodo certabit, ſi deſit qui pugnet? Quid mihi cum victoria: ſi nec in prælio fui? Impudentiſſimè mihi arrogo vel gloriam ſine victoria: vel victoriam ſine pugna. Tentatio primo erudit. Armorũ experientia militibus eſt neceſſaria. *Iob 7.* Militia eſt vita *Iud 3.* hominis ſuper terram. Hæ ſunt gentes quas reliquit Dominus, vt in his erudiret Iſraelem: In eodem. Qui *Eccl. 34.* tentatus non eſt, quid ſcit? Secundò, hu-

humiliat, & ſic à præcipitio ſuperbiæ conſeruat. Greg. Dum vicia nos tentant, proficientes in nobis virtutes humiliant. Idem. Iebuſeũ Iſrael tollerat: vt humana mens de ſe humilia ſentiat: dum minima non ſuperat. Cùm per tentationẽ humilitas proficit: proſpera eſt ipſa aduerſitas: quę mentem ab elatione cuſtodit. Idem cùm tentamur viciis, diſpenſatione diuina nobiſcum agitur: ne virtutibus quibus proficimus, extollamur. 2. ad Corint. 12. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, &c. Tertiò, negligentiam repellit. Vnde glo. dicit ſuper illud Pſal. Proba me Domine, & tenta me. Niſi tentaremur negligentes eſſemus. Timor oſtium facit homines vigilãtes: ſecuritas verò facit eos pigros: Vigilate & orate ne intretis in tentationẽ. Quartò virtuti adiicit. Sene. Multum ſibi adiicit vir-

Glo. ord. ibi ex Caſſio.

Mat. 27.

Epiſt. 13. parum à prin. virtus laceſſita. Canis prouocatus bellicoſior efficitur. Gregor. Ignis *Lib. 6. regiſtri cap. 19. parum à prin.* flatu præmitur, vt creſcat: aqua inuẽto obſtaculo, maiores vires exercet. Sic certamẽ tentationis occaſio eſt, vt ei qui tentatur, gratia augeatur. 1. ad Corinth. 10. Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum: vt poſſitis ſuſtinere. Quintò, virtutem hominis notificat: Tentat vos Dominus *Deut. 13.* Deus veſter, vt palam fiat ſi diligatis eum an non. Gregorius: Nemo vires ſuas in pace cognouit. Si enim bella deſunt, virtutum experimenta non prodeunt. Idem, Mira nobiſcũ diſpenſatione agitur, & mens noſtra nonnunquam impulſatione culpæ feriatur. Nam eſſe ſe magnarum viriũ, vel virtutum homo crederet, ſi nullum vnquam earundem virium defectum intra mentis archana ſentiret.

tirer. Sextò, Deũ glorificat. In Pſal. Eruam te, & honorificabis me.

Septimò, populum ædificat. Tho. 2. Hanc tentationem ideo permiſit euenire illi Deus, vt poſteris daretur exemplum patientiæ eius. Octauò, ei qui tentatur, honorem in præſenti acquirit. Vnde legitur de beato Antonio: qui cum quadam nocte à dæmonibus eſſet laceratus, ſubito venit radius lucis, & dæmones & tenebras effugauit: ſtatimque Chriſtũm præſentem intelligens, dixit: Vbi eras bone Ieſu, vbi eras? Quare à principio non affuiſti, vt curares vulnera mea? Et vox ad eum ait: Antoni hic eram: ſed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem quia viriliter dimicaſti, faciam te in toto orbe nominari. Nonò, in futuro coronat: Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit: Et dicitur de ſufferente tẽtationem, quod cùm

In vita ipſius quam ſcripſit Athanaſius.

2. Timot. 2.

Iacob. 1.

probatus fuerit, accipiet coronam
Tob. 3. vitæ. Hoc pro certo habet omnis qui colit te: quia vita eius, ſi in probatione fuerit, coronabitur: ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & ſi in correptione fuerit, ad miſericordiam tuam venire licebit.

Tertia pars huius libri tria in ſe habet Cap. In quorum primo dicitur, quod diabolus mendaciis multum vtitur: & aliqua mendacia ſpecificantur.

CAPVT I.

Irca modos impugnandi quos diabolus habet eſt notandum, quod diabolus multũ vtitur mendaciis tentando. Ipſe mendax eſt & pater eius. Mẽdacio vſus eſt, tentando mulierem, cùm ait: Nequaquam moriemini. Item tentãdo Saluatorẽ: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris

Ioan 8. Gen 3.

raueris me. Matth. 4. Illi qui eſt in peccato, promittit longam vitam, vt differat venire ad pœnitentiam. Hæc eſt promiſſio nequiſſima quæ multos perdidit, Eccleſiaſt. 29. Cùm pater cœleſtis tempora & momenta in ſua, non in diaboli poteſtate poſuerit: valde fatuus eſt qui credit diabolo de ſua futura vita diſponenti. Valde fatuum eſt credere mendacio illi, quo diabolus plus quàm centum milia hominum duxit ad infernum. Dicebat enim eis: bene adhuc facietis pœnitentiam: & voluntatem & ſpem habebant faciendi eam: nunc verò in inferno ſunt, & non poſſunt facere eam. Licet Deus peccatori, ſi pœnituerit, promittat peccatorum remiſſionem: tamen non promittit ei craſtinum diem. Illi qui pœnitentiam aſſumpſit, nititur diabolus ſuadere, vt abiiciat onus pœnitentiæ. Ad quod multis fraudibus v-

vtitur. Primò, mentitur exonerationem, quod non eſt exoneratio, ſed leuis oneris in grauiſſimum onus cõmutatio: vt feſtucæ in trabem vel montem. Vnde ille qui tentatur, debet dicere tentanti: Si hoc onus depoſuero, nunquid ſine onere ero? Cui quæſtioni ſi planè reſpondere voluerit, dicere poterit: Imò ponetur ſuper te mons magnus, ſcilicet infernalis pœna mõte grauior, Apocalyp. 6. Dicent montibus, cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie, ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni, quoniam venit dies magnus iræ ipſorum. Bonum eſt ergo leue onus ferre, vt tantum onus poſſimus
Apoc. 2. vitare. Non mittam aliud pondus ſuper vos: tamen id quod habetis tenete. Secundò, ea quæ diuiſim portanda ſunt, ſimul oſtendit, dicens: Quomodo hoc poſſis portare tot annis? Cui dicendum eſt: Hoc hodie

cum

cum Dei adiutorio portabo: & cras tantundem portabo leuius cum Dei adiutorio propter aſſuetudinem. Sic vbi fallit compoſitio ſoluit diuiſio. Matthæi 6. Sufficit diei malitia ſua. Tertiò, virtutem hominis à Dei virtute diuidit, & dicens: Tu debilis es, nullo modo poſſes hoc portare. Cui dicendum eſt: Si intelligis mea virtute ſola, dicis verum: cùm ſcriptum ſit Ioannis 15. Sine me nihil poteſtis facere: ſi verò intelligis quod non poſſim Dei virtute adiutus, euidens eſt mendacium. Confidimus in Domino Ieſu, quoniam qui cœpit in nobis bonum opus, perficiet. Omnia poſſum in eo qui me confortat. Quartò, ſpoliationem mentitur exoneratione: ſicut quando latro ſimplicem ſcholarem exonerat cappa ſua. Aurum vel lapides pretioſos debet reputare pœnitentiam quam tibi vult auferre. Vnde debes

Phil. 1.

Ibid. 4.

eum cauere, ſicut ſpoliatorẽ rei preciosiſſimæ. Suadeo tibi à me emere aurum. Aurũ emere eſt fructum pœnitentiæ præparare. Quintò, quærit pondus diminuere, ad quod cœleſte gaudium tibi tradẽdum eſt. Id quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Apoc. 3.

2. Corin. 4.

De quatuor tentationibus diaboli.

CAPVT II.

MVltiplicem diaboli tẽtationem oſtendit Bernardus, loquens de illo verbo: Scuto circundabit te veritas eius, non timebis, &c. Sunt, inquit, quatuor tentationes, in quibus vndique circundati neceſſe habemus ſcuto Domini circundari ante & retro: à dextris & à ſiniſtris. Timor afflictionis nocturnus & planè tenebroſus:

Serm. 5 ſuper Pſal. qui habitat. à medio.

broſus: quia abſcondit ab oculis, quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, ſed facile hũc radius veritatis exſufflat. Ingerit enim oculis cordis nũc peccata quę fecimus, nunc æterna ſupplicia, nunc æterna premia, nunc ea quæ pro nobis pertulit Chriſtus. Ad lucem ergo tam multiplicis veritatis nox receſſit. Sed time ſagittam, quæ in die leuiter volat: non leue vulnus infligit. Hæc ſagitta eſt vana gloria, quam oportet cauere feruentiores: ne deſerant ſcutum veritatis. Quid enim tam contrarium veritati? Et ſubdit: Primò, à ſiniſtris pulſat diabolus puſillanimitate, deinde à dextris humanis laudibus. Si ſic non proficit, dicit: Viribus deiicere nequeo: ſed forte deijcere potero alicuius ingenio proditoris. Negotium perambulans in tenebris eſt ambitio, ſub-

tile malum,ſecretum virus,beſtis occulta, doli-artifex, mater hypocriſis, liuoris parens, viciorum origo, criminum fomes, virtutum erugo, tinea ſanctitatis. Contempſit enim ait, vanam gloriam, quoniam vana eſt: fortè aliquid ſolidus affectaret, fortè honores, fortè diuitias. Quid ſit veritas, inueſtigat hunc proditorem, & negocium arguit tenebrarum. Non reſtat callido inimico cōtra eosquos videt omnimodis diligere iuſtitiam, & odiſſe iniquitatem: niſi vt iniquitatem palliet virtutũ imagine. Quos enim nouit perfectos boni amatores, malum eis ſub ſpecie boni non mediocris, ſed perfecti ſuadere conatur: vt facile qui currit, incurrat.
2.Corin.11. Ipſe ſathanas transfigurat ſe in angelum lucis. Sola autem eſt veritas, quæ palliatam detegit falſitatem.

Quòd

Quòd quinque aduertenda ſunt & timenda circa diaboli impugnationem.

CAPVT III.

Circa diaboli impugnationē quinque nobis aduertenda ſunt & timenda, ſcilicet, doloſitas, crudelitas, continuitas, varietas, & vniuerſitas. Doloſè impugnat, non ſolum quia mendaciis vtitur, vt prius oſtenſum eſt, ſed etiam quia tortuoſè incedit: nec agnoſcitur ab eo qui tentatur, quid intendit. Tria ſunt mihi difficilia, &c. vnum illorum eſt quid via colubri ſupra petram. Gloſ. Viam colubri vocat venenati hoſtis aſtutiam, quę inſidiari non deſinit his, quos in petra fundatos eſſe conſpicit. Item quod delectabile eſt proponit: quod moleſtum eſt, ſubticet. Sicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aues capiuntur laqueo: ſic homines capiuntur

Pro. 30.

Gloſſa ordin. ibid.

Eccl. 9.

tempore malo, ſcilicet tempore tentationis. Piſces capiuntur eſca hamo ſuperpoſita. Secundò, crudeliter & immiſericorditer impugnat: vt patet in Iob, cui abſtulit ſua & ſuos, & afflixit in propria perſona. Et ſi in aliquo videtur parcere, etiam in hoc intendit impugnare: vt patet in vxore Iob, quã ei reliquit, per quã eũ poſtea impugnauit: quæ dixit ei, cùm amiſiſſet ſua & ſuos, & percuſſus eſſet vlcere peſſimo. Adhuc tu permanes in

Iob 2. ſimplicitate tua. Benedic Deo & morere. Irriſio eſt, quaſi dicat: Si perſeueraueris in benedictione tua, morieris

Ser. 5. ſuper Pſalm. Qui habitat. ante medium.

Tertiò, cõtinuè impugnat. Ber. Tot tentationibus plena eſt vita noſtra, vt nõ immerito tota ipſa debeat tentatio appellari. Greg. Diabolus aſſidua tentatione nos tentat, vt ſaltem tædio vincat. Quarto, variis impugnationibus impugnat: vt quem non vincit vna, vincat altera. Paulinus epiſco

epiſcopus Auguſt. ait: Hoſtis noſter cui mille ſunt nocendi artes: tam variis expugnandus eſt telis, quàm impugnat inſidiis. Ipſe tentat ſecũdum complexionem, vel mores, vel ſtatũ hominis. Greg. Intuetur inimic⁹, humani generis vniuſcuiuſque mores, cui vitio ſunt propinqui: & illud ponit ante faciem, ad quod cognoſcit facilius inclinari mentem: vt blandis ac lętis moribus ſępè luxuriam, nonnunquam vanam gloriam. Aſperis vero mentibus iram, ſuperbiam, vel crudelitatem præponit. Eos qui ſunt in paupertatis deſerto, incitat ad iram vel impatientiam: vnde eius tentatio talibus eſt ventus vrens. Dicitur de ſolitudine, in qua fuerunt filij Iſrael, quod in ea erat ſerpẽns flatu adurens. His qui ſunt in proſperitate, ſuadet pigritiam, & talibus eſt tentatio, vt ventus Aquilo. Eccleſ. 43. Ventus Aquilo flauit, & gelauit

Lib. 29. moral. ca. 14.

Deut. 8.

gelauit criſtallus ab aqua. Illos quos videt ferventes ad bonum, incitat ad hoc, vt aſcendãt: vt de alto poſſit eos præcipitare: quod eſt multum periculoſum. Bern. ſuper Cant. Non habet callidus hoſtis machinamentum efficacius ad tollendum de corde dilectionem, quàm ſi efficere poſſit quod in ea incautè ambuletur, & nõ cum ratione. Videte fratres quomodo cautè ambuletis. Nolite peregrinari in feruorem, qui ad tentationem vobis ſit. Quintò, impugnatio eius vniuerſalis eſt: vnde dicitur, vt ſagena quæ eſt rete totam aquam occupans. Expandit ſagenam ſuam, & ſemper interficere gentes non ceſſat. Impugnatio eius vniuerſalis eſt quantum ad tempus. Bern. in ſermonibus. Præmonitos vos eſſe volo, neminem ſuper terram abſque tentatione eſſe victurum: vt cui fortè tollitur aliqua, aliam ſecurus expectet,

Serm. 19. ſuper can. circa finẽ.

Ephe. 5. 1. Pet. 4.

Abac. 1.

Serm. 5. ſuper Pſalm. qui habitat. à medio.

ctet, aut fortè non ſecurus,ſed pauidus magis, & ſic petat ab ea liberari vt nunquam ſibi in corpore mortis huius libertatem perfectam ſeu requiem audeat polliceri. Qua in re conſideranda nobis eſt tam benigna erga nos diuinæ pietatis diſpenſatio, vt quibuſdam tentationibus non patiatur diutius occupari, ne fortè periculoſiores occurrant: ab aliquibus verò citius liberet, vt poſſimus aliis quas nobis vtiliores fortè prouidet, exerceri. Impugnat diabolus non ſolum vigilantes,ſed etiam dormientes. Grego. Sanctos quos minus valet vigilantes, grauius tentat diabolus dormientes, quod benignè permittit Dominus, ne ſaltem ſomnus à paſſionis premio vacet. Suſtinentia paſſionis quæ eſt in dormiente, per ſe non habet meritum: ſed repreſſio quæ eſt in vigilante, eius ad quod incitatio facta eſt, vnde occaſiona

Li. 8. mor. cap. 18. circa mediũ.

ſionaliter dictum eſt verbum Greg. In fine vitæ fortius impugnat, ſciens quod ſi tunc aliquē vicerit, poſt non vincetur ab eo, vnde dicitur calcaneo inſidiari, quod eſt pars extrema corporis. Geneſ. 3. Gregor. Sciendum quod plerunque eis quos cepit, tunc grauiores culpas ingerit, cùm præſentis vitæ termino illos appropinquare cognoſcit. Item vniuerſalis eſt quantum ad loca, Circuiui terram, & perambulaui eam. Circuit quærens quem deuoret. Tentat in deſerto, ciuitate, etiam in loco ſacro: vt patet in tētationibus Chriſti. Item vniuerſalis eſt quantum ad perſonas. Impugnat enim diuites & pauperes. Pauperes capit eorum ditationem procurando: vt occaſione diuitiarúm fiant mali. Difficile enim eſt non corrumpi à cōtubernio earum. Ipſe ſuper omnem munitionem ridebit, comportabit aggerē, & capiet eam.

Lib. 1. mor. cap. 38. à medio, id habetur in ſe tentia.
Iob 1.
1. Pet. 5.
Mat. 4.
Abac. 1.

Diuites & potentes ſuperat: quia diuitiis & potentia faciens eos abuti, quaſi proprio gladio eorum ipſos vulnerat. Ipſe de regibus triumphabit: & tyranni erunt ridiculi eius. *Abac. 1.* Ipſe illos potius nititur acquirere, per quos ſperat ſe plures acquiſiturum, ſcilicet illos qui præſunt. Totum pondus belli verſum eſt in Saul. *1 Reg. 31.* Non pugnabitis cõtra maiorem vel minorem quempiam, niſi contra regem Iſrael. *3 Reg. 22.* Item magis impugnat ſanctiores. Gregorius: Creſcentibus virtutibus magis ſeuit diabolus ad tentandum. *Lib. 26. mor. cap. 5. Iob 40. Lib. 33. mor. cap. 5. à med.* Et ſuper illud: Abſorbebit fluuiũ, &c. Antiquus hoſtis pro magno non habet, cùm ſub iure ſuæ tyrannidis terrena quærentes tenet, qui per ipſa vitæ ſuæ ſtudia deorſum quærunt: ſed illos magnopere rapere nititur, quos deſpectis terrenis ſtudiis iam iungi cęleſtibus contemplatur. Vniuerſalis eſt etiam impugnatio,

tio, quantum ad eam quibus impugnet, vtitur enim ad impugnandum
Sap. 14. & bonis & malis. Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum, & in muſcipulum pedibus inſipientium. Omnibus ſe iuuat diabolus contra homines: quibus homines contra ipſum ſe debuerunt adiuuare. Etiam propinquiſſimi eorum diabolum iuuant. Ipſe procurat, vt homines donis Dei contra Deum vtantur: & bonis propriis in malum proprium adducantur. Maximè verò poteſt in amatoribus terrenorum. Vnde dictum eſt: Terram
Gen 3. comedes. Abſcondita eſt in terra pe-
Iob 18. dica eius. Laqueus ſuper te qui habi-
Iſa. 24. tator es terræ. Econtrario dicitur:
Prou. 10. Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.

Sequi

Sequitur quarta pars huius libri: quæ continet ſex capitula. In quorum primo agitur de modo repugnandi ſerpenti infernali, per contritionem capitis.

CAPVT I.

DE modo repugnandi diabolo. Circa quod primo notandum eſt, quòd conuenientiſſimus modus repugnandi ſerpenti infernali eſt per contritionẽ capitis eius: quem modum docet Dominus, loquens ad ſerpentem de muliere, quæ figuram tenet eccleſiæ. Ipſa conteret caput *Gen. 3.*
tuum. Serpens præ cæteris caput cuſtodit. Et non eſt caput nequius ſuper caput colubri: Ideo totis viribus *Eccl. 25.*
debemus conari ad eius contritionẽ. Caput verò intellige vel ſuperbiam, vel principium tentationis: vel peccatum cordis, ante quam per locutionem, vel operationem, exierit extra.

Contritio capitis primo modo, ſcilicet, deſtructio ſuperbiæ multũ valet ad repugnandum ei: & hanc facit humilitas, quæ multũ valet ad triũphandũ de diabolo. Humilitas gloriam victoriæ tantũ Deo attribuit: & propter hoc totum pondus prælij eidem imponit. Cuius enim eſt victoriæ gloria, eſt & pugna. Humilibus à Deo adiutorium gratiæ datur: à quo ſuperbis reſiſtitur. Ideo non eſt mirum ſi humiles triumphent, & ſuperbi vincantur: Deus ſuperbis reſiſtit,
Iac. 4. humilibus autem dat gratiã. Item caput ſerpentis infernalis eſt cõterendum: quia in principio tẽtationis eſt ei reſiſtendum. Poeta. Principiis obſta, ſero medicina paratur. Cùm mala per longas cõualuere moras. Greg. in mo. Si tentationi in corde naſcenti feſtinè non reſiſtitur: hac eadẽ qua nutritur mora roboratur. In Pſalm. Beatus qui tenebit & allidet paruulos

lòs ſuos ad petram. Diabolus quaſi paruulus eſt in principio tẽtationis: vnde tunc facilius poteſt occidi in homine. In morte primogenitorũ liberati ſunt filij Iſrael, de ſeruitute Pharaonis: Primogenita Pharaonis *Exo. 12.* infernalis ſunt principia tentationũ: quibus ſi viriliter reſiſtatur, cito liberatur homo à diabolo. Qui verò in principio non reſiſtit ei, vix ab eo ſe expedit. Hier. Lubricus eſt antiquus ſerpens: & niſi capite teneatur, totus ſtatim illabitur. Conterendũ eſt etiã caput ſerpentis infernalis: vt peccatũ cordis ante deſtruatur, quã per locutionem vel operationem extra egrediatur. Summopere debet homo cor cuſtodire, ſicut caput ſuũ, iuxta ammonitionẽ illam: Eſtote prudẽtes ſicut ſerpẽtes. Diabolus tanquã ſuperbus & ambitioſus ſupremã partẽ noſtri. ſ. cor obtinere nititur, tanquã arcem in caſtro noſtro: vt in omnibus

Lib 14 mor. cap. 20. à med. perfectè dominetur. Vnde cũ cordi cogitationes immittit, affectum ad malum incendit. Greg. ſuper illud, Iob 19. Simul venerũt latrones eius & fecerunt viam per me. Maligni ſpiritus, qui exquirendis hominũ mortibus occupantur, qui vitam ſibi in afflictorum cordibus faciunt: inter aduerſa quæ exterius tolerantur, cogitationes prauas immittere nó deſiſtunt. Item Greg. ſuper illud Iob 41. *Lib. 33 mor. cap. 40. à med.* Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur. Quid prunas niſi ſuccenſas in terrenis concupiſcentiis reproborum mẽtes appellat? Tanto igitur Leuiatam halitu in prunas flat: quanto anniſu ſuggeſtionis occultè humanas mentes ad illicita inflammat. Flamma oris eius eſt inſtigatio occultæ locutionis. Damaſ. Potens eſt diabolus immiſſiones facere: in nobis autem eſt eas ſuſcipere, vel non ſuſcipere. Et no-

tan-

tandum, quod cogitationes malæ diuerſis de cauſis in corde inſurgunt. Vna cauſa eſt corruptio: quæ eſt ex peccato primorum parentum. Illud enim: Spinas & tribulos germinabit tibi, intelligitur de terra, quam calcamus, de terra, quam geſtamus. In vtraque enim inutilia, vel noxia gratis naſcuntur: vtilia verò cũ labore. Aliquando verò inſurgũt occaſione rerum viſarum vel auditarũ: vel alio ſenſu corporeo perceptarũ. Cùm enim aliquis ad mentem redit volens intendere orationi vel meditationi: vix poteſt ſe expedire ab his quibus videndo vel loquendo, vel audiendo paulò antè intentus fuit. Limoſa enim eſt ſubſtantia animæ ſicut & corporis: & quicquid cõtrectat, facilè ei adhæret: iuxta verbum Bern. Aliquando inſurgunt inſtinctu diaboli, vt prius oſtenſum eſt. In libro de eccleſiaſticis dogmatibus.

Gen. 3.

Cap 34 habetur hic lib. in Aug. tom. 3.

Non omnes cogitationes noſtræ malæ ſemper diaboli inſtructu excitantur: ſed aliquādo ex noſtri arbitrij motu emergunt. Cōcupiſcentia etiā eſt cauſa malarum cogitationum in nobis. In vitis Patrū quidā frater dixit Abbati ſuo. Quare non recedunt à me tentationes? Et dixit ei ſenex: quia vaſa earundē tentationum intra te ſunt. Hæc vaſa intelliguntur concupiſcentiæ, vnde cogitationes oriũtur. Vbi enim amor, ibi oculus. In libro de vita ſolitaria. Qui redit ad conſcientiā, ſi nondum vicit concupiſcēriam ſuam, inuenit ibi de cōcupiſcentia ſua vel ſuaues delectationes, vel graues corroſiones: & inde multiplicat cogitationes. Qui verò iam concupiſcentiam, vicit quandiu tamen maioris boni concupiſcentia, vel maior delectatio mentem non obtinuerit: cum exoſa quadam voluptate geſtorum, viſorum, auditorum

Inter prin. & mediũ lib. habetur apud Bern.

pati

patitur imaginationes. Vnde in vtroque lumbi implẽtur illuſionibus delectationum: & ad cogitanda diuina vel ſpiritualia lumen oculorum ſuorum ipſum non eſt ſecum. Vna etiam cogitatio eſt cauſa aliarum. Quidam frater interrogauit ſenem quendam, dicens: Quid faciam, quia multæ cogitationes ſollicitant me: & neſcio quomodo repugnẽ eis? Qui reſpondit: Nõ repugnes contra omnes, ſed cõtra vnã: quæ eſt caput aliarũ. Contra cogitationes malas luctari nos oportet. In vitis patrũ dixit quidam ſenex de antiquis patribus: Non ſumus eradicatores cogitationum: ſed luctatores. In eod. dicit quidã Abbas: Si cogitationes non habes, ſpem non habes, quod opera habes. Vnde remedium cõtra malas cogitationes eſt, quòd non permittantur exire extra per locutionem vel operationẽ. In vitis patrum dixit Abbas paſtor

In 2. part. in lib. contra fornicationem ante med. Eodem loco nunc dicto.

cuidam Abbati: Sicut capſa plena veſtibus, ſi dimiſſa fuerit, tẽpore longo putrefiunt veſtes in eo: ita ſimiliter cogitationes in cordibus noſtris ſi non fecerimus eas, tempore longo exterminabuntur. Idem ad Abbatẽ Ioſeph: Sicut ſi quis claudat ſerpentem vel ſcorpionem in vaſe, & obſtruxerit illud, procedente tempore ſerpens morietur: ita malæ cogitationes, quæ ſtudio dæmonum pullulant, patientia eius cui immittuntur, paulatim deficiunt. Et ſpecialiter expedit quòd cogitationes iracundiæ, ad verba non procedant. Requiſiuit quidam frater Abbatem Iſaac, quare eum tantum dæmones timerent? Qui reſpondit: Ideo me timent dæmones: quia ex quo factus ſum monachus, ſtatui apud me, ne iracundia mea extra me procederet. Super illud Prouer. 12. Fatuus ſtatim indicat iram ſuã. dicit gloſſa: Natura iræ eſt,

In vitis Patrum in 3. parte, cap. vel ſe 85.

eſt, vt prolata ferueat: occultata langueſcat. Aliud remediũ eſt reuelare eas ſanctis patribus. Vnde quidã ſeniorum cuidam impugnato à ſpiritu fornicationis, dixit: Fili non abſcondas cogitationes tuas, ita enim confuſus ſpiritus immundus diſcedet à te. Nihil ita cõfundit & allidit virtutem dæmonum: quomodo ſi quis ſecreta immundarum cogitationum ſuarum reuelauerit ſanctiſſimis ac beatiſſimis patribus. Aliud remediũ eſt meditatio ſacræ ſcripturæ. In libro de vita ſolitaria: De quotidiana lectione aliquid in ventre memoriæ eſt demittendum, quod fidelius digeratur: & rurſum reuocatum crebrius ruminetur, quod propoſito conueniat: quod intentioni proficiat: quod animum detineat, vt aliena cogitare non libeat. In lege eius meditabitur die ac nocte. In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non

Glo. ord. ibi.

Ante medium, lib. al quãtulum. Inſcribitur hic lib. apud Bern. ad fratres d mõte Dei

peccem tibi. Et notandum quod cogitationes bonæ multum faciunt ad robur & decorẽ animę, cogitationes verò malæ in quibus non reſiſtitur, faciunt ad corruptionem & debilitatem animæ. Sampſon raſis crinibus debilis fuit: Crines caput cordis ornantes, ſunt ſanctæ nogitationes. Seneca: Cogitationes vagas & inutiles, & velut ſomnio ſimiles nõ recipies: quibus ſi oblectaueris animũ tuum, cùm omnia diſpoſueris, triſtis remanebis. Hier. 4. Vſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.

Figura. *Iud.16.* *Iſa.1.*

Et notandum quòd quandoque aliquis tentatur cogitationibus animæ exoſis & moleſtis, quæ magis eſſe pœnales videntur, quàm culpabiles: quibus diabolus affligit animam, cui ſcit diſplicere Dei contumeliam, quaſi conuiciando Deo, & blaſphe

blaſphemando eum coram ea: quod fieri poteſt,nō ſolùm ſine animæ periculo,ſed etiam cum merito. Cōtumelia enim creatoris ab inimico eius dicta, coram Dei amico dicta, cui diſplicet multum:non eſt cauſa quòd Deus offendatur ei qui ex ea moleſtatur. Legitur in vitis Patrum quòd quidam cuidã Abbati aperuit,quòd ſpiritu blaſphemiæ impugnaretur. Cui Abbas ait:Quando hæc cogitatio te arripuerit,dic:Blaſphemia iſta ſuper te ſit ſathana, Hanc enim cauſam anima non vult. Et innuitur his verbis duplex cauſa,quare nõ eſt tãtum periculum in iſta blaſphemia, ſicut mùlti credũt. Vna eſt quia animæ non placet: ſed vehemens timor offenſæ diuinæ adducit has cogitationes aĩæ nolenti. ſicut hõi timido, q̃ eſt in tenebris ſolus, adducit timor terribilia ante oculos cordis, licet hoc ſibi multũ diſpliceat. Præterea

In 2 parte cap. vel ſ5.13.

illæ

illæ blaſphemiæ diaboli ſunt quaſi conuiciantis Deo. vnde diſplicentia mereri poteſt, qui eas audit. Contra hanc tantationem eſt neceſſaria patientia: quæ ſi deſit, poterit accidere, quod cooperabitur diabolo ira ipſius, qui has cogitationes patitur: & erit tunc ipſius culpa.

De quibuſdam quæ multum valent ad triumphandum de diabolo.

CAP. II.

SEcundo ad repugnandum diabolo multum valet honeſta occupatio. Eſt enim velut murus prohibẽs, ne tentator acceſſum habeat ad ſeruum Dei. Homo otioſus eſt ſicut villa abſque muro. *Eze. 38.* Aſcendam ad terram ſine muro: veniam ad quieſcentes habitantéſque ſecurè. Hierony. Semper aliquid boni operis facito: vt te diabolus inueniat occupatum. *Eph. 4.* Nolite locum dare diabolo. Aguſtinus

ſtinus: Non facile capitur à tentatore, qui bono vacat exercitio. In libro de vita ſolitaria. Omnium tentationum & cogitationum malarum & inuentiuum ſentina eſt otium. Summa enim mentis malitia eſt ocium iners. Nunquam ocioſus ſit ſeruus Dei. Iob 40. Circundabunt eum ſalices torrentis. Salices torrentis ſunt homines infructuoſi, & in aquis deliciarum nutriti: qui ſunt circa diabolum parati ei obedire. Quantum cauendum ſit ocioſitas, patet ex illo verbo: Qui ſectatur ocium, ſtultiſſimus eſt. Non dicit ſolum ſtultus, vel ſtultior, ſed ſtultiſſimus. Aduertenda eſt triplex ſtultitia in ocioſo. Prima eſt, quod vitæ æternæ prouidere neceſſaria negligit. Secunda eſt, quod hoſtibus ſuis ſe exponit, vt prius oſtenſum eſt. Tertia, quòd hoſtes ſuos paſcit & nutrit: vicia ſcilicet, quæ ocio nutriuntur & impinguan-

Inter prin. & med. apud Ber.

Prou. 12.

guantur, vt boues, & cætera animalia. Sicut difficile vel impoſſibile eſt cauere, ne inutilia in agro naſcantur, niſi per diligentem culturam procuretur, vt vtilibus impleatur: ſic difficile vel impoſſibile eſt cauere à malis, niſi homo occupetur bonis. Per
Prou.24. agrum hominis pigri tranſiui: & per vineam viri ſtulti: & ecce totum repleuerant vrticæ: operuerant ſuperficiem eius ſpinæ. In vitis patrum dicebat quidam ſenex, quod tres ſunt virtutes ſathanę. Prima eſt obliuionis. Secunda negligentię. Tertia concupiſcentię. Diabolus vt in obliuionem inducat, rapit ſemen verbi Dei de corde hominis. In negligentibus
Mar.13. verò zizaniam ſeminat. Cùm dor-
Luc. 8. *Mat.13.* mirent homines, venit inimicus, & ſuperſeminauit zizaniam. Concupiſcentia verò inflammat, vt prius oſtenſum eſt. Seruus Dei qui eſt in religione, ocioſitatem timens, quę
mul

multa mala docuit, eligẽdo ſibi operationem, talem debet eligere, quę eum occupet: & potius quę occupet animum quàm corpus. Debet etiam eligere talem quę habet vtilitatem. In lib. de vita ſolitaria: Pro vitando ocio ocioſa ſectari ridiculũ eſt. Spiritualia etiam exercitia debet proponere corporalibus: & inter corporalia illa quę ſunt propinquiora ſpiritualibus. In eod. lib. Nõ vir propter mulierẽ: ſed mulier propter virũ. Nõ ſpiritualia exercitia ſunt propter corporalia: ſed propter ſpiritualia corporalia. Propterea ſicut viro creato collatum eſt adiutorium ſimile ſibi, & ex ipſa ipſius hominis ſubſtantia: ſic etiam ad adiutorium ſpiritualis ſtudij neceſſaria ſunt corporalia. Non tamen ſemper in hoc cõuenire videntur omnia corporalia exercitia: ſed quę cum ſpiritualibus propinquiorem videntur habere ſimi-

Inter prin. & mediũ libri.

Eodem loco iam dicto apud Bern.

ſimilitudinem & affinitatem: vt ſcribere eo quòd legatur. Corporalia enim exercitia & opera, ſicut ſenſus diſtrahunt, ſic ſæpe ſpiritum exhauriunt. In eodem: Quæris quid agas, in quo te occupes: Primum vltra quotidianũ ſacrificium, orationis, & lectionis ſtudium, conſcientiæ quotidianæ diſcuſſioni, emẽdationi, cõpoſitioni pars ſua diei neganda nõ eſt: deinde operandũ etiam manibus aliquid quòd iniungitur, non tam quod animum delectando detineat, quàm quod ſpiritualibus ſtudiis delectationem conſeruet & nutriat: in quo remittatur ad horam animus, non reſoluatur. Vnde ſe facile mox vt ſibi ad ſeipſum redeundum eſſe viſum fuerit, expediat, abſque contagio cõtractæ dilectionis vel memoriæ imaginantis. Debet etiam ſeruus Dei, cùm operatur, nõ ſolũ attendere ad id quod agit: ſed etiã ad id pro quo agit

agit. In eodem libro: Serius animus *Inter prin.*
& prudens ad omnem ſe comparat *& mediũ*
laborẽ, nec in eo diſſoluitur, ſed per *eius habe-*
eum magis in ſeipſum colligitur: qui *tur apud*
ſemper præ oculis habens non tam *Bernardũ.*
quod agit, quàm quod agendo inten
dit. Omnis conſummatio attendit
finem. Cui inquantum verius nititur,
intantum fidelius & feruentius manibus operatur.

De vigilantia quæ valet ad idem.

CONtra impugnationem diaboli multum eſt neceſſaria vigilãtia. Cùm timor hoſtium viſibilium, qui *Simile.*
ſunt minoris potẽtię, aſtutię & malicię, faciat homines vigilare armatos, & ad ſuam defenſionẽ paratos: quid debet facere timor inuiſibilium hoſtium. Præcepit Ionathas ſuis vigilare, eſſe in armis paratos ad pugnam. *1. Mach. 12*
Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. 1. Petri 5. Vigilate, *Matt. 26.*

quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret. Cùm non dormiat qui impugnat, dormire non debet ſomno pigritiæ vel negligentiæ, qui repugnat. Gregorius: Vigilandum ſemper eſt, vt mens ſollicita nunquam relaxetur ab intentione ſuperna. Semper contra occultas inſidias, cautela eſt prouidenda. Abacuc 2. Super cuſtodiam meam ſtabo. Cantic. 3. Vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum. Pugna iſta multum eſt habenda in memoria. Iob 40. Memento belli. Habenda eſt memoria huius pugnæ in manè, vt præmuniamus nos oratione, tanquam campum certaminis ingreſſuri. Item in veſpere, vt Deo gratias agamus; ſi de hoſte triumphum habuerimus. Si verò victi fuerimus, non debemus intrare lectum, donec Deo per humilẽ pœnitentiam reconciliati ſimus. Timendum

dum eſt valde in poteſtate inimici ſui obdormire. Quaſi continuè habenda eſſet huius pugnæ memoria. Valet enim ad hoc, vt homo ſit humilior, cautior & deuotior. Humilior eſt, qui ſine gloriatione eſt: ſciens ſe eſſe adhuc in prælio: Non glorietur accinctus, æquè vt diſcinctus. Cautior eſt intelligens ſe pugnam habere cum hoſte callidiſſimo. Bernardus: Magnum diſcrimen aduerſus diabolicæ fraudis aſtutias, tam crebros, imò tam continuos ſuſtinere conflictus, quem tam aſtutum fecit, tam ſubtilis natura, quàm malitiæ huius exercitatio lõga. Deuotior eſt Deo, quem vitæ ſuæ cognoſcit protectorem: cùm hoſtem habeat tam potentem: Non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei. Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti. Habemus pugnam cum gigante, cùm ſimus quaſi locuſtæ.

3. Reg. 20.

In medita. cap. 15. in fine. & ſer. 5. in quadrag.

Iob 41.
Trem. 1.

Origenes: Vult Dominus Ieſus mirabiles res facere. Vult enim de locuſtis ſuperare gigantes: & de his qui in terris ſunt, cœleſtes vincere nequitias. Etiam in pugna diaboli multum valet ſobrietas. Ideo Petrus de hac pugna inſtruens, primo monet ad ſobrietatem. Sobrij, inquit, eſtote: Diabolus primo impu-
1. Pet. 5.
gnat hominem ea parte, qua homo eſt eo inferior, ſcilicet, ex parte carnis. In Pſal. Minuiſti eum paulò minus ab angelis. Primò, tentauit hominem de peccato gulæ: ſimiliter & Chriſtum. In via laqueum ponit: per quam homo neceſſe habet ire. In Pſal. In via hac qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. In foueam magis propinquam conatur hominem præcipitare. Vix diabolum perfectè vincit, qui in hoc primo conflictu ſuccumbit. Bernardus:
In medio
Diabolus plus in adiutorio carnis confi

confidit:quia plus nocet domeſticus hoſtis.Idem,Hac vtitur tortuoſus ille ſerpens humani generis inimicus, cui nullum eſt aliud deſiderium,nullum negocium,nullum ſtudium, niſi perdere animas noſtras. Idē, Hic eſt qui baculo noſtro nos cedit, & manus noſtras proprio cingulo ligat, vt caro quæ data eſt in adiutorium, fiat nobis in ruinam & in ſcandalū.Grauis lucta & grande periculum aduerſus domeſticum hoſtem pugnare, maximè cum nos aduenæ ſimus, & ille ciuis: ille ſuam inhabitet regionē,nos exules ſimus & peregrini. Ad triumphandū etiam de diabolo multum valet fides. In omnibus ſumentes ſcutum fidei, quo poſſitis omnia tela nequiſſima ignea extinguere. Induti loricam fidei. Sancti per fidem vicerunt regna. Cui reſiſtite fortes in fide. Fides diabolum de arce mentis expellit,ponens ibi vexillum. Chri-

cap. 25. parū à prin. Eodem ca. 25 in med. & ſerm. 5. in quadra.

Ephe 6.

1. The. 5.
Heb. 11.
1. Pet. 5.

ſtum in cruce pendentem, quod diabolo multũ diſplicet, & quia ſuperbus eſt, & quia hoc vexillum ei exoſum eſt, eo quòd in cruce fuerit deuictus. Fides pugnantibus oſtendit Chriſtum tripliciter. Primò, vt ſtrennuum ducem, exemplum ſtrennuè pugnandi dantem. Secundò, vt potentiſſimum adiutorem. Tertiò, vt liberaliſſimum remuneratorem. Primo modo oſtendit eum ad exacuendum eos in prelium. Elephantis oſtenderunt ſanguinem vuæ & mori, ad acuendum eos in prelium: Ipſi vicerũt eum propter ſanguinem agni. Sic oſtendit ſe Apoſtolis, cùm eſſent clauſi propter metum Iudæorum. Secundo modo oſtendit ſe Stephano, pro eo lapidando: qui vidit Ieſum ſtantem à dextris Dei, tanquam paratum ad adiuuandum. Tertio modo oſtendit ſe Abraham, dicens ei: Noli timere Abraham. Ego prote-
ctor

1. Ma. 6. *Apo. 12.* *Luc. vlt.* *Io. pen.* *Act. 7.* *Gen. 15.*

ctor tuus ſum: & merces tua magna nimis. Pone me Domine iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me. Fides verò non ſolum ponit Deum iuxta hominem, ſed etiam intra hominem. Per fidem enim Chriſtus inhabitat in cordibus noſtris. Item fides oſtendit infernale patibulum eis paratum, ſi victi fuerint: & regnum eis paratum ſi vicerint. Oſten dit etiam eis Deum, & angelos bonos & malos: aſpicientes certamen eorum. Boni aſpiciunt, vt ſi vicerint, gaudeant: mali vt ſi victi fuerint, irrideant. Spectaculum facti ſumus mundo, & angelis, & hominibus. Bernardus, Dæmonum eſt ſuggeſtiones malas ingerere: noſtrum eſt non conſentire. Nam quoties reſiſtimus, diabolum ſuperamus, ange los lætificamus, & Deum honorificamus. Ipſe nos hortatur, vt pugnemus: adiuuat vt vincamus. Certan-

Iob 17.

1. Corin. 4.

I. vmed tat cap. 14. cir ca finem.

tes ſpectat: deficientes ſubleuat, vincentes coronat. Quæ autem dicta ſunt, intelligenda ſunt de fide viua, non mortua. Bernardus: Non mirum videri poteſt, ſi fides nequaquam vincit, quæ nec viuit. Item ad vincendum diabolum, multum valet ſpes vel fiducia in Deo. In Pſal. Qui confidunt in Domino, ſicut mons Syon. Item: Qui ſaluos facis ſperantes in te. Prouerb. 28. Qui ſperat in Domino, ſaluabitur. Non eſt pugna veſtra, ſed Domini. Et poſteà: Non eritis vos, qui dimicabitis, ſed tantummodo confidenter ſtate & videbitis auxilium Domini ſuper vos. Iſaiæ 40. Qui ſperant in Domino, mutabũt fortitudinem, ſcilicet, propriam in diuinam. Bernardus: Nihil ſic omnipotentiam verbi clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit eos, qui in ſe ſperant. Denique omnia poſſibilia ſunt credenti.

Serm. 1. in Oct. Paſcha, paulò ante med.

2. Par. 20.

Serm. 85 ſuper Cantica, parũ ante med.

denti. Idem: Quoties tentationibus reſiſtis, quoties vincis malignum: noli propriis viribus tribuere, noli in te, ſed magis in Domino gloriari. Quomodo enim ille fortis armatus tuæ cederet infirmitati? Etiam ad vincendum diabolum multum valet dilectio, quæ eſt vnitio hominis cum Deo & proximo. Fortis eſt vt mors dilectio. *Cant. 8.* Sicut diabolus diſpergendo impugnat: ſic Chriſtus in militibus ſuis colligendo & vniẽdo de ipſo triumphat: Qui non colligit mecum, diſpergit. *Luc. 11.* Melius eſt duos eſſe ſimul quam vnum. *Eccle. 4.* Si quis præualuerit contra vnum, duo reſiſtent ei. Sapientia etiam multum valet in bello contra diabolum: cùm ipſe aſtutia, non potentia pugnet nobiſcum. Exemplum de hoc habemus in Chriſto duce huius belli, qui prudentia eius percuſſit ſuperbum. *Iob. 26.* Ipſe tribus verbis ſacræ ſcripturæ diabolum proſtrauit

Mat.4. in deſerto. Vir ſapiens fortis eſt, &
Pro.24. vir doctus, robuſtus & validus, Di-
Eccle.9. cebam ego ſapiētiam meliorem for-
Sap 6. titudine. In eodem: Melior eſt ſapien
Ibid.7. tia quam arma bellica. Melior eſt ſa-
pientia quam vires: Sapientiam non
vincit malitia. Sicut caſtrum forte eſt
quod vndique profunda aqua cin-
ctum eſt: ſic facit ad fortitudinem
mentis, ſi cingatur aqua ſapientiæ
Iſaiæ 11. ſalutaris. Non nocebunt, neque oc-
cident in vniuerſo mōte ſancto meo,
quia repleta eſt terra ſcientia Domi-
ni. Loquitur de ſerpentibus inferna-
libus. Item ad vincendum diabolum
valet miſericordia, ſicut ad caſum
facit incōpaſſio & indignatio, quam
habet aliquis ad peccatores. Qui ad
Pro.29. indignandum facilis eſt, erit ad pec-
2.Pet.2. cata procliuior. Nouit Domin⁹ pios
de tentatione eripere. Et ſuper illud
Gloſſa ordina. ibid. Pſal. Miſericordia mea & refugium
meum. dicit gloſſa: De nulla re ita
vincitur

vincitur inimicus diabolus, ſicut de miſericordia. Eccleſiaſt. 29. dicitur de eleemoſyna: Super ſcutum potentis, & ſuper lanceam, aduerſus inimicum tuum pugnabit. Et notandum, quòd licet omnis tentatio poſſit eſſe à diabolo, ſpecialiter tamen diaboli tentationes dicuntur, quæ incitant ad iram & amaritudinem. Bernardus in Meditat. Caro ſuggerit mihi mollia, mundus vana, diabolus amara. Quoties aliqua carnalis cogitatio mentem meam importunè pulſat de cibo, de potu, de ſomno, cæteriſque ſimilibus ad carnis curam pertinentibus, caro mihi loquitur: quando verò de ambitione ſeculi & iactantia, & de arrogantia, cogitatio vana in corde verſatur, de mundo eſt. Quando autem ad iram & iracundiam, & ad amaritudinem animi prouocor, diabolica ſuggeſtio eſt, cui non aliter quam

In medio cap. 14. à med.

ipſi

ipſi diabolo reſiſtendum eſt. Et contra hanc diaboli tẽtationem valet lætitia ſpiritualis. Antonius: Vnica ratio vincendi inimicum eſt lætitia ſpiritualis. Contra amaritudinem hanc quam incurrit aliquando, qui eſt in religione, aduertendum eſt, quod nõ ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et ſuper illud: Omne gaudium exiſtimate fratres cum in tentationes varias incideritis: dicit gloſſa. Spe illius boni ad quod tenditis, quicquid in via cõtigerit, gaudere debitis. In Pſal. Lætatus ſum in his que dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Beati eritis, cum maledixerint vobis homines, & cum vos perſecuti fuerint, &c. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.

Gloſſa ordin. ibidem *Romi. 8.* *Iacob. 1.* *Matt. 5.*

De

De ſolatiis humanæ ignorantiæ & fragilitatis contra aſtutiam & potentiam diaboli.

CAPVT III.

ITem notandum, quòd licet hoſtes noſtri inuiſibiles ſint multum nobis potentiores & aſtutiores: habent tamen ſerui Dei multa ſolatia, & contra eorum potentiam, & contra eorum aſtutiam. Et poſſumus oſtendere decem ſolatia, quæ habent contra eorum potentiam. Primum eſt liberi arbitrij nobilis poteſtas, quæ à diabolo cogi non poteſt, de qua Ber. *Serm. 81. ſuper an. parũ ante medium.* Arbit. libertas eſt planè diuinũ quoddam præfulgens in anima tanquam gẽma in auro. Ex hac nempe ineſt illi inter bonum & malum, necnon inter vitam & mortem, & inter lucem & tenebras, cognitio iudicij & optio eligendi. In hac libertate homo non eſt inferior diabolo: imò ei præcellit, quia

quia liberum arbitrium diaboli adeò inclinatum eſt ad malum, & depreſſum, quòd ad bonum ſurgere non valet. Propter hanc libertatem arbitrij quæ eſt in homine, dicit Gregor. Non eſt timendus hoſtis, quia non poteſt vincere niſi volentem. Et ſuper illud Matth. 4. Mitte te deorſum.

Gloſſa ordina. ibid. Gloſſa. In quo infirmus oſtenditur, cùm nulli nocere poſſit, niſi prius ille ſe deorſum miſerit. Secũdum eſt gratia Spiritus ſancti, quæ in ſeruis Dei eſt: quam diabolus non habet, nec habere poteſt. Non eſt timendus ſpiritus malus ei cuius infirmitatem iuuat Spiritus ſanctus. Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram. Gratia iſta apoſtolos fecit inuincibiles. Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes. Gratia iſta Dei armatura eſt, quæ ſi ab homine non

Rom. 8. *Luc. vlt.* *Act. 1.*

abiicia

abijciatur,homo à diabolo non ſupe ratur.Boetius in libro de conſolatione:Talia contuleramus arma,quę niſi prior abieciſſes inuicto te,firmitate tuerentur.Tertium eſt ligatio diaboli, quæ non ſinit eum inferre violentiam ſeruis Dei,nec in eorum cor poribus,nec in rebus,niſi accepta licẽtia à Deo:vt patet in Iob,cui vnam ouiculam diabolus auferre nõ valuit, donec licentiã à Deo accepit.Quartum eſt refrenatio diaboli à tentatione ſeruorum Dei, vt non incitet eos ad malum quantum vellet: Fidelis Deus eſt,qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed faciet etiã cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.Nunquid illudes ei quaſi aui, aut ligabis eũ ancillis tuis? Deus diabolo quaſi aui illudit: dum in ſanctis carnis fragilitatem attendens,virtutem mentis quæ latet,non perpẽdit,qua agnita ipſe eos metuit.

Iob 1.

1.corin 10

Iob 40.

Gregor.

Lib. 3 dialog. cap. 20. in fine. Gregor. Si antiquus hoſtis à mente ceperit expelli, ex diuina largitate plerumque agitur, vt non ſolum iam timeri non debeat, ſed ipſe etiam bene viuentium virtute terreatur. Ancillis ligatur, quãdo adeò poteſtas eius refrenatur, vt etiam à puellulis ſuperetur. Virgo vna aliquando tenet contra diabolum caſtrum fragile corporis ſui 40. annis. Quintum eſt angelorum cuſtodia: quam Deus vocat ſepem: *Iſaiæ 5.* Auferam ſepem eius, & erit in direptionem. *Pſal. 4.* Angelis ſuis Deus mandauit de te. *Tob. 8.* Raphael religauit dæmonem in deſerto. *4. Reg. 6.* Dixit Elizeus ad miniſtrũ ſuum. Noli timere. Plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis. Sextum eſt adiutorium fratrum. Prouer. 18. Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma. *Hom. 8. in Eze. inter prin. & medium.* Greg. Electorum multitudinem eo maligni ſpiritus pertimeſcunt, quo eos per charitatis concordiam vnitos contra

ſe, &

contra ſe, & conglobatos conſpiciunt. Septimum eſt adiutoriũ ſanctorum. Ber. Super Cantic. Bene tecum agitur, ô mater Eccleſia, bene tecum agitur in loco peregrinationis tuę de cœlo & de terra venit auxiliũ tibi. Octauũ eſt gratia diuinę protectionis ſeruis Dei promiſſa: quam Dauid vocat ſcutum, dicens: Scuto circundabit te veritas eius. Bernard. Quemadmodũ vndique ſunt bella, vndique ſunt prĕſidia. Idẽ: Veritas circundabit, quia verax eſt qui promittit, & ſic exhibet vt promittit. Fidelis Deus eſt, &c. vt ſupra. Idẽ: Nõ incongruè ſcuto comparatur gratia diuinę protectionis: quod in ſuperiore parte latũ eſt, vt caput humeróſque cuſtodiat: in inferiori verò ſtrictius vt minus oneret, maximè quòd graciliores ſunt tibię, nec tam facilè vulnerentur: ſed nec adeò periculoſum ſit in illis partibus vulne-

Ser. 77. ſuper Cantic. circa medium.

Ser. 5 ſuper Pſal. qui habitat circa medium.

Simile.

1. Cor. 10.

rari. Sic omnino militibus ſuis Chriſtus ad interiora tuenda, magnã ſtricturam & penuriã rerum temporalium donat; nec vult eos illarũ multitudine prægrauari: ſed vult vt victũ & veſtitum habentes contenti ſint. In ſuperioribus verò dat latitudinem abundantis gratiæ ſpiritualis, ideo ſerui Dei debent intendere, vt ſanctorum ſuffragia & Dei protectionem habeant. Bern. Oratione opus eſt, ne inducamur in tentationẽ. Vnde eſt illud in oratione Dominica: Et ne nos inducas in tentationẽ. Itẽ: Luc. 18. Oportet ſemper orare, & non deficere. Eiuſdem 21. Vigilate omni tempore, orantes, &c. 1. ad Theſſal. 5. Sine intermiſſione orate. Bernard. Qui ſumus nos, aut quæ eſt fortitudo noſtra, vt tam multis tentationibus reſiſtere valeamus? Et ſubdit: Hoc erat in te, quod quærebat Deus. Hoc erat ad quod nos produce

Ser. 5. ſuper Pſal. qui habitat.

Ser. 5 in quadrage. parũ ante medium.

ducere ſatagebat, vt videntes defectum noſtrum,& quod non ſit nobis auxilium: aliunde ad eius auxilium tota humilitate curramus. Cũ ergo impetum tentationis ſentimus in cogitatione ſtatim fugiamus ad ipſum, & poſtulemus eius auxilium. Nonũ eſt ſuppoſitio manus diuinæ in caſu ſeruorum Dei. Bern. Omnes aliquãdo eſt neceſſe cadere, dum in hoc ſeculo detinentur: ſed alij colliduntur, alij non, quia Dominus ſupponit manum ſuam. Sed quomodo eos diſcernere poterimus: vt ſegregemus iuſtos ab iniuſtis? Et ſubdit: Hoc intereſt inter eorum caſus, quòd iuſtus ſuſcipitur à Domino, ideóque reſurget fortior: iniuſtus cùm ceciderit, nõ adiiciet vt reſurgat, imò aut in pudorem noxium, aut in impudentiam cadit. Aut enim excuſat quod fecit, & hoc eſt pudor adducens peccatum: aut fit ei frons me-

Ser. 2. ſuper Pſal. qui habitat. inter prin & med.

retricis,& iam nec Deum timet,nec hominem reueretur. Decimum eſt benigna Dei ordinatio:qua diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.Bern. Iocundum Dei iudicium: quod ille ſuperbus malleator humiliũ neſciens fabricat eis coronas perpetuas,omnes impugnando, & omnibus ſuccumbendo. Idem: Stat propoſitum, ſtat ſententia Dei ſuper timentes eum, ipſorum diſſimulans mala & remunerans bona: vt miro modo non ſolum bona,ſed etiam mala cooperentur in bonum. Idem: Nónne caſus nobis cooperantur in bonum: vnde humiles efficimur & cautiores? Cõtra aſtutiam diaboli habent etiam ſolatia ſerui Dei,de quibus quinque tangere ſufficiat. Primum eſt ſacræ ſcripturæ documentum. Secundum ſpiritualium virorũ conſilium. Tertium

Ser. 17. ſuper Cant à medio illius.

tium exemplum Chriſti & Sanctorum. Quartum inſtructio Angelorũ. Quintum Spiritusſancti magiſterium, qui errore periculoſo eos errare non permittit. Ille vos docebit omnia, &c. Vnctio eius docebit vos de omnibus. Sapientia Chriſti & ſeruorum eius præualet aſtutiæ dæmonum. Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & etiam dæmonibus. Serpens qui factus ex virga Moyſi, deuorat ſerpentes factos ex virgis Magorum. In ſerpẽte aſtutia deſignatur. Contra hoc quod diabolus omnibus creaturis vtitur ad ſeruorum Dei impugnationem, ſolatium eſt quod ſerui Dei eiſdem poſſint vti ad ſui defenſionem. Creaturæ enim incitant ad Dei timorem, amorem & laudem. Contra hoc quod ſerui Dei caſtrum cordis contra hoſtes inuiſibiles habent defendere, quod maius eſt mundo, cum

Io. 14.
1 Io. 2.
1. Cor. 1.
Exo. 7.

creatoris & creaturarum capax ſit: ſolatium eſt, quòd porta huius caſtri clauſa, hoſtes non timentur. Hæc porta eſt intellectus, per quem noxia & ſalubria ad animam intrant. Hæc porta clauſa eſt, cùm intellectus ſalubri meditatione occupatur. Cùm
Mat. 6. oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum.

Quomodo repugnandum ſit hoſti, cum impugnat moleſtiis, & cùm impugnat delitiis. C. A P. IIII.

ITem notandum quòd diabolus quandoque impugnat moleſtiis, quandoque delitiis. Cùm impugnat moleſtiis, non eſt fugiendum. Bonæ enim ſunt, & fugientes magis gra-
Ioſ. 7. uant. Mi Domine Deus quid dicam, videns Iſraelem hoſtibus ſuis terga vertentē? Sen. Quemadmodū pernicioſior eſt hoſtis fugientibus: ſic omne fortuitū incommodum magis in-

ſtat

ſtat cedenti ex aduerſo. Saluſtius: Fugientes ſæpius videas capi & occidi: fortiſſimum quemque tutiſſimum. Bernard. in epiſt. Sola cauſa qua perdere poſſis victoriam, fuga eſt. Fugiendò illam poteris amittere, moriendo non potes. Et beatus es ſi pugnando moriaris: quia mox coronaberis: ve autem tibi, ſi declinando pugnam, perdis ſimul & victoriam, & coronam. Idem: O verè tuta pro Chriſto, & cum Chriſto pugna: in qua nec vulneratus, nec proſtratus, nec conculcatus, nec millies ſi fieri poſſet, occiſus, fraudaberis à victoria: tantum ne fugias. Iac. 4. Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis. Ber. Libentius inſequitur aduerſarius fugientem, quam ſuſtineat repugnantem. Impugnatio quæ fit à delitiis vincitur fugiendo, 1. ad Cor. 6. Fugite fornicationem.

Epiſt. 1. in fine illius.

Epi. 1. circa finem illius.

Epi. 1 parum à fine illius.

Sex documenta quæ multum valent in pugna diaboli.

CAPVT V.

ITem notandũ, quòd ſex ſunt quæ in hac pugna homini multum valent. Primum eſt, vt tempeſtiuè arma accipiat. Aliqui tunc & primo arma accipiunt, quando iã vulnerati ſunt. Armorum acceptio, eſt ad tentationem præparatio, excogitandi modum, reſiſtendi tentationi: quod ante tentationẽ eſt faciendum. Secundum eſt, vt ex ea parte qua debilior eſt, & magis à diabolo impugnatur, magis ſe muniat. Si ad loquacitatem pronum ſe videat, magis taciturnitatem amplexetur. Tertium eſt, vt in loco vbi facilius poteſt reſiſtere hoſtibus, reſiſtat. In loco alto & arcto debilis reſiſtit forti: & paucitas multitudini. In alto eminentis vitæ ponere ſe debet: quod multis occupationibus faciendum eſt anguſto: vt hoſti

non

non pateat. Ad portas etiam ſenſuum reſiſtendum eſt hoſti. Quartum eſt,vt inter eos qui ſunt pro eo, & qui ſunt contra eum prudenter diſcernat.Cùm peiores inimici quos habemus,ſint proprius ſenſus,&propria volũtas,cõtradictiones quę impugnant proprium ſenſum,& perſecutiones quæ impugnant propriam voluntatem,pro nobis ſunt: fauores & applauſus qui nos decipiunt,cõtra nos ſunt,& ideo nobis ſunt timendi. Quintum eſt, vt repugnando magis contraria, quàm ſimilia eligat. Sicut aqua pugnatur contra ignem:ſic ſapientia pugnandum eſt contra ſtultitiam,bonitate contra maliciã,amore contra odium, taciturnitate contra loquacitatem. Sextum eſt,vt non inutiliter ſe fatiget in hoſtium impugnatione:quando glorioſius poteſt vincere ſine labore: qui modus vincendi pertinet ad pœnitentiam. Me-

mitãtur:& triſtitia multa. Sicut enim ſecura mens eſt quaſi iuge conuiuiũ, ſic mens puſilanimis, habet multum tormentum. Et ſicut qui modicum luctũ vult nimis vitare, ſolet aliquando in luctum magnum incidere: ſic qui nimis vult vitare quod puſilanimitas reputat malum, aliquando incidit in magnum malum:& ita arctatur ei via paradiſi, vt non appareat ei per eam tranſitus, propter quod eam dimittit, & manifeſtè per viam inferni incedit. Talis quod turpius eſt tantum quærit: quod periculum magnum, incurrit. Item illi qui habet hanc tentationem, multum vtile eſt, vt viſionem quam timor ille introducit, non reputet conſcientiam: & eo ipſo viſionẽ illam ſuſpectã habeat, quo introducta eſt à timore:& ſufficiẽti deliberatione eã examinet, cùm timor ceſſauerit. Sicut enim ira impedit animũ ne poſſit cernere verum: Prou. 15.

rum:ita & timor.Et in his quæ introducit puſillanimitas , magis alieno iudicio credat,quàm ſuo. Cùm verò viſionem illam,vel per ſe,vel alio indicante,errorem eſſe deprehenderit, libenter & audacter contra illum errorem faciat.Frequenter enim timēdo timidi:& frequenter audendo audaces efficimur. Valet etiam contra hanc tentationem, vt ab his quæ puſillanimitatem augent , caueatur. Et quia à maligno ſpiritu puſillanimitas iuuatur,vtilis eſt contra hanc tentationem oratio.

Finit tertius liber.

Incipit quartus liber eruditionis religioſorum.In cuius prima parte agitur de eruditione animi.

CAPVT I.

IN præcedentibus oſtenſum eſt, quomodo is qui in religione eſt ſedebat habere ad mundum , ad cor-

corpus propriũ,& ad inuiſibilem aduerſariũ. In hac parte oſtendendũ eſt quomodo debeat ordinare animum. Et primò ordinatio animi commendabitur. Secundò agetur de diuerſis ordinationibus. Tertiò tangetur de aliquibus inordinationibus. Circa primum notandum, quod ordinatio animi multũ facit ad pacem & tranquilitatem. Sicut lapis naturaliter nõ quieſcit ſurſum, imò tendit ad locum ſibi congruentem, & cùm illuc peruenerit, quieſcit: ſic animus inordinatus non quieſcit. Auguſt. Minus ordinata inquieta ſunt: ordinata autem quieſcunt. Idem in lib. confeſ. Iuſſiſti Domine, & ſic eſt, vt pœna ſibi ſit omnis inordinatus animus. Idem in lib. de Ciuit. Dei. Pax omnium rerum eſt tranquilitas ordinis. Ordinatio etiam multum facit ad decorem. Creatura rationalis ordinem ſuum ſeruans, eſt creaturarum pul-

Lib. 1. c. 13.

Lib. 19. cap. 13. in prin.

pulcherrima. Si verò non ſeruat or-
Cant.1. dinem ſuum, turpiſſima. Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres; ėgredere, & abi poſt veſtigia gregũ tuorum. Anima dignitatem ſuam agnoſcens, nec ſecundum eam ordinem ſuum ſeruans, brutis inferior efficitur. Adeò facit ordo ad decorem, vt mala quæ in ſe ſunt turpia, à Deo ordinata bonorum pulchritudinem non impediant, ſed potius augeant: vel in vèritate vel in apparentia. Aug. in lib. de Ciuit. Dei: Mala voluntas quia ordinem naturæ ſeruare noluit, non ideo iuſti Dei leges omnia bene
Simile. ordinantis effugit. Quia ſicut pictura cum colore nigro ſuo loco poſita venuſtior eſt: ita vniuerſitas rerum, ſi quis poſſit intueri etiam cum peccatoribus pulchra eſt: quamuis ipſos per ſe conſideratos ſua deformitas deturpet. Idem in lib. de natur. boni: Malum bene ordinatum, eminentius com-

commendat bona. Item ordinatio multum facit in fortitudinem. Anima bene ordinata terribilis eſt hoſtibus ſuis, ſcilicet dæmonibus & viciis, vt caſtrorum acies ordinata. Exercitus inordinatus facile vincitur: ordinatus verò ab hoſtibus timetur. Cũ diſpoſitione initur bellũ Anima ordinem ſuum ſeruans, cùm ſit propinqua altiſſimo, eſt valde in eminenti loco hoſtibus ſuis ſuperior: ideo non timet eos Pſalm. Super inimicos meos deſpexit oculus meus. Boet. in lib. de conſolat. Mali circa diripiendas inutiles ſarcinulas occupantur: boni autem deſuper irrident viliſſima quæque rapientes.

Cant. 6.

Prou. 24.

Secunda pars principalis de ordinatione rationis quantum ad actum cogitandi.

CAPVT II.

SEquitur de vniuerſitatibus ordinationũ. Et notandum quòd ordina

dinandæ ſunt animæ vires: ordinandæ ſunt & virtutes. Præuidenda eſt ordinatio,& reſpectu temporum, & reſpectu locorũ. In ordinatione animæ quantum ad vires, primo intendẽdum eſt ordinationi rationis: quia cum ratio ordinata fuerit, ipſa alias vires ordinabit. Ad ordinationem rationis pertinet, vt eius operatio actus aliarum virium præcedat. Bern. in libro de conſid. Non te totum, nec ſemper des actioni: ſed conſiderationi aliquid tui, & cordis & temporis ſequeſtra. Conſideratio ipſius actionis partes benigna præſumptione ſuas facit: peragendo quodammodo & præordinando quę agenda ſunt neceſſario: ne fortè quę pręuiſa & meditata eſſe poterãt proficuo, prę-cipitata magis periculo fiant. Item ad rationis ordinationem pertinet, vt ſeruus Dei ſibi prius, ampliúſque quam alteri intendat. Bernard. in lib. de con-

Lib. 1. circa mediũ illius.

de conſideratione: A te tua conſideratio inchoet: ne fruſtra extendaris a d alia, te neglecto. Quid tibi prodeſt, ſi vniuerſum mundum lucreris, te vnum perdens? noueris licet omnia myſteria, noueris lata terræ, alta cœli, profunda maris: ſi te neſcieris, eris ſimilis ædificanti ſine fundamento, ruinam non ſtructurã faciens. Nõ eſt ſapiens qui ſibi non eſt ſapiens, A te incipiat tua conſideratio: non ſolum autem, ſed & in te finiatur. Tu primus tibi: tu tibi vltimus. Conſideratio ſic progrediatur, vt non egrediatur: ſic exeat, vt non deſerat. In acquiſitione ſalutis tuæ nemo tibi germanior. In lib. de vita ſol. Egregium inſtrumentũ corporis oculus: ſi ſicut cætera, ſic etiam ſeipſum poſſet videre. Quod cũ interiori oculo cõceſſum ſit, ſi ad exterioris exẽplum ſeipſum negligens vacat circa aliena: cùm multum vult, non ſufficit redi- *Aliquantulum ante medium apud Ber.*

re ad ſeipſum. Tibi vaca multum: tu ipſe tibi ſollicitudinis materia es. Pertinet etiã ad rationis ordinationem, vt ſeruus Dei prius audiat, quàm docere præſumat: prius ea quæ in doctrina fidei ſibi appoſita ſunt, prudenter intelligat: vt qualia ſibi appoſita ſunt, pòſt pręparare ſtudeat. Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. Ordinanda eſt ratio quantum ad actum cogitandi, inquirendi, judicandi, memorandi, interrogandi, ſeu eloquendi. Quantum ad actum cogitandi, ordinanda eſt ratio, vt non ſolum cogitationes peruerſas, ſed ocioſas caueat: cogitationibus verò ad vſum vitæ, vel ad cultum Dei pertinentibus intendat. ordinatio rationis quantum ad actum cogitandi multum dependet ex diſpoſitiõne voluntatis. In libro de vita ſolitaria: Voluntas in omni cogitatione princeps eſt: & neceſſario princi

Eccleſ. 32.

Inter me- [illegible] ſi [illegible] libr.

principatum voluntatis ſequitur omnis tenor cogitationis. Tria enim ſũt quæ cogitationem faciunt: voluntas ipſa, memoria, & intellectus. Voluntas cogit memoriam, vt proferat materiam: cogit intellectum ad formandum quod profertur. In eodem: Cogitationum, aliæ bonæ & ſanctæ & dignæ Deo: aliæ malæ & peruerſæ quæ ſeparant à Deo: aliæ vanæ & ocioſæ, à quibus aufert ſe Deus. Hinc etenim dicitur, quòd peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo: & quia ſpiritus ſanctus aufert ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu. Intellectus ipſe eſt, qui quocunque ſeu in bonum, ſeu in malum applicatus fuerit, naturaliter viget: ſed alius inuenitur ſibi relictus: alius gratia illuminatus. Ille ſęculi rebus & ſeriis & nugatoriis ſe non negat: hic non niſi dignis ſe rebus accommodat. Ille ſæpe operatur, ſicut ſibi relictus, & vicio

apud Bernard.

Inter med. & finem lib.

Sap. 1.

infectus, ex vicio rationis & vicio corruptę voluntatis texēs malas peruerſasque cogitationes, quibus ſemetipſum qui cogitat ſpontè ſperat à Deo: hic autē ſicut illuminatus & virtuti affectus, operatur pietatem, quæ cogitantem coniungit Deo. Cogitationes ſine intellectu ipſæ ſunt vanę & ocioſæ, neutro intellectui per cogitationis intentionem ſe applicantes, non repente perimentes, ſed paulatim corrumpentes, occupantes tempus, neceſſaria impedientes: & animum inficientes, & non tam cogitationes, quam ex veris vel imaginariis recordationibus ſimulachra quædam cogitationum, ſeu ipſæ recordationes vltro multipliciter in memoriā ſcaturiūt, in quibus paſſio quædā volūtatis potius eſſe videtur, quā actio: cū nulla ſit in eis cogitātis intētio. cùm id quod ſpōte ebullit de memoria, formandū ſe offert intelle-
ctui

ctui non curanti: & quicquid agitur, potius agi videtur in ſomno dormiẽ tis, quàm in acie cogitantis: vbi tamen & ſi repellere à ſeipſo Spiritum ſanctum non eſt in voto cogitantis: fit tamen ex culpa negligentis, vt ſpiritus diſciplinæ merito ſe auferat à cogitationibus indiſciplinatis. Ad ordinationem rationis quantum ad actum cogitandi, quatuor multum valent. Primum eſt boni tranſitorij contentus. Amorem boni tranſitorij comitatur turba cogitationum tumultuoſarum. Econuerſo. Contemptus boni trãſitorij habet ſolitudinẽ. Greg. ſuper illud: Qui ædificant ſibi ſolitudines. Omnis terrenus denſis tumultibus premitur: & frequentia deſideriorum quaſi turbarum calcatur. Idem: Sancti viri quia nihil huius mundi appetunt: nullis proculdubio in corde tumultibus premuntur. Secundum eſt ſenſuum exteriorum cu-

Iob 3.
Lib. 4. ca. 30. in prin.
Lib. 4. ca. 34. in prin.

Simile. ſtodia. Sicut cuſtodia portæ ad hoc valet, vt non intret qui intrare nõ debet: ſic cuſtodia ſenſuum ad hoc valet, vt cogitatio mala ad cor non intret: Claude oſtia tua ſuper te. *Iſa. 26.* Tertiũ eſt vigilantia qua cogitationes malæ quę oriuntur, & cauſæ eorum deprehenduntur. Quartum eſt virilitas ad operandum, qua cogitationes malæ in corde naſci prohibentur: & ſi natæ fuerint, expelluntur. Hæc duo nobis commendantur: Vigilate, inquit, ſtate in fide, viriliter agite. *1. Corint. 16* Qui cogitationibus malis carere deſiderat, cogitationibus bonis cor occupare ſtudeat. *In ser. de triplici genere cogitationum.* Bernardus diſtinguit diuerſa genera cogitationum, à quibus multa ſollicitudine cauere neceſſe eſt eos qui conuertuntur ad cor: & dignum Deo in ſemetipſis tẽplum exhibere feſtinant. Sunt enim nonnullę cogitationes penitus ocioſę, quas tã facilè abijcere quã repellere poteſt anima

ſecum

ſecum habitans in corde ſuo,& aſſiſtens dominatori vniuerſæ terræ. Sũt & alię violentes magis & fortius adhærentes, quæ ad neceſſitatem animę pertinent: & quaſi ex eodem limo aſſumptæ, de quo & nos: quæ ſi paululum inſederint, euelli nequeunt ſine læſione & difficultate. Sępe enim ſic afficit nos carnalis cogitatio de neceſſariis corporis, vt vix eradicari poſſit à nobis: & quia limoſa cum ſit & viſcoſa, limoſam ſimiliter inuenit terram. Non ſine cauſa dictum eſt, hominem non plaſmatum de terra qualibet, ſed de limo. Oportet reprimere, quem extinguere nõ poſſumus appetitum, vt quàm cito mentem ingreditur, creſcere non ſinatur: ſed ſicut dicit ſcriptura, ſub nobis ſit appetitus, & nos dominemur illius. Eſt & tertium cogitandi genus immundũ nimis & fetidum, quod nec admittere quidem vlla ratione debemus.

ſed à longè præſentire fetorem, & tota virtute repellere ad gemitus conuerſi, lachrimis & ſuſpiriis inuocantes Spiritum ſanctum, qui adiuuet infirmitatem noſtram. Dico autem cogitationes illas immundas penitus & fetidas, quæ ad luxuriam, ad inuidiam, & vanam gloriam pertinent: cæteraque vicia deteſtanda.

De ordinatione rationis quantum ad actum inquirendi.

CAPVT III.

QVantum ad actum inquirendi, ordinãda eſt ratio, vt caueat ne nimis difficilia vel inutilia inquirat:
Tro.23. Nõ erigas oculos tuos ad opes quas habere non potes, ſed prudentiæ tuæ pone modum. Altiora te, ne quæſieris:
Eccl. 3. & fortiora te, ne ſcrutatus fueris.
Ro..2. Non plus ſapere quàm oportet ſapere. Seneca. Id quære quod potes inuenire: id diſce quod potes ſcire. In ſuperua

ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter. Confundentur qui operan tur linum: plectentes & texentes ſubtilia. Item ordinanda eſt ratio, quantum ad actum ſciendi, ſcilicet ordinem, ſtudium & finem. Bernard. ſuper Cant. Scias quo ordine, quo ſtudio, quo fine noſſe quæque oportet. Quo ordine vt illud prius, quod maturius ad ſalutem. Quo ſtudio, vt id ardentius qúod vehemẽtius ad amorem. Quo fine: ad ædificationem tui, & proximi. Sunt enim qui ſcire tantum volunt, vt ſciant: & turpis curioſitas eſt: & ſunt qui ſcire volunt, vt ſciantur, & turpis vanitas eſt: & ſunt qui ſcire volunt, vt ſcientiam vendant & turpis queſtus eſt: & ſunt qui ſcire volunt, vt ædificent, & charitas eſt: & ſunt qui ſcire volunt vt ædificentur, & prudentia eſt. De ſtudio eius qui nouus eſt in religione, dicitur in libro de vita ſolitar. Nouo in

Eccle. 3.

Iſa. 19.

Non multum remote à med.

lib. habetur apud Ber. Chriſto homini ad exercenda' eius interiora, melius & tutius proponuntur legenda & meditanda Redemptoris noſtri exteriora: & oſtendendum in eis exemplum humilitatis, prouocatio charitatis, & affectus pietatis, & de ſcripturis ſanctis, & ſanctorum patrum tractatibus moralia quæque & planiora. Proponenda etiam ſunt ei geſta, & paſſiones ſanctorum: vbi nec laborandum ſit ei in planicie hiſtoriali: & ſemper aliquid occurrat, quod nouitij animum excitet ad amorem Dei, & cõtemptum ſui. Porrò aliæ hiſtoriȩ delectant quidẽ cùm leguntur, ſed non ȩdificant: quin potius mentem inficiunt: & in tempore orationis vel ſpiritualis meditationis inutilia quȩque vel noxia ſcaturire faciunt memoriam. Lectionis quidem modum ſequi ſolet ſimilis meditatio. Difficilium etiam ſcripturarum lectio fatigat, non reficit teneriorem

riorem animum:frãgit intentionem: hebetat ſenſum vel ingenium.

De ordinatione rationis quantum ad actum iudicandi.

CAPVT IIII.

ORdinanda eſt ratio, quantum ad actum iudicandi, vt ab his quæ non ſunt noſtri iudicij, humiliter ſe temperet:ea verò quę ſunt noſtri iudicij,diligenter examinet. Noſtri iudicij non ſunt,quę nobis incerta ſunt de quibus dicit gloſſa, ſuper illud: Nolite iudicare. Duo ſunt,in quibus temerarium iudicium cauendum eſt. Sunt enim quędam media & incerta, de quibus ignoramus, quo animo fiant, quæ bene vel malè poſſunt fieri. Neſcimus qualis futurus eſt, qui nũc apparet malus:de cui⁹ correctione deſperare,eũq́ue quaſi abiectũ reprehendere, temerariũ iudicium eſt: Nolite ante tẽp⁹ iudicare.Inferiores etiam

Matt. 7. Gloſſa ordina. ibid.

1.Cor.4.

etiam non debent iudicare ſuperio-
Matt.7. res Gloſ.ſuper Matt.7.Temerarium
Rom.14. eſt, quando quibus commiſſum non
eſt,iudicant. Tu quis es, qui iudicas
alienum ſeruum. Ea quæ noſtri iudi-
cij ſunt, diligenter ſunt examinanda.
Sene.Prudentis eſt examinare conſi-
lia: & non facili credulitate ad falſa
Eccle.19. prolabi: Qui cito credit, leuis corde
eſt. Non eſt admittenda ſententia in
cōſenſu credulitatis, niſi examinata.
Senec. Opiniones tuæ iudicia ſint.
Sicut in diſputationibus non admit-
timus,niſi manifeſtè vera:vel quę vis
probationis extorſerit:ſic & conſen-
ſum credulitatis non debemus admit
tere,niſi vel manifeſta, vel ea de qui-
bus ſit nobis plena fides.quod pręci-
puè ſeruandum eſt in his quæ nō ex-
pedit nobis credere: vt ſunt mala de
proximo, vel bona ſiue alta de no-
bis.Mala credita de proximo faciunt
ad hoc quod eum deſpiciamus, vel
minus

minus eum amemus quæ nobis non expediũt. Alta credita de nobis, reddunt nos tumentes: & bonorum inſuſceptibiles: Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes: Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos. Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublimè ſapere. Magna æſtimatio ſui, eſt velut albugo in oculo interiori viſum impediens. Greg. in paſtorali: Pupilla oculi nigra videt: & albuginẽ tollerãs nihil videt: quia humanæ ſenſus cogitationis ſi ſtultũ & peccatorem ſe intelligit, cognitionem claritatis apprehendit. Si autẽ candorem ſapientiæ ſeu iuſtitiæ ſibi attribuit, à luce ſe ſupernæ claritatis excludit. Vbi humilitas, ibi ſapiẽtia. Greg. Prima ſtultitia angeli fuit elatio cordis. Vera ſapientia hominis, eſt humilitas ſuæ æſtimationis. In libro de vita ſolitaria: Omnis ſuperbia eſt ſtulta.

Iſai. 5.

Rom. 12.

1 Tim. vlt.

Lib. 1. paſtor. ca. vlt. à med.

Pro. 11.

circa medium lib. & habetur apud Bernard.

De

De ordinatione orationis quantum ad actum memorandi.

CAPVT V.

ORdinanda eſt ratio quantum ad actum memorandi. Et notandū quod memoratiuæ rationis triplex eſt actus. Primus eſt ſpecies intelligibiles retinere: ſecundus eſt eas repræſentare, tertius eſt amiſſas reparare, & hoc eſt reminiſci. Ad ordinationem memoratiuę pertinet, vt ſalubria libenter memoremur: noxia verò obliuiſcamur. De ſalubribus quæ laudabiliter memoramur: aliqua tangamus. Primo commendabilis eſt memoria benefactoris vel beneficij: & maximè memoria creatoris vel redemptoris. Memento creatoris tui: *Eccle. vlt.* Hoc facite in meam commemorationem. *Luc.22.* Mementote diei huius qua *Exo.13.* egreſſi eſtis de Aegypto. Gratiam fideiuſſoris ne obliuiſcaris. *Eccle.29.* Dedit enim

nim pro te animam ſuam. In libro de vita ſolitaria. Scit quicunque ſenſum Chriſti habet, quantum Chriſtianæ pietati expediat: quantum ſeruum Dei, ſeruum redemptoris Chriſti deceat, & vtile ſit ei, vna ſaltem aliqua diei hora paſſionis ipſius ac redēptionis attentius recolligere beneficia: ad fruendum ſuauiter in conſcientia, & recolendum fideliter in memoria. Secundò, memoria præceptorum Dei. Erunt verba hęc quæ pręcipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis: & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere: dormiens atque conſurgens: Non recedat volumen legis huius de ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus & noctibus. Quę pręcepit tibi Deus hęc cogita ſemper. Tertiò, Memoria iuſtitię quam Deus exercuit in tranſ-greſſores mandatorum ſuorum. In Pſalmo Memorabor iuſtitię tuę *Deut 6* *Ioſue 1.* *Eccle. 3.*

Eccle.18. tuæ ſolius : Memor eſto iudicij mei: ſic enim erit & tuum. Mihi heri & tibi hodie. Quartò, memoria diuinæ miſericordię quę valde neceſſaria eſt poſitis in tribulatione, ne in deſpe-
Eccle.51. rationem labantur: Memoratus ſum miſericordiæ tuæ Domine, & cooperationis tuæ quæ à ſeculo ſunt:qui eruis ſuſtinentes te Domine,& libe-
1.Ma.4. ras de manibus gentium.Memento te qualiter ſalui facti ſunt patres noſtri in mari rubro. Quintò,memoria
Iob 40. belli ſpiritualis, in quo tot & tãti ceciderunt. Memento belli.Hiero. Ne in præterita caſtitate confidas, nec Dauid ſanctior,nec Salomone potes eſſe ſapientior, nec Sampſone fortior. Memento ſemper quod paradiſi colonum mulier de poſſeſſione ſua eiecit. Sexto memoria vitæ ſanctorum, quam debemus imitari. Greg. Facta præcedentium conſideremus: & non erunt grauia quæ tolleramus.

Memen-

Mem̄etote ſermonis mei quem dixi *Ioan.15.*
vobis:non eſt ſeruus maior Domino
ſuo.Si me perſecuti ſunt,& vos per-
ſequētur.Septimò, Memoria aduer-
ſitatis in proſperitate,& proſperita-
tis in aduerſitate.In die bonorum ne *Eccl.11.*
immemor ſis malorū:& in die malo-
rum ne immemor ſis bonorum: Me- *Ibid.18.*
mento paupertatis in tēpore abun-
dantiæ.Octauò,memoria mortis.In *Eccl.7.*
omnibus operibus tuis memorare
nouiſſima tua: & in æternū non pec-
cabis. Nonò ,memoria ſtatutus ho-
norabilis,à quo quis degenerauit:vt
eſt nobilitas carnalium vel ſpiritua-
lium parentum: à qua quis cecidit.
Sapiens. Ad hoc tantum nobilitatis
memineris, vt cum claritate generis
morum ſanctitate contendas:& cum
nobilitate corporis, animi nobilita-
te proficias. Attēdite ad petram vn- *Iſai.51.*
de exciſi eſtis. Attendite ad Abra-
ham patrem veſtrum. Memor eſto *Apo.2.*

vnde excideris, & age pœnitentiam. Decimò, memoria propriorũ peccatorum ad dolendum. *Iſa. 38.* Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Multa etiam ſunt, quorum eſt laudabilis obliuio. Primò, eſt laudabilis obliuio iniuriarũ: Non memoreris iniuriæ ciuiũ tuorum. *Leuit. 19.* Animus obliuioſus beneficiorum, & tenax iniuriarum eſt velut collatorium feces retinens: & quod purum eſt, exire permittens. Secundò, obliuio beneficij alteri dati. Hæc eſt enim lex beneficij inter duos (vt ait Sapiens) quòd alter ſtatim debet obliuiſci dati: alter memor eſſe accepti. Tertiò, obliuio delectationũ, quas aliquis habuit in peccatis. Qui recogitat præterita peccata delectãdo in eis mentem: reuertitur in Aegyptum vt filij Iſrael: *Num. 11.* Recordamur piſcium quos comedebamus in Aegypto. Item hoc eſt reſpicere retro,

vt vxor Loth, quæ verſa eſt in ſtatuam ſalis. Memores eſtote vxoris Loth. *Luc. 17.* Quartò, obliuio rerum temporalium in viris contemplatiuis. Quæ retro ſunt obliuiſcẽs, ad ea verò quæ ſunt priora extendens meipſum. *Phil 3.* Philoſophus loquens de temperantia perfectorum. Temperantia, inquit, eſt terrenas cupiditates nõ reprimere, ſed penitus obliuiſci. Itẽ ad ordinationem memoratiuè pertinet, vt in ea prius neceſſaria reponantur. Si enim primo ſuperuacuis repleta fuerit: neceſſaria non admittit. *Ep ſt. 89. declinando ad finem.* Se. Liberalium artiũ cõſecratio verboſos & ſibi placentes facit & ideo non diſcẽtes neceſſaria, quia ſuperuacua didicerũt. Item ad eius ordinationẽ pertinet, vt caueatur ne multitudine eorum quę leguntur vel audiuntur, memoria confundatur. Se. Cùm multa percurreris, vnum excipe quod illo die decoquas. *Epiſt. 2. à med. illius.* Itẽ diſtrahit librorum

multitudo. Itaque cùm legere non poſſit quantum habueris: ſufficit habere quantum legas. Ruminatione etiam longa infigendum eſt memoriæ, quod nolumus obliuiſci. Et qui ſentit ſe habere labilem memoriam, ſcriptura eius defectum ſupplere debet. Sapientiam ſcribe tempore va-

Eccl. 38. cuitatis. Bis ſcripſit Dominus decalogum populo Iudæorum in tabulis lapideis. Etiam habenti tenacem memoriam neceſſaria eſt ſcriptura, quia iuxta verbum Senecæ, in memoriam primo ſenectus incurrit.

De ordinatione orationis, quantum ad actum interpretandi.

CAPVT VI.

ORdinanda eſt ratio, quantum ad actum interpretādi. Et notandū quod interpretatiua eſt vix iudicatiua intellectus, & eius duplex eſt act9: ſcilicet excogitatio, & ſignificatio. Excogitatio eſt informatio cogitationis

tionis ad exprimendum quod eſt dicendum. Significatio verò eſt demóſtratio cogitationis formatæ per verba vel alia ſigna & ad ordinationem interpretatiuè pertinet, vt quod dicendum eſt, prius ponderetur in corde quam proferatur ore. Labia imprudentiũ ſtulta narrabũt: verba autem prudentiũ ſtatera ponderabunt. *Eccl.21.* In Pſal. Os iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudiciũ. Iuſtus os ſuum reputat os cordis, ſcilicet vim cognitiuã, cuius eſt ſapientiam meditari: vt os cordis prius loquatur iudicium. ſ. ſententiam examinatã. De ordinatione pertinente ad locutionẽ, habitũ eſt ſupra. 2. lib.

Secunda pars de ordinatione voluntatis.

CAPVT VII.

SEquitur de ordinatione voluntatis, cui multum intendendum eſt. Ordinata enim volũtas, fons eſt om-

nium bonorum : inordinata verò fons omnium malorũ. Nec prodeſt ordinatio cæterarum virtutũ : ſi voluntas inordinata remanſerit. In libro de vita ſolitaria: Omnis vicij fruſtra ſiccatur riuus : ſi fons non fuerit obturatus. In eodem. Bona voluntas in animo eſt origo omnium bonorum, & omnium mater virtutum, ſicut econuerſo mala voluntas omnium malorum & viciorum. In eodem : Remiſſa voluntas facit leuitatem mentis , ex qua prodeunt inſtabilitas mentis, inconſtantia morum, vana lætitia, ſæpè vſque ad laſciuiam carnis : vana triſtitia nonnunquam vſque ad ægritudinem corporis : & multa alia in negligẽtia vel trãſgreſſione propoſiti ex leuitatis vicio venientia. Sic etiam ſuperba voluntas in magna ſæpè cordis inopia, tumẽtem efficit animum : vnde procedunt vana gloria , fiducia ſui , negligenti

Inter medium & finem lib. & habetur apud Bern.

gentia Dei, iactantia, inobedientia, contemptus, præſumptio, & cæteræ animi peſtes: & quæ profluere ſolet ex tumore & vſu ſuperbiæ. In hunc modum omnia genera viciorum ex aliquo malæ voluntatis affectu, vel malæ conſuetudinis vſu ducunt originem: quæ quanto diutius menti inolita eſt, tanto fortius hæret, & fortioribus remediis eget: & curam requirit diligentiorem. In eodē: Cùm voluntas declinat in ea quæ carnis ſunt, concupiſcentia carnis eſt: cùm in curioſitatem ſęculi, concupiſcentia oculorum eſt: cùm in ambitionem gloriæ & honoris, ſuperbia vitę eſt. In eodem legitur de ordinatione voluntatis: Voluntas in ſpiritualibus, & in his quæ ad Deum ſunt, cùm vult quod poteſt, laudanda eſt: cùm vult quod non poteſt, & pluſquam poteſt, regenda eſt: cùm non vult quod poteſt, excitanda eſt

Inter med. & fin. lib.

Inter med. & fin lib. in Bern.

& prouocanda. Sæpe enim ſi nõ frenatur, impetum facit: & cogitur in præceps. Sæpe ſi non excitatur, dormit & tardat, & obliuiſcitur quo tẽdebat: & facile declinat quaſi à latere in obligationes oblatæ delectationis. Ad ordinationẽ igitur voluntatis pertinent refrenatio & incitatio. Refrenanda eſt voluntas à malis:
1. Cor. 10. vt ea omnino non velit. Non ſimus cõcupiſcentes malorũ. Malũ concupiſcere: eſt quaſi venenum appetere. Itẽ refrenanda eſt à minimis bonis: ne nimis ea velit. Bona minima ſunt contẽnenda: non nimis appetenda. Pluribus ſunt nociua quàm vtilia.
Prou. 1. Vſquequo ſtulti quæ ſibi noxia ſunt
Inter medium & finem lib. apud Ber. cupient? Itẽ refrenanda eſt, ne velit propter ſe, quod propter aliud debet velle, vel econuerſo. In lib. de vita ſol. Cuſtos animæ ſuæ valde ſollicitus debet eſſe circa cuſtodiã voluntatis ſuæ, vt prudenter intelligat & diſ-

diſcernat,qui in totũ velit, vel volendũ ſibi ſit,ſicut amor Dei: quid propter illud, ſicut amor proximi. Refrenãda eſt ne velit ſimpliciter,quod cum modo vel conditione velle debet:vt bona temporalia. Aug. Quando tẽporalia petitis, cum modo petite, & cum timore Deo cõmittite: vt ſi proſint,det:ſi ſcit obeſſe,nõ det. Incitanda eſt voluntas, vt plus velit vtilia, quã ea quæ vt frequenter ſunt noxia:permanentia quàm ſugientia. Ber. Magna cõfuſio. Ardentius deſiderant ſeculares perniciosa, quàm nos vtilia:alacrius currunt ad mortẽ, quã nos ad vitã. Aug. O ſi poſſemus homines excitare, & cũ illis pariter excitari: vt tales eſſemus amatores vitæ permanentis,quales ipſi ſunt vitæ fugientis. Itẽ incitanda eſt voluntas,vt boni inchoationẽ nõ differat: & vt bono inchoato remiſſe non agat. Ne tardes cõuerti ad Dominũ,

Ser. 13 de verbis Domini à med.

Eccl. 5.

Prou. 10. & ne differas de die in diem: Egeſtatem operata eſt manus remiſſa. Item incitanda eſt voluntas ad magna bona: vt ad magna bona, magnū deſiderium habeat Aug. Seruat tibi Deus, quod nō vult cito dare: vt magna diſcas magnè deſiderare. Qui multum vult, multū poteſt: qui parū vult, parum poteſt. In lib. de vita ſolit. Ignoſce Domine, ignoſce, excuſamus, tergiuerſamur, ſed non eſt qui ſe abſcondat à lumine veritatis tuæ. Vix eſt aliquis, qui in eis quæ agit quæ à te ſunt, experiri velit quid poſſit, etiā quod promptiſſimè poteſt ſecundū carnem: cùm ſęculum, vel timor impulerit, ſiue cupiditas traxerit. Sed ſi fallimus inſcios non nos permittas; vt quaſi volentes fallere te, fallamus noſmetipſos. Non laboramus, quia vel non poſſumus, vel non poſſe nobis videmur: vel à conſuetudine ocij vel deliciarum noſtrarum nos non poſſe

Paulo à med. lib. apud Ber.

poſſe efficimus. In hoc peccato noſtro manifeſto iudicio tuo occulto formaſti nos, vt qui hoc nō multum volumus non poſſumus: vel quia nō voluimus cùm potuimus, cùm volumus non poſſumus. Item incitanda eſt voluntas vt perficere appetat: & ad perfectionem tendat. Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt. In libro de vita ſolitaria. Nolle eſſe perfectum, delinquere eſt. Ber. Magna pars profectus eſt, velle proficere. Auguſt. Noſtrū progredi, iam regredi eſt. Ceſſet omnis ignauia, ſi volumus non redire: currendum eſt. Leo papa: In decidendi incidunt periculum, qui proficiendi perdiderunt appetitum. Item ad ordinationem voluntatis humanæ pertinet, vt Dei voluntatem tanquam regulam habeat, & ei ſe conformare ſtudeat: & quod ei placuerit ſibi placeat. Gloſ. ſuper illud Pſalm. Glo-

Mat. 5.

Inter med. & fin. lib. & habitur apud Ber. Epiſt. 254.

Gloriamini recti corde omnes. Recti corde ſunt:qui dirigunt cor ſuum ſecundum voluntatem Dei. Seneca. Vir bonus quicquid illi acciderit, æquo animo ſuſtinebit. Sciet enim hoc accidiſſe lege diuina,ex qua vniuerſa procedunt. Cùm aliquis volũtati diuinæ ſuam perfectè conformat:nihil eius voluntati, ſicut nec voluntati diuinæ obſtat,quod ad pacem animi multum facit. Contrariũ verò huius multum facit ad animi perturbationem. Quis reſiſtit ei, & pacem habuit? Ad ordinationẽ etiam voluntatis pertinet, vt reſpectu aliarum virium dominium habeat, & ſeruituti viciorum, quæ peſſima eſt, ſe non ſubdat. Bernardus. An non ſeruus, qui dominatur iniquitas? Et maximè niſi tu indignius iudices, hominem tibi, quàm vicium dominari.

Epiſt.77 à medio.

Iob.9.

Lib.1 de conſi. ante medium.

Tertia

Tertia pars. Actus concupiſcibilis & iraſcibilis determinantur.

CAPVT VIII.

SEquitur de ordinatione virtutis concupiſcibilis & iraſcibilis. Cõcupiſcibilis tendit ad bonum appetitu delectandi. Motus iraſcibilis eſt in bonũ arduum vel contra malũ appetitu vincendi. Actus pertinentes ad concupiſcibilẽ ſunt cõcupiſcere, gaudere, diligere, & actus contrarij iſtius ſunt reſpuere, dolere, vel triſtari & odire. Concupiſcere eſt appetere ſibi bonum, quod nondum habetur. Appetitus verò iſte ſi ſit cum intentione, dicitur deſideriũ. Gaudere eſt iocundari de boni adeptione, vel eius fruitione. Diligere eſt alicui bonũ appetere: & eſt propriè reſpectu alterius, nõ reſpectu ſui. Contrarium ei quod eſt cõcupiſcere, eſt reſpuere. Reſpuit verò aliquis bonum

vel faſtidiendo vel abominãdo. Abominatio eſt cum intentione. Contrarium ei quod eſt gaudere: eſt dolere, vel triſtari. Dolere eſt affligi ex ſeparatione boni vel conuenientis: vel coniunctione mali, ſed diſconueniẽtis. Contingit etiam aliquando de malo proximi dolere, quod eſt miſericordiæ: vel de eius bono, quod eſt inuidiæ. Ei verò quod eſt diligere, contrariũ eſt odire. Tres primi actus ſunt ſecundum boni placentiam: tres alij ſecundum diſplicentiam. Actus iraſcibilis reſpectu excellentiæ vel humilitatis ſunt quatuor, ſcilicet ambitio, ſpes, dominatio, contemptus. Ambitio & ſpes ſunt reſpectu eius quod nondum habetur. Ambitio eſt appetitus honoris vel excellentiæ. Spes verò appetitus eius cum fiducia obtinendi. Dominatio eſt appetitus honoris obtenti vel gloriatio de illo. Contemptus eſt reprobatio.

batio ſubiectionis propriæ. Contemptus etiam eſt reprobatio rei vel perſonæ:quia æſtimatur vilis à debilitate. Iraſcibilis ſunt quatuor actus contrarij, quatuor prædictis. Primus qui contrariatur ambitioni, eſt fuga honoris vel excellentiæ, quæ paruitas ſpiritus dici poteſt. Spei contrariatur deſperatio : quæ eſt fuga boni ardui propter diffidentiam obtinendi. Dominationi contrariatur humiliatio,quæ eſt amor ſubiectionis fugiens excellentiam. Contemptui cõtrariatur reuerentia: quæ eſt veneratio rei vel perſonę propter eius excellentiam. Actus iraſcibilis cõfortantis ſe cõtra malũ, ſunt tres, ſ. iraſci,audere, & inſurgere. Contra malum iraſci, eſt vindictam vel punitionem appetere. Audere eſt de victoria mali præſumere. Ex his ſequitur inſurgere in deſtructionem mali, quod eſt magnanimitatis. Actus iraſci-

ſcibilis fugientes malum ſunt tres, ſcilicet pœnitentia: quæ eſt fuga vel deteſtatio præteriti mali: impatientia, quæ eſt fuga mali præſentis: & timor qui eſt fuga mali futuri. Et hæc de actu cõcupiſcibilis, & iraſcibilis.

De ordinatione actuum concupiſcibilis.

CAPVT IX.

AD ordinationem concupiſcibilis quantũ ad actũ concupiſcẽdi pertinet, vt in bonis terrenis nõ appetat ſuperflua: ſed neceſſariis ſit cõtenta. Itẽ vt poſt concupiſcentias illicitas non eat, ſed ab eis ſe auertat. Bona ſpiritualia ad quæ appetenda Saluator monet, appetat intenſè: tẽporalia quæ Saluator appetere diſſuadet, ſi appetit, appetat remiſsè. Ad ordinationẽ cõcupiſcibilis, quantũ ad actũ gaudendi pertinet, vt nõ gaudeat de malis vel vanis: & vt amplius gaudeat de bonis internis quàm exter-

externis:& plus de bonis ſupernis & æternis,quàm de bonis infimis & terrenis. Non debet gaudere de malis propriis vel alienis.Velut inſania eſt gaudere de malis propriis. Lætantur cum malè fecerint,& exultant in rebus peſſimis. Iniquũ eſt gaudere de malis proximi,vel illius qui te offendit, quod pertinet ad odiũ: vel illius qui reſpectu tui,excellit,quod pertinet ad inuidiam.Qui lætatur in ruina alterius, non erit impunitus. Puerile eſt gaudere de vanis. Sen. Fundamentum bonæ mentis eſt non gaudere de vanis.Fundamentum hoc eſſe dixi culmen, cum ad ſumma peruenit,qui ſcit quo gaudeat:qui felicitatem in aliena poteſtate nõ poſuit. Super illud ad Gal. 5. Fructus ſpiritus eſt charitas, gaudium, &c. dicit Gloſſ.Elatio animi eſt de his quæ digna ſunt, gaudium mundi de indignis.Se.In voluptatibus nihil eſt ma

Pro.2.

Pro.17.

Epiſto. 23. parum à princip.

gnificum,nihilq́ue quod naturã Deo proximam deceat, membrorum vilium ac turpium miniſterio veniens exitu feda. De bonis internis debe-

Epiſto. 23. aliquantulum à princip. mus gaudere. Sen. Nolo vnquam tibi deeſſe lętitiam. Volo tibi illam domi naſci. Domi naſcitur: ſi intra teipſum ſit. Idem: Conculca iſta quæ extrinſecus ſplendent: & de tuo gaude. Quid eſt autem de tuo? De teipſo, & de tui

Epiſt. 23. à med. optima parte. Idem: Viri boni gaudium eſt ex bona conſcientia, ex cõtemptu fortuitorum ex honeſtis conſiliis, ex rectis actionibus, ex placido vitæ cõtinuo tenere vnam purę mentis viã. Idem: Improbę voluptates nõ ſunt ſolidæ, non ſunt fideles, etiam ſi non nocent fugiunt. Potius aliquod bonum permanſurum circunſpice. Sola virtus præſtat gaudium perpetuum & ſecurum. De æternis etiam

Mat 5. gaudere debemus. Gaudete & exul-

Luc. 10. tate, quoniam merces veſtra copioſa eſt.

eſt. In hoc nolite gaudere, quia ſpiritus ſubiiciuntur vobis: gaudete autem quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. Ad ordinationem concupiſcibilis quantum ad actum diligendi pertinet, vt in proximo diligatur quod eſt diligendũ: & non diligatur, quod diligendum nõ eſt. Item vt diligatur proximus propter id propter quod diligendus eſt, & ad id ad quod diligendus eſt. Diligenda eſt proximi perſona: & non ſunt diligenda eius vicia. Auguſt. in lib. de doct. Chriſt. *Lib. 1. cap. 27. tom. 3.* Omnis peccator inquantũ peccator, non eſt diligendus. Omnis homo inquantum homo eſt diligendus. Item Auguſt. Sic diligendi ſunt homines, vt eorum vicia non diligantur. Propter Deum diligendus eſt proximus. *Eodem libro & cap. nũc citatis* Auguſtinus in lib. de Trinit. Amanda eſt creatura: ſed ſi ad creatorem amor referatur: iam non cupiditas, ſed charitas erit. Item in libro Confeſſ.

In lib. ſoli-loquior. ca. 19. Domine minus te amat, qui aliquid præter te amat: quod propter te non amat. Diligendus eſt proximus ad gratiam in præſenti, & gloriam in futuro. Auguſtinus in lib. de Doct. Chriſt. Quiſquis rectè diligit proxi- *Lib. 1. cap. 29. tom 3.* mum, hoc cum eo debet agere, vt etiam ipſe toto corde, & tota anima, & tota mente diligat Deum. Item ad ordinationem dilectionis pertinet, vt illi amplius diligantur, qui amplius diligendi ſunt & eo modo diligantur, quo diligendi ſunt. Diligẽdi ſunt amplius boni quàm mali: meliores & eccleſiæ vtiliores quàm minus boni, & minus vtiles: & be- *Rom. 8.* nefici & propinqui plus amandi ſũt, quàm qui tales non ſunt. Amandi ſũt boni tanquam filij Dei. Quicunque ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. Ambroſius: Domeſtici ſi boni ſunt, malis filijs præponendi ſunt. Ad modũ diligẽdi pertinet vt poximus citra Deum

Deũ ametur: & ſupra res tēporales. Itē vt ametur affectu & effectu. Effectus tamen aliquando cauſa ſuſpēditur. Auguſtinus. Charitas non intermittatur. officia pro tempore exhibeantur. Infirmioribus effectus dilectionis potius exhibendus eſt. Auguſtinus: Charitas quæ tanquam nutrix fouet filios ſuos, non ordine amandi, ſed ordine ſubueniendi infirmiores fortioribus anteponit: quos tales vult eſſe, quales iam illi ſunt, quos non contemnendo, ſed de illis confidendo interim prætexit. Amare debemus in proximo, ſicut & in nobis, plus animam quàm corpus. Gregorius in moral. Cum rectè diligimus, nihil rebus cōditis anima noſtra charius habemus. Inter illos, qui in religione tanquam inter homines ſpirituales, non carnalis, ſed ſpiritualis debet eſſe dilectio. Spiritualis, inquam, & originaliter & finaliter: vt

ſcilicet à ſpiritu procedat,& ad ſpiritus vtilitatem tendat. Carnalis eſt dilectio originaliter: cùm aliquis propter pulchritudinem, corporis vel aliquid ſimile amatur. Finaliter verò dilectio eſt carnalis, cùm aliquis ei quem amat, quod ſecundum carnem vtile eſt, procurat,& de ſpirituali eius profectu non curat. Maximè intendendum eſt ordinationi amoris: cùm ſecũdum Auguſt. 15. de ciuitate Dei, diffinitio breuis & vera virtutis ſit ordo amoris. Ad ordinationem etiam cõcupiſcibilis pertinet, vt faſtidium boni ſpiritualis caueatur,& vana cõſolatio reſpuatur. Specialiter cauendum eſt faſtidium in doctrina ſacra & diuino officio. Contingit autem faſtidium boni ſpiritualis aliquando ex ignorãtia bonorum ſpiritualium. Sicut enim porci ſpecies aromaticas vel margaritas non reputant: ſic homines animales ſpiritualia bona deſpiciunt.

Lib 15. ca. 22. circa finem.

Simile.

ſpiciunt. Sapientiam atque doctri- *Pro. 1.*
nam ſtulti deſpiciũt. Bern. ſuper Can
tic. Quomodo lux incaſſum circun-
fundit oculos cæcos & clauſos: ſic a- *Simile.*
nimalis homo non percipit ea quæ
Dei ſunt. Neque mittatis margaritas *Mat 7.*
veſtras ante porcos: ne fortè concul-
cent eas pedibus ſuis. Aliquando ac-
cidit faſtidiũ boni ſpiritualis ex præ-
ſumptione: ſicut faſtidium cibi cor-
poralis accidit ex ventoſa ſtomachi
plenitudine. Aliquando verò accidit
ex infectione palati interioris de fe-
bre iniquitatis, Auguſt. Palato nõ ſa- *Lib 7. con-*
no pena panis eſt, qui ſano ſuauis eſt. *feſſ cap. 16.*
Idem: Palatũ febricitantis habet, cui
mel cœli inſipidum eſt. Reſpuere de-
bet cõſolationem vanam vir religio-
ſus: quia verum impedit, & ad deſo-
lationem ducit. Bernard. Delicata eſt
diuina conſolatio: & nõ datur admit-
tentibus alienã: Riſus dolore miſce- *Pro. 14.*
bitur. Væ vobis diuitib⁹, qui habetis *Luc. 6.*

hic conſolationem veſtram. Item ad ordinationem concupiſcibilis pertinet,vt triſtitiam ſæculi quę mortem operatur,caueatur triſtitia verò quæ ſecundum Deum eſt,admittatur.Triſtitia ſæculi eſt quæ prouenit ex bonorum temporalium amiſſione , vel malorum penalium perpeſſione, vel de proximi proſperitate.Triſtitia verò quæ ſecundum Deum eſt, illa eſt, quę prouenit ex bonorum ſpiritualium amiſſione : vel malorum culpæ commiſſione, vel ex proximi cōpaſſione. Ad ordinationem etiam concupiſcibilis pertinet , vt illud quod odiendum eſt,odio habeatur. Maximè verò odiendum eſt peccatum,tāquam Deo maximè exoſum:homini maximè noxium.Nihil odit Deus niſi peccatum , vel propter peccatum. Deus amauit eum , qui nūc diabolus dicitur,antequam peccatum haberet & adhuc eum amaret , ſi in eo pecca-

tum

tum non eſſet. Altiſſimus odio habet peccatotes. Odio ſunt Deo impius & impietas eius. Adeò exoſum eſt ei peccatũ, quod nulli parcit, quin pœnam ſoluat: ſi hoc peccatũ requirat. Quatuor de cauſis ſolet aliquis parcere alicui rei. Aliquãdo propter ei⁹ precioſitatem vel nobilitatẽ. Hac de cauſa principes terreni ſubditis eorum nobilibus ſolent parcere: nolentes vel non audentes facere iuſtitiam de eis peccantibus: ſed Deus nobiliorem principem cœleſtis militiæ, vel vnum de nobilioribus propter peccatum ſuperbiæ cum omnibus ei adhærentibus æternaliter dãnauit, & de cœlo præcipitauit. Videbam ſathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. Nõ verebitur Dominus magnitudinem cuiuſquam: quoniam puſillũ & magnum ipſe fecit. Aliquando parcitur alicui rei propter eius raritatem. Hac de cauſa nõ pepercit Dominus

Eccle. 12. *Sap. 14.* *Luc. 10.* *Sap. 6.*

primis parentibus, qui peccauerunt, licet ſoli eſſent: quin morte punirentur. Si non eſſet niſi vnus homo, & in mortali peccato decederet, æternaliter ille damnaretur. Aliquando parcitur aliquibus propter multitudinem. Deus verò in diluuio totum genus hominum, exceptis octo perſonis, propter peccatum ſubmerſit. Aliquando parcitur alicui propter conſanguinitatem: Deus verò proprio filio non pepercit: qui inter homines & Deum patrem medium ſe poſuit. Qui proprio filio non pepercit. Ber. etiam dicit: Qui non pepercit proprio filio, nunquid parcet figmento. Nunquid etiam parcet ſeruo nequam? Tantum Deus odium habuit ad peccatum, quòd filium ſuum occidi voluit, vt cum eo deſtrueretur peccatum. Non habet Deus adeò bonum amicum, nec in cœlo, nec in terra, quem ad mortem non odiret, ſi pecca

Rom. 8
Ser. 16. ſupra Cant. circa medium.

peccatum mortale in eo inueniret. Sanĉti etiam peccatum maximè, & ſuper omnia oderũt, eligentes potius omnia genera tormentorum ſuſtinere, quam peccatum committere. Qui veram fidem haberet, potius peccatũ timeret quã dæmones vel malos homines, vel beſtias crudeles. Peccatum homini maximè nocet. Peſſimus hoſtis eſt quem homo habet. Alij hoſtes non poſſunt ei nocere, niſi per iſtum. Nulla enim ei nocebit aduerſitas, ſi nulla dominetur iniquitas. Aug. Qui times hominem, homo in ſinu Dei poſitus? Tu de illius ſinu noli cadere: quicquid ibi patieris, ad ſalutem valebit, non ad pernicien. Qui *Eccle. 8.* cuſtodit præceptum, non experietur quicquam mali. Omnia mala huius mundi ex peccato ſubſequuta ſunt: ſcilicet fames, ſitis, frigus, calor, labor, infirmitas & mors. Peccatũ omnes amicos noſtros, qui mortui ſunt,

occidit,

occidit, & occiſurum eſt nos, & eos qui nobis remanſerunt. Nihil eſſet in mundo, quod non eſſet bonũ, & Deo placens, & homini vtile: ſi non eſſet peccatum. Maiora verò mala ex eo in futuro ſequentur. Peccatum bonitatem ſuam aufert homini & eius operibus. Plus valet vnus peccatum non
Eccle 16. habens, quàm mille alij: Melior eſt vnus timens Deum, quàm mille filij impij. Et plus valet vnum bonum opus eius qui extra mortale peccatum eſt, quàm infinita opera facta ab eo qui eſt in mortali peccato.

De ordinatione actuum iraſcibilis appetitus.

CAPVT X.

SEquitur de ordinatione virtutis iraſcibilis. Ad ordinationem verò ipſius, reſpectu excellentiæ, pertinet vt virtutũ eminentiam, & cœleſtem altitudinem appetat: terrenã autem tanquam abominabilem deſpiciat,

tanquam

tanquam periculoſam timeat, tanquam malis abundantem & bonis deficientem fugiat. Terrena altitudo, vt eſt altitudo dominij, vel mundanæ gratiæ, vel humanæ laudis valde eſt contemptibilis, cùm Deo ſit abominabilis. Quod hominibus altum eſt, *Luc. 16.*
abominatio eſt apud Deum. Superbi qui terrenam altitudinem appetunt, multum Deum deſpiciunt: ideò meritò multum deſpiciuntur ab eo, vt ſint ei abominabiles. Qui me con- *1. Reg. 2.*
temnunt, erunt ignobiles. Inter creaturas terra eſt ordine infima naturaliter, pedibus hominum conculcanda: & bona terrena valore ſunt minima: & inter hęc minima minimum eſt puluis vanę gloriæ, quam terrena altitudo ſectatur. Ad vtilitatem terrenę altitudinis pertinet, quod per vilia & indigna ad illam aſcenditur. Se. Non ſit tibi ambitio, quæ ad dignitatem niſi per indigna te non adducet.

ducet. Item quod peſſima ſeruitus, ſcilicet viciorum & diaboli, eam comitatur. Superbi in altitudine terrena poſiti, etiam illis ſeruiunt, quibus dominari videntur, quibus prouidere tenentur. Vnde minus ſunt liberi quàm ipſi, cum habeãt multos dominos, & ipſi vnum. Et licet exterius videantur eſſe magnę poteſtatis, tamen in ſe ſunt minoris virtutis, & maioris infirmitatis, minus valentes reſiſtere viciis. Arundinea eſt poteſtas eorum exterius habens nitorem, intus vacuitatem. Ad homines habet apparentiam, ſed in ipſis non habet exiſtentiam. Periculoſa eſt altitudo terrena, & non deſiderãda, ſed timenda.
In reg.3. circa finẽ. Auguſt. Quãto quis in loco ſuperiori, tanto in periculo maiori verſatur. Dęmones qui cæleſtem altitudinem amiſerunt, poſitis in terrena altitudine inuidentes, maximè eos impugnant: reputantes ſibi honorabilius, ſi eos

ſi eos ſibi ſubiecerint,& ſciẽtes quòd per eos poterunt pluribus dominari. Terrena altitudo mõs eſt,in quo magni & fortes perierunt. Incliti Iſrael ſuper montes interfecti ſunt. Ionathas in excelſis occiſus eſt. Altitudo terrena mons peſtifer eſt. Ecce ego ad te mons peſtifer,qui corrũpis vniuerſam terram. Locus eſt etiam præcipitij, Bernard. Facile eſt in alto ſe continentem obſtupeſcere:& de vita periclitari. Altitudo terrena fugiẽda eſt,cùm abũdet malis,& deficiat bonis. Hanc fugit Ieſus, ſciens enim quod venturi erant, vt facerent eum regem:fugit in mõtem ſolus. Sordes vitiorum ad hunc locum defluunt. Quod mirũ poterit videri ei qui credit verã altitudinẽ eſſe: ſed in veritate non eſt altitudo, sed locus valde demiſſus,cũ ſit inferno proximus: & à Deo,& à cœlo remotus. A cælo eſt remotus, ad quod eſt via per humilitatem.

2 Reg. 1.
Hier. 51.
Epiſt. 123. aliquid habet ſimile.
Ioan. 6.

Gloſſa ordin. ibi ex Auguſt. litatem. Vnde ſuper illud pſal. Iuxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde. dicit gloſſa: Altus quidem eſt Dominus: vicinatur tamen humili: & non ſe erigenti. Altitudo terrena eſt locus ventis expoſitus. Perflant enim altiſſima venti. Vnde non eſt ibi quies, ſed quaſi tempeſtas. Greg. *Lib. 1. paſtor. cap. 9.* Quid eſt poteſtas culminis, niſi tempeſtas mentis? Specialiter ibi perflat aquilo, iuxta verbum primi ſuperbi: Sedebo, inquit, in lateribus aquilonis: *Iſai. 14.* Vnde eſt locus frigidus ſine calore charitatis. Flatus aquilonis eſt ſuggeſtio diaboli ad diſcordiam & odiū. Sicut Chriſtus ignem dilectionis venit in terram mittere, ſic diabolus conatur illum extinguere. Bonis deficiens eſt mõs iſte. Vix enim à Domino viſitatur: etſi ab eo viſitaretur irrigatione gratię, vẽtorum flatu exiccaretur, vel ad loca humiliora aqua deſcẽderet. Auguſt. Confluit aqua ad humi

humilitatē vallis, de ſupercilio montis. Item ad ordinationem iraſcibilis pertinet, vt homo humilem locum eligat, iuxta conſilium Saluatoris: *Luc. 14.* Recumbe in nouiſſimo loco. Hic eſt locus cōgruens homini, qui terra eſt & cinis. Quid ſuperbis terra & cinis. *Eccl. 10.* Locus terrę locus eſt infimus. Cineri non expedit eſſe in alto, ne diſpergatur à vento. *Simile.* Status humilis, eſt locus quietus & tutus, & abundans bonis. Quietus eſt: quia non eſt ventis expoſitus. *Iſa. 32.* Erit vir ſicut qui abſconditur à vento: & celat ſe à tempeſtate. Tutus eſt. Sapiens: Superbia omnia habet in periculo: humilitas in tuto. Aug. Humilitas in imo eſt, & non habet quo cadat, bonis abundat, quia humilibus dat Deus gratiā. *1. Pe. 5.* Aug. Alta ſiccantur, ima replentur. Vallis humilitatis eſt fertiliſſima. Pſal. Valles abundabunt frumento.

Item ad ordinationem iraſcibi-

dent faciem patris mei, qui in cœlis eſt. Ad ordinationē iraſcibilis, quantum ad actum iraſcendi, octo pertinent. Primum, vt homo non ex facili iraſcatur. Spiritum ad iraſcēdum facilem quis poterit ſuſtinere? Intolerabilis eſt familiaritas iracũdi. Noli eſſe amicus homini iracundo. Qui facile iraſcitur, eſt ſicut domus de palea quæ facile comburitur, vnde Dominus talis domus multũ damnificatur. Sic qui facile iraſcitur ad ſibilum vnius verbi, omnia bona ſua perdit. Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam. Qui impatiens eſt: ſuſtinebit damnum. Secundum eſt, vt non velociter iraſcatur. Ne ſis velox ad iraſcendum. Sit omnis homo tardus ad iram. Qui velox eſt ad iraſcendum, velox eſt ad ſe præcipitandum, & ad faciendum ſaltum, quo ſibi collum frangat: dum de ſtatu amoris, ad ſtatum odij tranſit,

Prou. 18. *Prou. 22.* *Eccl. 2.* *Prou. 19.* *Eccl. 7.* *Iac. 1.*

Tertium eſt, quod iræ reſiſtatur: ne
Iob 36. homo ab ea ſuperetur. Non te ſuperet ira. Multum timendum eſt ſuperari ab ira, quaſi ab hoſte crudeliſſimo: & qui non habet miſericordiam. Ira non habet miſericordiam, nec
Prou. 27. erumpēs furor. Cùm ſecundum Sapientem, furor breuis ſit: multum timendum eſt dominium iræ ſicut dominium inſani.

Quartum eſt, vt ira cito ſedetur:
Eph. 4. Sol non occidat ſuper iracundiam
Eccl. 11. *Iob 31.* veſtram. Aufer iram de corde tuo.
Pro. 11. Cito auferenda eſt ira de corde: ſicut ardens carbo de ſinu. Ignis eſt vſque ad conſummationem deuorans.

Quintum eſt, vt ira ſermone non indicetur. Fatuus ſtatim indicat iram
Glo ord. ibi. ſuam. Gloſ. Natura iræ eſt, vt prolata
Prou. 26. magis ferueat, occultata langueſcat: Qui imponit ſtulto ſilentium, iras mitigat. Sextum eſt, vt ira operari non permittatur. Cùm in tenebris ſit ani-

animus iratus, non videt quid ſit agendum. Qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadat. Opus quod alias eſſet commendabile, cùm ex ira procedit, non eſt commendabile. Ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur. Septimum eſt, vt iraſcatur vitio non perſonæ. Ira qua quis iraſcitur vitio vtilis eſt: Melior eſt ira riſu, quia per triſtitiam vultus, corrigitur animus delinquentis. Octauum eſt, vt potius iraſcatur culpæ propriæ, quàm alienæ. Seneca. Regum animos induimus. Illi obliti infirmitatis ſuæ, alienæ deſeuiunt, quaſi iniuriam acceperint. Auguſtinus: Iraſceris ſeruo tuo ne peccet: iraſcere tu tibi ne pecces.

Ioan. 12. *Iac. 1.* *Eccl. 7.* *Epiſt. 47. circa finẽ illius.*

Item ad ordinationem iraſcibilis, quantum ad reliquos eius actus pertinet, vt nihil audeat quod Deus inhibeat: nihil timeat, quod Deus iubeat: pro iuſtitia omnia mala pœnæ

libenter ſuſtineat. Beati enim ſunt, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Si quid patimur propter iuſtitiam beati. Item vt contemptus impiorum contemnat, & irriſiones irrideat. Seneca: Æquo animo audienda ſunt imperitorum conuicia: & ad honeſta valenti contemnendus eſt ipſe contentus. Cùm diceretur cuidam ſapienti, homines te contemnunt, ait: Et illos aſini. Sicut nec illi aſinos: nec ego illos curo. Seneca. Nondum fœlix es, ſi nondum turba deridet te. Deum, non hominem timeat: quia qui timet hominem, cito corruit. Vera mala, non vmbras malorum fugiat. Vera mala ſunt pœnæ futuræ vitæ: vmbræ illorum ſunt pœnę præſentis vitæ: Omnia tranſierunt tanquam vmbra.

Mat. 5.
1. Pet. 3.
Epiſt. 77. paulò poſt prin. eius.
Prou. 29.
Sap. 5.

Secun-

Secunda pars principalis. De triplici ordinatione virtutum.

CAPVT I.

SEquitur de ordinatione virtutum. Poſſumus diſtinguere triplicem ordinem virtutum, ſcilicet ordinem plantationis, ordinem meritoriæ operationis, & ordinem reparationis. In ordine plantationis prima eſt fides. Primò enim docenda ſunt opera fidei. In ordine meritoriæ operationis prior eſt charitas quaſi illam imperans. In omni enim operatione ordinata primum eſt amor ſiue deſiderium finis: & ex illo ſunt mediæ operationes, vt apparet in ædificatione domus, cuius cauſa eſt eiùs inhabitationis amor, ex quo amore, perpenditur non ſolum ædificatio, ſed etiam quæ ædificationem iuuant, vt inquiſitio operariorum. In ordine

ergo memoriæ operationis prior & principalior eſt charitas, & primo mouens. Fides verò deſeruit ei tanquam lucernam prȩferens, oſtendēs quid & qualiter operari debeat. Illuminatio enim adiutoriū eſt in opere, & illuminator adiutor, & non principalis eſt operator. In ordine verò reparādi prior in virtutibus affectus videtur eſſe humilitas. Sic enim om-
Eccl.10. nis peccati initium eſt ſuperbia. Omnis correctionis principium erit humilitas. Huic conſonat quod reparator humani generis doctrinam ſuam
Mat.5. inchoauit ab humilitate. Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Secundū gloſſam, pauperes dicuntur humiles. Charitas inter tres virtutes quæ ordinant ad Deum, propinquior eſt fini, ſcilicet Deo, quem habet pro fine & materia, diligit enim Deum propter ſe. Et cum fides finem videat, & ſpes illuc

luc tendat. eſt enim ſpes inſecutio: ſicut timor eſt fuga, charitas eſt vnio cum fine. Vnde cùm finis ſit optimũ, & à fine habeant, quod ſint bona illa quæ ſunt ad fidẽ: charitas primo habet bonitatẽ inter virtutes, & per eam habent bonitatem cæteræ. Et ſecundum hoc intelligendũ eſt quod dicit gloſ. ſuper illud, 1. ad Thim. 1. quod charitas eſt radix omnium bonorum, inquantum ſunt bona. Et ſicut radix humorem mittit ad ramos: ſic charitas bonitatem ad opera cæterarum virtutum. Auguſt. in ſermone de charitate. Sicut radix omnium malorum eſt cupiditas: ſic radix omnium bonorum eſt charitas. Humilitas etiam poteſt dici radix virtutum, ſecundum illam proprietatem qua radix eſt pars arboris infima terræ inhęrens: ſic humilitas infirmitatem ſuam conſiderans ſub Deo collocat ſe in loco infimo. Fi-

Glo. ord.

Ad illud: finis præce. eſt, &c. In tracta. de laud. charit. in med. Tom. 9.

des etiam poteſt dici radix, quia radix in arbore eſt: quaſi os in animali. Per radicem enim ingreditur ad arborem eius nutrimentum: ſic per fidem ingrediuntur ad animam bona ſperanda & amanda.

Quomodo fides ſe habet ad cæteras virtutes.

CAPVT II.

FIdei eſt prouidere meditationes diſponentes ad cæterarum virtutum operationes. Verbi gratia: Meditatio magnitudinis diuinæ miſericordiæ diſponit ad ſpem veniæ. Meditatio diuinę liberalitatis, ad ſpem gratiæ & gloriæ. Meditatio diuinæ altitudinis omni alteri altitudini ſupereminentis diſponit ad Dei reuerentiam. Meditatio diuinæ ſapientię omnia quæ agimus lucidè videntis, diſponit ad ſanctam verecundiam. Meditatio magnitudinis diuinæ dulcedinis

cedinis diſponit ad eſuriem ſanctam. Meditatio diuinæ bonitatis, qua amore eſt digniſſimus, diſponit ad amorem diuinæ amicitiæ. Ad dilectionem proximi diſponit meditari, quòd hoc ſit ſpeciale præceptum Chriſti. Ad amorem ſcripturæ ſacrę qua vera prudentia acquiritur: diſponit meditatio auctoritatis doctorum eius, & vtilitatis ipſius. Eſt doctor ipſius Deus, vel per ſe, vel per homines verę ſanctitatis: vt patet diſcurrẽdo per partes ipſius. Spiritus ſanctus reuelauit Moyſi, quod ſcripſit de mũdi creatione, & de alijs qui ante ipsũ fuerunt. Lex Dei digito eius ſcripta eſt. De iudicijs & tabernaculi compoſitione & alijs ad cultum Dei pertinentibus à Deo edoctus eſt Samuel. Pſalmi ſoliloquia ſunt ſpiritus ſancti. Salomonem dorminentem docuit Deus ſapientiam. Spiritus ſanctus locutus eſt in prophetis.

phetis. Ad doctrinam Euangelicam ſpecialiter pertinet illud: Ego ex ore
Eccl. 24. altiſſimi prodij. Doctrinā Apoſtolicam conſtat eſſe Spiritusſancti. Spiritus enim ſanctus ſuper Apoſtolos deſcendens: eos de indoctis fecit doctos. Paulus verò dicit ſe non ab ho-
Act. 2. mine didiciſſe Euangelium: ſed per
Gal. 1. Domini reuelationē. Ioanni autē in exilio poſito, miſteria Eccleſię à Deo reuelata ſunt. Doctrinę ſacræ
Eccl. 24. cōuenit illud: Ego quaſi fluuius Dorix: & ſicut aquę ductus exiui de paradiſo. Nec ſolum excellit ſcriptura ſacra alias ſcripturas auctoritate, ſed
Iſa. 48. etiam vtilitate tanquā diuina. Ego
Sap. 8. Deus tuus docens te vtilia. Sobrietatem, & ſapientiā, & iuſtitiā, & virtutem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus. Ad temperantiā, ſcilicet bonorū temporalium, quę ſunt minima bona, diſponit meditatio internorum & ęternorum bonorum,

quę

quę ſunt magna bona. Gregorius: Vileſcunt temporalia: cùm conſiderantur ęterna. Ad eandem temperantiam diſponit meditari quod bona temporalia comittantur mala culpę. Qui enim diues fuerit, non erit immunis à delicto. Et ſunt impedimentum bonorum gratię, & difficultatem faciunt perueniendi ad bona glorię. Ad patientiam & alias partes fortitudinis diſponit meditatio Dominicę paſſionis, & multiplicis vtilitatis, tribulationis, & futurorum malorum: quę ſancti per tranſitoria mala euadunt, & meditatio prę mij. Gregorius. Conſideratio prę mij, minuit vim flagelli. Nõ ſunt condignę paſſionis huius temporis ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis. Ad humilitatem & obedientiam diſponit meditatio humilitatis & obedientię Chriſti. Ad hoc ſpecialiter monet nos Apoſtolus:

Hom. 11. in Euan habet aliquid tale.

Rom. 8.

Hoc

Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu. Et ſubditur: Exinaniuit ſemetipſum ſanctus obediens vſque ad mortem. Aug. Medicina tumoris hominis, eſt humilitas Chriſti. Erubeſcat homo eſſe ſuperbus: quia humilis factus eſt Deus. Ber. Mementote fratres, Chriſtus ne perderet obedientiam, perdidit vitã. Ad opera pietatis diſponit meditari, quòd pauper corporis Chriſti membrũ ſit & quòd Chriſtus ſibi reputat fieri, quod pauperi fit: & quòd in tremendo iudicio ſpecialiter de operibus pietatis diſceptatio facienda ſit.

Phil. 2.
Ser. 41 de verb. Domini in med.

Quomodo charitas ſe habet ad cæteras virtutes.

CAPVT III.

CHaritatis eſt operibus cæterarũ virtutum bonitatem prouidere: quod vt fieri poſſit, attendenda eſt delectatio Dei in nobis oſtenſione amoris, quem Deus exhibuit nobis.

Sicut enim ignis non melius accenditur quàm igne: ita nec amor melius quam amore. Nutrienda etiam eſt Dei dilectio lignis beneficiorum diuinorum, generalium & ſpiritualiũ, quæ à Deo recepimus, & continuè recipimus, vt ex feruenti Dei amore, abundantia operum perfectæ bonitatis procedat, ita vt in nobis locum non habeat pigritia, vel negligentia, vel faſtidium, nec amor vanæ laudis, vel vanæ gloriæ, vel alicuius terreni emolumenti charitatis opus prærũpat, & ſibi vſurpet. *Simile.*

Quomodo humilitas ſe habet ad cæteras virtutes.

CAPVT. IIII.

AD humilitatẽ pertinet, vt ſi homo paſſus eſt ruinam, vt ipſa reparationi intendat, ſi immineat ruina, ipſa ſe opponat: & vt in ædificio ſpirituali, ſtabile fundamentũ ponat. Ber. Sola virtus humilitatis, læſæ eſt *Serm. 2. in nat. Domini circa. finẽ.*

repa

reparatio charitatis. Humilitas ad nihilũ peccatorem adducit:vt ſe nihil reputet & in valore, & in virtute. Ex hoc nihilo fit recreatio: ſicut ex nihilo ſimpliciter facta eſt creatio. Hoc non ignorabat Dauid qui dicebat. Cor contritũ & humiliatũ Deus nõ deſpicies. Qui etiã ait: Cor mundum crea in me Deus: Creatio mundi cordis, facta eſt ex nihilo humilitatis. Humilitas quę cor euacuat, lo-
Iac 4. cum Deo pręparat. Humilibus dat
1. Pet. 5. *4. Reg. 4.* Deus gratiã. Vaſa vacua replet Heliſeus. Non patitur natura vacuũ, quin id impleat: nec gratia cor humile, quin illi ſe infundat. Humilitas non ſolum eſt gratia, ſed etiam receptaculum gratiarum. Humilitas gratiã haurit: vt vas inclinatum fonti bonitatis. Et humiliare Deo & expecta manum eius. Manum, inquam, largientem. Bernardus loquens de illo verbo: Ecce ancilla Domini. Semper

per ſolet eſſe diuinæ gratiæ familiaris humilitas. Humilitas ergo reſpondeat, vt ſedes gratiæ præparetur. Ruinæ imminenti ſubuenit humilitas: quia ſecundum Bernard. Omni indifferenter perſonæ eſt quædam turris fortitudinis à facie inimici. Aug. Solus vincitur, qui de ſe præſumit. Humilitas ideo triumphat, quia Deus in ea pugnat. Verè humilis, Deo attribuit gloriam, quæ eſt de victoria: & ideo per conſequens ſuper eum eſt pugna. Eiuſdem enim eſt pugna, & gloria de pugnæ victoria. Deus apud eum eſt rex gloriæ: & ideo eſt ei Dominus virtutum, virtutem ei conferens. Pſal. Dominus virtutum, ipſe eſt rex gloriæ. Humilitas in fundamento ſpiritualis ædificij ſtabilitatem prouidet. Bernardus in libro de cõſideratione. Virtutum bonũ quoddam, & ſtabile fundamentum eſt, humilitas. Nempe ſi mutet illa, virtu-

Hom. 4. ſuper miſſus eſt à med. illius. Lib. 2. de conſiderat. parũ à med.

Lib. 5. de conſiderat. circa finẽ.

tum aggregatio nõ niſi ruina eſt. Auguſt. Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento cogita humilitatis.

Quomodo timor ſe habet ad cæteras virtutes.

CAPVT V.

SEquitur de ordinatione timoris Domini ad cæteras virtutes, quẽ Spiritus ſanctus ponit principiũ, & radicem ſapientiæ. Timor Domini principium ſapientiæ. Radix ſapientiæ timere Deum. Et notandum quòd cùm ſapientia ſit ſapore virtutum condita ſcientia: duo pertinent ad ſapientiã, ſcilicet cognitio, & affectio. Quantum ad cognitionẽ, timor eſt principium ſapientię. Primò, quia mundat cor, iuxta illud: Timor Domini expellit peccatũ. Mundando verò cor facit oculum cordis videre clarius. Bern. Sincero oculo veritas patet.

Prou. 1. Eccle. 1.

Eccle. 1.

Ser. 12 ſuper Can. circa finem.

tet. Secundò, quia cum ſit fuga mali, fugit & cauet errorem, qui eſt malum rationis. Homo timoratus non leuiter credit, quod à ratione accipitur, ſed diligenter illud examinat. Tertiò, quia repellit omnem negligentiam, ſecundum illud: Qui timet Deum, nihil negligit. *Eccl: 7.* Cauet negligẽtiam in ſtudio, & perdiligens ſtudium in ſapientia proficit. Quartò, quia tumorem ſuperbiæ expellit, qui ſuſceptionem ſapientię impedit: & humilitatem introducit, quæ ad ſapientiam diſponit Bernardus: Superbo oculo veritas nõ videtur: Vbi humilitas, ibi ſapientia. *Ser. 62 ſuper Can. circa finem.* Quantum ad ſaporem, timor eſt principium ſapientiæ: quia eſt prima affectio. Primò enim oportet animæ deſipere mala: vt poſt ei ſapiant bona. Bernar. Bene initium ſapientiæ timor Domini, quia tunc Deus primo animæ ſapit, cùm eam afficit ad timendum: non cùm inſtruit ad

ſciendum. Timor cæteras virtutes purificat ,opera earum ſcrutatur ſi quid mali in eis inuenitur, facit illud corrigi. Etiam tuta pertimeſcit.
Iob 9. Verebar omnia opera mea.Abūdan-
Eccle.5. tiam bonorum operum illis procu-
Ibi.40. rat. Qui timet Deum,faciet bona:Timor Domini ſicut paradiſus benedictionis.Qui habet timorem Domini ſemper timet ne faciat parum, plus eligit abundare, quàm deficere. Vn-
Eccle. 40. de verum eſt illud:In timore Domini non eſt minoratio. Eiuſdem: Timor Domini in plenitudine cōmorabitur. Timor etiam cæteras virtutes cōſeruat.Hier.Timor virtutū cuſtos eſt,ſecuritas ad lapsū facilis. Timor virtutes cōprimit ne euaneſcāt.
Eccle.27. Niſi te inſtanter tenueris in timore Domini, cito ſubuertetur dom⁹ tua. Timor declinat pericula: quod mul-
Pro.16. tum valet ad conſeruationem. In timore Domini declinatur à malo.

Quomodo

Quomodo ergo timor ſe habeat ad cæteras virtutes, ex prædictis perpulchrè patet inſpicienti.

Tertia pars. Quòd clauſtralis debet habere in deſiderio manere in monaſterio.

CAPVT I.

SEquitur de ordinatione animi reſpectu locorum. Ad quem primo pertinet, vt is qui in religione eſt, non leuiter velit de monaſterio egredi. Manere in monaſterio in deſiderio habeat: egredi verò in patientia, ſi obedientia vel charitas vel pietas hoc requirat. Diſcurſus viri religioſi per mundum ſine neceſſitate, nec Deo placet, nec ipſum decet, nec ei ſecurus eſt. Ad primum pertinet illud: Dilexit mouere pedes ſuos, & non quieuit, & Domino nō placuit. *Hie.14.*
Stabilitas virum religioſum decet,

quæ eſt quaſi quædam imago æter-
Epiſt.2.circa princip. nitatis. Seneca: Primum argumẽtum mentis compoſitæ, exiſtimo, poſſe conſiſtere & ſecum morari. Vir religioſus qui in clauſtro manere nõ poteſt, frequenter in mundo periclitatur.
figura Semei dum mãſit in Hieruſalem vixit: poſtquã exiuit de Hieruſalem, occiſus eſt: Et Dyna filia Iacob egreſ-
3.Reg.2. ſa, vt videret mulieres regionis illius,
Gen. 34.
figura. rapta eſt & corrupta: Dyna ratione ſexus infirmi ſignificat clauſtralem mente infirmũ, qui de clauſtro egrediens, dum mundi concupiſcibilia curioſè conſiderat, amore rapitur & corrumpitur. Piſcis extra aquam po-
Iſa.50. ſitus, non diu viuit. Computreſcent piſces ſine aqua, & morientur in ſiti. Clauſtralis dum eſt in clauſtro bene ordinato, habet verba diuinæ ſcripturæ, quibus vita ſpiritualis ipſius conſeruatur. Cùm autem diſcurrit per mundum, aqua iſta mutatur in ſanguinem,

guinem,ſcilicet in verba ſęcularia:& ſic occiditur. Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua. Abel egreſſus in agrum,occiſus eſt: Simile accidit clauſtrali à clauſtro egredienti. Clauſtrales inquieti, ſunt ſydera errantia,de quibus legitur in canonica Iudæ.Sydera verò iſta errantia,aliquando fiunt ſydera cadentia. Poſtquam enim diſcurrendo per mundũ deliciis mũdanis aſſueuerunt,& aſperitas religionis eis in diſſuedinem venit:redeuntes ad clauſtrum, clauſtralis vitæ aſperitatem ſuſtinere nõ poſſunt, & apoſtatæ fiunt.Cadent ſtellæ de cœlo. Stella de cœlo cadit, cùm clauſtralis cœleſtem conuerſationem deſerens,ad ſęculum redit. Coruus ab arca egreſſus ad arcam nõ eſt reuerſus. Cadaueribus enim eſt illectus.Sic clauſtrales per mũdũ diſcurrentes, aliquando amore carnalium delitiarum detinentur: Clauſtrales

1.Cor.5. *Gen 4.* *Figura.* *Matth.24* *Figura.* *Can.5.*

mundo familiares,ſunt ſicut aues ciuitatenſes, quæ facile capiuntur. Viro religioſo expedit, non ſolum ea quæ mũdi ſunt relinquere:ſed etiam
Phil.3. obliuiſci. Quæ retro ſunt obliuiſcẽs,
Epiſt.70. circa prin. &c. Seneca: Vt animum poſsis continere, primum corporis tui fugam ſiſte, deinde continuata remedia proſunt plurimum. Interrumpenda non eſt quies, & vitæ prioris obliuio. Sine dediſcere oculos, ſine aures aſſueſcere ſanioribus verbis, quocunque proceſſeris, in ipſo tranſitu, quæ renouent cupiditates tuas tibi occurrent. Ad quietudinem monet Apoſtolus: Rogamus vos fratres vt operam detis, vt quieti ſitis. Item: Scitis quemadmodum oportet imitari nos quoniam non inquieti fuimus inter vos. Maximè oportet nouitios eſſe quietos, & non cito egredi de monaſterio. Seneca: Subducendus eſt populo tener animus, & parum tenax recti.

1. Theſ. 4.
2 Theſ. 3.
Epiſt 7. in med

recti. Lucæ vlt. Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Legitur de patre Moyſi, quòd vidit eum elegantem & abſcōdit. Sapiens: Naſcendi hanc legem natura fecit, vt maiora animalia viſceribus parentum diutius continerentur. Sic multum valet ad hoc quod clauſtralis proficiat, ſi in clauſtro diu moretur antequam exeat. *Exod 2.*

De ordinatione animi quantum ad locum orationis.

CAPVT II.

ORdinandus eſt animus reſpectu locorum monaſterij. Ordinandus, quantum ad locum orationis, correctionis, refectionis, dormitionis, & locutionis. Ad primam ordinationē pertinet, vt is qui in religione eſt, ad locum orationis magnum amorem habeat: & ei magnam reuerētiam exhibeat. Amare debet illum

locum tanquam domum patris cœle
ſtis: vbi ab ipſo beneficia recipimus.
Locus eſt eruditionis, locus propitia
tionis, locus refugij: & locus diuini
ſolatij. Ignorans enim ibi eruditur,
non ſolum exteriori eruditione per
doctores eccleſiæ: ſed etiam diuina
Iſaia 2. inſpiratione. Venite aſcendamus ad
montem Domini, & ad domum Dei
Iacob, & docebit nos vias ſuas. Cùm
deeſt humanum conſilium, recurren-
dum eſt ad diuinum in loco oratio-
2. Par. 20. nis. Cùm ignoramus quid agere de-
beamus, hoc ſolum habemus reſidui,
vt oculos ad te dirigamus. Peccator
Exo. 25. ibi veniã ſuſcipit. Quod deſignatũ eſt
in propitiatorio, quod voluit Domi-
nus fieri in tabernaculo. In Pſal. Su-
ſcepimus Deus miſericordiam tuam
in medio templi tui. Ad illum locum
refugere debent, qui ab hoſte inui-
ſibili, fortiter impugnantur: ſicut
tempore guerræ, homines refugiunt
ad

ad munitiones. Turris fortiſſima no- *Pro.18.*
men Domini: ad ipſam currit iuſtus, & ſaluabitur. Altior enim & potentior hoſte efficitur. Terribilis eſt locus iſte, ait Iacob, de loco vbi domus *Gen.28.*
Dei erat ædificāda. Terribilis, inquā, dæmonibus. Locus ſolatij eſt ei qui expectat conſolationem Iſrael: qua conſolatione indignus eſt, qui ſectatur conſolationem Eſau, id eſt, conſolationem mundi. In templo recepit Symeon conſolationem. Luc. 2. Ad ordinationem iſtam pertinet, vt clauſtralis ad locum orationis libenter veniat, inuitus recedat, horis ſtatutis illuc venire non differat: ante completionem officij ſine neceſſitate non exeat. Ad locum orationis Spiritus ſanctus adducit clauſtralem, ſpiritus autem malignus ante tempus eum educit. Symeon venit in ſpiritu in templum. Legitur ſecundo *Luc.2.*
libro dialogorum Gregorij, quòd *Lib.2.ca.4*
quidam

quidam monachus erat in quodam monaſterio à Benedicto conſtructo, qui ad orationem ſtare non poterat: ſed mox vt ſe fratres ad orationis ſtudiũ inclinaſſent, egrediebatur foras. Cumque Benedictus veniſſet in illud monaſterium, & conſtituta hora expleta pſalmodia, ſeſe fratres in orationem dediſſent: aſpexit vir ſanctus quod eundem qui in oratione manere non poterat, quidam niger puerulus per veſtimenti fimbriam foras trahebat: cuius ſpiritum diabolus aſſumpſerat. Ad amandum locum orationis monemur exemplo Saluatoris: qui magnum amorem ad illum locum ſe habere oſtendit, in eo quod quando veniebat in Hieruſalem, primo ibat ad templum. Ingreſſus vrbem primo templum adiit, Gloſſ. dans formam religionis. Chryſoſt. Proprium erat boni filij: vt veniens primo curreret ad domum patris. Receden

Mat. 21. *Gloſſa ordin. ibid.*

cedentibus parentibus, ipſe in templo remanſit: & matri quaſi conquerenti de hoc, ait: Quid eſt quod me quęrebatis? Neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?

Quòd magna reuerentia eſt exhibenda loco orationis.

LOco orationis magna reuerentia eſt exhibenda. Non legimus Christum in iſta vita tãtam iram per zelum oſtendiſſe, quantam oſtendit cum vidit quod templo debita reuerentia non exhibebatur. Tunc impletum eſt illud Pſal. Zelus domus tuæ comedit me. Multis de cauſis exhibenda eſt reuerentia loco orationis. Primò, quia à Deo inhabitatur: Faciant mihi ſanctuarium: & habitabo in medio eorum: In Pſal. Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus, Deus in medio eius, ſupple, manet. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus,

Ioan.2. *Mat.21.* *Exo.25.* *Apo.21.*

nibus, & habitabit cum eis. Poſtquã Iacob perpendit Dominum eſſe in loco vbi dormierat, expauit, & ait: Quam terribilis eſt locus iſte. Non ſolum terribilis eſt locus iſte hoſtibus inuiſibilibus: ſed etiam hominibus ingredientibus. Maieſtas enim Dei inhabitantis, timorem reuerentiæ debet eis incutere. Secundò, quia
Gen. 28. ab angelis frequentatur. Vnde Iacob vidit angelos aſcendentes & deſcendentes in loco vbi domus Dei erat ædificanda. Specialiter dicunt angelos adeſſe, cũ miſſa celebratur. Greg. Quis fidelium dubium habere poſſit in illa immolationis hora ad ſacerdotis vocem cœlos aperiri, atque in illo Ieſu Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cœleſtibus iungi. Si reuerentia exhibenda fuit loco vbi angelus
Ioſue 5. apparuit Ioſue: quanto magis exhibenda eſt loco orationis, qui ab angelis

gelis frequentatur? Solue calceamen tũ de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, ſanctus eſt. Tertiò, propter ſanctos, ad quorum honorem dedicatus eſt. Quartò, propter ſacra, quæ ibi continentur, vt ſunt ſanctorum reliquiæ. Quintò, propter opera excellentia quæ ibi aguntur. Sextò, propter beneficia quæ ibi recipiuntur. Septimò, propter ſanctitatem quam in dedicatione ſuſcepit.

Quod quinque pertinẽt ad reuerentiam loco orationis exhibendam.

AD reuerẽtiam loco orationis exhibendã quinque pertinent. Primum eſt, vt qui aſtare debet in conſpectu Dei, cordis puritatem prouideat. Secũdum eſt, vt quantũ poteſt, Dei offenſam caueat. Tertium eſt, vt à terrenis cogitationibus & affectionibus cor expediat. Quartum, vt terrena opera nõ ibi agãtur. Quintũ,

vt

vt diſciplina omnimoda cantando & pſallendo ſeruetur. Neceſſaria eſt puritas viro religioſo: vt ſanctus ante ſanctum aſtet, & immaculatus ante immaculatum. Timēdum eſt id quod per ſe, & maximè diſplicet Deo, ſcilicet peccatum, ante cōſpectum Dei
Abac 1. habere. Mundi ſunt oculi tui, vt non videas malum, & ad iniquitatem re-
Epheſ. 1. ſpicere nō poteris. Elegit nos Deus, vt eſſemus ſancti & immaculati ante conſpectum ipſius. De contrario
Iſai. 65. conqueritur Dominus. Populus qui ad iracundiam prouocat me, eſt ante faciem meam ſemper. Ad cordis puritatem multum valet, ſi ſeruus Dei in ſpeculo ſcripturæ ſacrę faciem animæ ſuæ frequenter inſpiciat: & ad lauacrum cōfeſſionis recurrat. Fuit lauatorium ante tabernaculum ſpecula habens: in quibus ingreſſuri tabernaculum maculas ſuas videntes eas
Hom. 7. in lauabant. Grego. Specula ſunt Dei pręce

præcepta, in quibus animæ ſanctæ ſemper inſpiciūt, & ſi quæ in eis, ſunt fœditates, deprehendunt. Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ. Lacte lota eſt anima, candorem lacteum habēs. Hiero. Impoſſibile eſt quenquam Deo placere: qui quicquid ei placeat, ignorat. Fieri poteſt, vt voto obſequendi offendat: ſi quomodo obſequi debeat, ante non didicit. Frequentanda eſt confeſſio, vt puritas cordis habeatur. Bern. in epiſtolis. Audi cui places: ama vnde places. Ama confeſſionem, ſi affectas decorem. Confeſſioni iungitur decor. In Pſal. Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius. Modum confitendi oſtendit Ber. dicens: Omne quod remordet conſcientiam, confitere humiliter, pure & fideliter. Ad humilitatem pertinet, vt culpam tuam, & in his quæ commiſiſti: & in

in Euan. circa medium Cant.

Serm. 16 in Can. post medium.

his quæ omiſiſti humiliter recognoſcas: & miſerum ſtatum, ad quem adduxit te peccatum, agnoſcas: & vt intelligas, quantum Dei gratia ſit neceſſaria, tibi vt eam quæras. Adduxit te peccatum ad nihilum. In Pſal. Ad nihilum redactus ſum, & neſciui. Ad nihilum autem quantum ad valorem & virtutem. Quam vilis facta es nimis iterans vias tuas. Humilitas vas cordis inclinat, vt Dei gratiam recipiat. In Pſal. Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies, Pura debet eſſe confeſſio ſine falſitatis admixtione, ſine peccati defenſione, ſine ſui excuſatione aut commendatione, ſine alterius malicioſa accuſatione, ſine corrupta intentione.

De formit. peccati. *Hier. 2.*

Ad fidelitatem pertinet, quòd qui confitetur, fideliter negotia Dei agat: peccata ſua manifeſtans ad Dei gloriam & ſui confuſionem. Eſt enim

nim confuſio adducens gratiam. In Pſal. Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino:& tu remiſiſti impietatem peccati mei. Ad fidelitatem etiam pertinet,vt de effectu & vtilitate ſacramenti veram fidem habeat. Cordis puritatem requirunt, & oratio & Dei laudatio. Multum valet cordis puritas ad hoc, vt oratio exaudiatur. Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Gloſſa. Puritas orationis exauditur. Oratio pura cælum intrat & impetrat. Vnde ſuper illud Pſal. Intret oratio mea in conſpectu tuo. dicit gloſ. Virtus magna puræ orationis hic notatur, quæ quaſi quædam perſona ad Deum intrat, & mandatum peragit: quo caro peruenire nequit. Aliter eſt de oratione non pura. Non intrabit in ea aliquid coinquinatum. Laudatio etiam diuina puritatem requirit: Non

Pſalm. 65.

Gloſſ. ordi. ibidem.

Apo. 21.

Eccl. 15.

eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. In Pſal. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas? Laudatio ſi ſit decora, Deo eſt iocunda. Pſal. Deo noſtro iocunda ſit laudatio. Dei laudatio, eſt angelica operatio. Vnde angelicam puritatem requirit. Bernardus loquens de cæleſti ciuitate: Eius operatio, eſt aſſidua Dei laudatio. In Pſal. Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſęcula ſęculorum laudabunt te. Operatio iſta Deum honorificat ſecundum illud: Sacrificium laudis honorificabit me: ſi tamen ipſa non ſit inhonorata. Inhonoratur, quæ ab ore polluto egreditur. *Cant. 2.* Oſtende mihi faciem tuam: ſonet vox tua in auribus meis. Vos enim tua dulcis: & facies tua decora. ſi decora eſt facies, vox eſt dulcis. Multum cauenda eſt offenſa Dei in loco orationis. Valde enim peruerſum eſt, ibi prouocare Dei iram,

vbi

vbi recipimus eius gratiã: Valde culpabilis eſt, qui regi gloriæ in loco gloriæ cõtumeliam non timet inferre. Locus gloriæ eſt locus orationis, ſecundum illud Pſal. Domine dilexi decorem domus tuæ: & locum habitationis gloriæ tuæ. Locus gloriæ dicitur: quia talis debet eſſe, vt ad Dei gloriam cedat. Decet regem gloriæ habitationẽ glorioſam habere. Nihil erat in templo, quod auro non tegeretur. Item locus gloriæ dicitur, quia beneficia Dei ibi recipiũtur: per quę apparet Deus glorioſus. Item opera ibi agere debemus, quæ Deum glorificent: vt eſt oratio, adoratio, peccatorum noſtrorum confeſſio, & Dei laudatio. Conſueuerunt pauperes multum ſecundum ſuam facultatem honorare perſonas ſublimes, cum ad eos declinant. Multum Dei maieſtas eſt à nobis glorificanda: quæ ad vtilitatem noſtram

3. Re. 6.

domum dignatur eligere, in qua nobiſcu. cohabitet. Vnde hoc vili vermiculo, quòd Deus cum eo habitare vult? Cor expediendū eſt à terrenis cogitationibus & affectionibus. Sol-
Exo. 3. ue calciamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Ber. in meditat. Cùm ad orandū
Cha. 6. in prin. ſiue pſallendum in Eccleſiam intraueris, fluctuantium cogitationū tumultum exterius relinque: curãque omnium exteriorum penitus obliuiſcere: vt ſoli Deo poſſis vacare. Fieri non poteſt, vt cum Deo loquatur, qui cum toto mundo etiam tacēs fabulatur. Intende ergo illi, qui intendit tibi. Audi illum loquentem tibi, vt ipſe exaudiat te loquentem ſibi. Cauendum eſt ne in loco orationis opera terrena agãtur. Auguſt. in regula. Nemo in oratorio aliquid agat,
In 3. regi. Cap. 8. niſi ad quod factum eſt, vnde nomen accepit. Legitur quod non ſinebat

nebat Saluator, vt quiſquam transferret vas per templum. Ad diſciplinam in cantando & pſallendo ſeruandam pertinent ea quę Ber. tangit ſuper Cant.his verbis: Immolantes hoſtiam laudis, & reddentes vota noſtra de die in diem, curemus omni vigilantia iungere ſenſum vſui, affectum ſenſui, exultationem affectui, grauitatem exultationi, humilitatem grauitati, libertatem humilitati. Senſus iungendus eſt vſui, id eſt, pſalmorum intelligentia cum attentione prolationis vocis. Vnde ſuper illud pſal. pſallite ſapienter, dicit gloſſa: Nemo ſapiens facit quod non intelligit. Bernardi. Cibus in ore, pſalmus in corde ſapienter. Non negligat anima illum terrere dentibus intelligentiæ, vt ſi fortè integrum glutiat, fruſtretur palatum ſapore. Dulciora ſuper mel & fauum. Item iungendus eſt

Serm. 15. paulo à fine.

Gloſ. ordi. ex Augu.

Serm. 7. ſuper Cant. circa medium.

affectus ſenſui. In lib. de vita ſolitaria. Nunquam intelliges Dauid, donec experientia ipſos pſalmorum indueris affectus. Dauid intelligit in illo Pſalmo: Domine ne in furore tuo arguas me, &c. qui affectum timoris induerit, vt ad intuitum illius furoris, quem in die illa Dominus exercebit, contremiſcat. Hieronymus. Quoties illum diem cogito, toto corpore contremiſco: Dauid intelligit in illo Pſal. Deus iudicium tuum regi da: qui diſtrictionem extremi iudicij timet: & ad Saluatorem amorem magnum habet. Duplici enim affectu Dauid poterat incitari ad illud petẽdum: ſcilicet timore damnationis, & amore ſalutis. Item exultatio iungenda eſt affectui. Hier. Melior eſt quinquè pſalmorum cantatio cum cordis puritate, ac ſerenitate, ac ſpirituali hylaritate: quàm totius pſalterij modulatio cum anxietate cordis

atque

atque triſticia. Item,quia leuitas ſolet comitari exultationem:iungenda eſt grauitas exultationi. Dauid, In populo graui laudabo te. Et quia homines graues ſolent contemnere homines leues, vel de grauitate ſua vanam gloriam quærere: ideò iungenda eſt humilitas grauitati. Itē quia humilitatem quandoque ſequitur puſillanimitas, iungenda eſt etiā humilitati libertas:quæ eſt, cùm cor dilatatum eſt. Abundantia gratiæ, vt merè & voluntariè faciat quod pro Deo facit. Vbi ſpiritus Domini,ibi libertas. *2.Corint.3.* Sapiens: Libertas eſt poteſtas viuendi vt velis. Pſalmodia debito modo ſacta multum eſt fructuoſa: cùm ad aduentum Spiritus ſancti ſit præparatiua. Greg. Vox pſalmodiæ cùm per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Deo iter paratur ad cor: vt intentæ menti, vel prophetiæ my-

ſteria, vel gratia compunctionis infundatur: Cum quidam reges vel- *4. Re. 3.*
lēt, quod Helizeus prophetaret, ait:
Quærite mihi pſaltem. Et cum pſalleret, excitatus eſt ſpiritus eius, & *exemplū.*
prophetauit.

Quod diſſolutio in choro ſit multum cauenda.

ET notandum quod cùm viro religioſo vbique cauenda ſit diſſolutio: ſpecialiter tamen eſt ei cauenda in choro, vbi ante Deum ſtatur, & diuinæ laudi intenditur. Vnde inter duodecim abuſiones clauſtri, quæ à B. Ber. aſſignantur, diſſolutio in choro ponitur. Abuſiones illæ ſunt iſtæ: Prælatus negligens, diſcipulus inobediens, iuuenis ocioſus, ſenex obſtinatus, monachus curialis, Religioſus cauſidicus, habitus precioſus, cibus exquiſitus, Rumor in clauſtro, lis in capitulo, diſſolutio *Clauſtri abuſus.*

in

in choro, irreuerentia iuxta altare. Diſſolutio in choro multum cauenda eſt, quia in illa offenditur Deus, cuius laudi intenditur, quæ ex hoc perturbatur. Offenduntur fratres, quorum deuotio impeditur. Offenduntur angeli pſallentibus adiuncti: qui pſalmodiam auſcultant. In Pſal. Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus. Qui habitas in hortis, amici auſcultãt te, fac me audire vocem tuam. Bernardus ſuper Cantic. Pſallentibus dignanter angeli admiſceri ſolent: propterea attendite angelos fratres, cùm ſtatis ad orandum & pſallendum: & ſtate cum reuerentia & diſciplina. Nimirum miſſi in miniſterium propter nos, vt hæreditatem capiamus ſalutis. Deuotionem noſtram inſuper ferunt: & referunt gratiam. Vſurpemus officium, quorum ſortimur conſortium. Laudem cum cæli cantoribus in commune

Cant. 5. Sermo 7. ſuper. Cant. circa medium.

mune ducentes:vtpote ciues ſanctorum & domeſtici Dei.Hoc enim bonum eſt,tum propter nos ad releuandos vitæ præſentis labores, qui vtique tollerabiliores nobis fiunt exiſtentibus in laude Dei: tum quia nil ita propriè quendam in terris repręſentat habitationis cæleſtis ſtatum, ſicut alacritas laudantium Deum. Idem: O ſi qui haberet cordis oculos apertos, videret qua cura, quoúe tripudio interſunt cantantibus: aſſunt orantibus,inſunt meditantibus, ſuperſunt quieſcentibus, ordinantibus & procurãtibus præſunt.Agnoſcunt nimirum ſupernæ poteſtates conciues ſuos: & pro his qui hæreditatem capiunt,ſalutis ſolliciti congaudent: confortant, inſtruunt, & protegunt. Ad diſſolutionem in choro hæc pertinent: oculorum euagatio, riſus ex defectu fratris prouocatus, inci tatio aliorum ad riſum

In medita. Cap. 6. paulò poſt princip.

per

per aſpectum,vel aliter facta locutio inordinata, præſumptio cantandi aliud quàm ſcriptũ ſit,vel aliter quàm cæteri cantant: nimia vocis exaltatio: modulatio vocis ſtudioſa & curioſa. Reprehenſibilis etiam eſt in cantu diminutio vocis fraudulenta. Oculorũ euagatio mentis inuagationem indicat. Hugo de ſancto Victore: Sunt quidam qui mente vagi plana parietum proſpicientes perluſtrant, aliud cantant, & aliud cogitant. In choro ſunt corpore,& in foro mente. Riſus prouocatus ex defectu fratris, ſignum eſt internæ malitiæ: ſicut dolor prouocatus ex profectu fratris. Qui à riſu vult cauere,ab aſpectu fratrum oculos corporales debet cohibere: & oculos cordis in Deum dirigere. Et quia in choro loquimur cum Deo, & Dei allocutionẽ expectamus, ceſſandum eſt ibi ab humano colloquio. Nihil leuitatis

Li. 3. de clauſtro animæ, cap. 22.

eſt

In 3. regul. Cap. 10. eſt ibi præſumendnm. Auguſt. in regula: Quod non ita ſcriptum eſt, vt cantetur: non cantetur. Cauenda eſt nimia vocis exaltatio. Melius eſt cãtare aptè quàm altè. Apud Deum altè cantat humilitas, cùm cantus eius *Eccle. 35.* de cœlo audiatur. Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit. Hugo de S. Victore: Timeo ne ſicut delectantur altitudine vocis, delectẽtur etiam *In lib. de clauſtro animæ. cap. 22.* elatione mentis. Idẽ: Differt muſica Chriſti, à muſica diaboli. Illa à voce ſublimiori incipit, hæc autem ab humiliori. Ille ait: Ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis Altiſſimo. Chriſtus ait: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Non decet etiam viros religioſos ſtudioſa & curioſa vocis modulatio, nec eis expedit, quia animi deuotionem impedit. Bernardus: Sæpè vocem meã *In meditat. cap 8.* fregi, vt dulcius canerem, magis delectabar in vocis modulatione, quã cordis

cordis compunctione. Deus verò, cui non abſconditur quicquid illicitum perpetratur, non quærit lenitatem vocis, ſed cordis puritatem. Prę ponenda eſt dulcedo cordis dulcedini vocis. Dulcis eſt vox illa, ad quam Altiſſimus aurem ſuam inclinare dignatur. Viro religioſo contemnenda eſt delectatio, quæ eſt ſecundum auditum, ſicut & delectationes quæ ſunt ſecundum alios ſenſus. Illa delectatione frui conſiſtendo ibi: non videtur perfectę ſobrietati conuenire. Greg. Cùm blanda vox quęritur, ſobria vita deſeritur. Auguſtin. Cùm accidit, vt me amplius cantus, quàm res quę cantatur moueat, penaliter me peccaſſe profiteor. Modulationi vocis intendentes, vt frequenter, potius volunt placere hominibus, quàm Deo. Hugo de S. Victore: Sunt alij voce diſſoluti, qui vocis modulatione gloriantur, nec tantùm

Lib. 10. confeſ. cap. 34. in fine.

Lib. 3. de clauſtro animæ, cap. 22. Tom. 2.

tùm gaudent de dono gratię, ſed ali os ſpernũt tumentes elatione Quã-ta leuitas vocis, tanta forſitan & men tis. Cantant forſitan vt placeant populo magis quàm Deo. Qui ſic cantant non cantant in choro cum Maria ſorore Moyſi, ſed in palatio cum Herodiade, vt placeant diſcumbentibus vel Herodi. Tales vendentes & ementes ſunt in templo, vendunt cantandi gratiam, humanam amantes gloriam: digni à templo à Saluatore expelli. Studioſa vocis modulatio ad Dei gloriam poteſt pertinere: ſicut & alia quæ ad decorem rerum ſacrarum ſtudioſe fiunt. Infirmis etiam & imperfectis valere poteſt, ad releuationem laboris præſentis vitæ. Perfectis etiam valere poteſt ad eleuationem eorum in contemplationem futuræ iocunditatis, tamen vt frequenter nociua eſt ipſis cantantibus, & maioris boni impeditiua

ua. Cauenda eſt fraudulenta vocis diminutio, qualis eſt in eis qui per ſe cantantes ſonorius cæteris cantant: cantantes verò cum aliis ſibi parcũt, à communi labore ſe ſubtrahentes, onus pſalmodiæ & cãtus ſuper alios relinquentes. Quod accidere ſolet hominibus, qui magis volunt placere hominibus, quàm Deo. Nolunt enim in cantu communi laborare, cùm in hoc non appareant hominibus. Modum pſallendi oſtendit Ber. his verbis: Moneo vos dilectiſſimi, purè ſemper ac ſtrenuè diuinis intereſſe laudibus. Strennuè quidem, vt ſicut reuerenter, ita alacriter Domino aſſiſtatis, non pigri, non ocitantes, non ſomnolenti, non parcentes vocibus, non præſcindentes verba dimidia, non integra tranſilientes, non fractis & remiſſis vocibus muliebri quidem balbutiente voce conſonantes: ſed virili, vt dignum eſt,

Ser. 47. ſuper Can. circa finem.

ſonitu & affectu voces ſpiritus ſancti depromentes. Purè verò, vt nihil aliud quàm quod pſallitis cogitetis. Nec ſolas dico cogitationes vanas & ocioſas vitandas, ſed vitandæ ſunt etiam & illę, illa hora & illo loco quas officiales fratres pro communi neceſſitate quaſi neceſſario frequenter admittere compellunt. Sed nec illa quidem profecto tunc recipere conſulerim, quæ forte paulò antè in clauſtro ſedentes in codicibus legeratis, qualia me & nunc viua voce diſſerente ex hoc auditorio ſpiritus ſancti recentia reportatis. Salubria enim ſunt, ſed minimè illa inter pſallendum ſalubriter reuoluuntur. Spiritus enim ſanctus illa hora gratum non recipit, quicquid aliud quàm debes neglecto eo quod debes, obtuleris.

Quòd reuerentia multa iuxta altare ſit adhibenda, & irreuerentia multum cauenda.

Sicut

SIcut multum cauenda eſt diſſolutio in choro: ſic multum cauenda irreuerentia iuxta altare. Ad exhibendam reuerentiam ibi primo mouet reparatio quam ſacerdos & miniſtri acceſſuri ad altare faciunt in ablutione manuum & oris, & ornatu ſacrarum veſtium & confeſſione. Inurbanum enim eſt non lotis manibus, id eſt, operibus, ad menſam regis gloriæ accedere. Neceſſaria eſt accedentibus ad altare manuum puritas, cum ſecundum puritatem manuum Deus retribuat, non ſecundũ puritatẽ actionum. Aug. Melius eſt, penitus ſpiritualia omitti: quam impurè tractari. Puritas etiã oris neceſſaria eſt, cũ in hoc membro magis indecens ſit immũditia: & hoc membrum ſit magis diuino officio deputatũ. Cãdor etiam innocentiæ cum ornatu cæterarũ virtutũ in miniſtris ad altare accedentibus debet ſplẽdere. Defectus verò ſi

quis adeſt, humilitate confeſſionis debet ſuppleri. Bern. Apud Dominum fratres ius habere non poſſumus, quia in multis offendimus omnes: ſed nec fallere eum. Ipſe enim nouit abſcondita cordis, quanto magis opera manifeſta? Nec reſiſtere viribus, quoniam omnipotens eſt. Quid ergo reſtat, niſi ad remedia humilitatis tota mente confugere: & quicquid in aliis minus habemus, de ea ſupplere? Periculoſum eſt ad altare abſque præparatione accedere, vt figuratum eſt Leuit. 16. Vbi Dominus dixit Moyſi: Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur ſanctuarium, quod eſt intra velum corã propiciatorio quo tegitur arca, vt non moriatur, quia in nube apparebo ſuper oraculũ niſi hoc ante fecerit, &c: Tunica linea veſtietur, fœminalibus lineis verenda celabit. Accingetur zona linea, cydarim

rim lineam imponet capiti. Tunica linea pertinet ad cādorem innocentiæ quæ eſt ei neceſſaria, vt ſcilicet ſit abſque nigredine malitię. Fœminalia linea pertinent ad continentiam, zona linea ad ſobrietatem, vt ſit ſine ventris ingluuie. Cidaris linea ad intentionis puritatem. Reuerentiam etiam requirit ſanctitas vaſorū quæ tractari debent. Mundamini qui fertis vaſa Domini. Omnis homo, qui acceſſerit ad ea quæ conſecrata ſunt, in quo eſt immunditia: peribit corā Domino. Item reuerentiam requirit ſacroſanctum corpus Dominicum. Interfectus eſt Oza tangens arcam. Cauſam huius dicunt Hebræi fuiſſe, quòd in nocte præcedenti cum propria vxore dormierat. Si temeritatem illam ſic puniuit Dominus, quanta pœna digni ſunt, qui ſine reuerentia ad Dominicum corpus accedunt, cuius figura fuit arca? Sa-

Iſai. 52. *Leu. 22.* *2. Reg. 6.*

Exo. 19. cerdotes qui accedunt ad Dominũ, ſanctificentur, ne percutiat eos. Item reuerẽtiam requirit miniſterium angelorum, qui miniſtris eccleſię in altaris miniſterio aſſociantur. Cum cõtraria iuxta ſe poſita magis fiant manifeſta, magis indecens eſt impuritas miniſtrorum eccleſiæ, puritati angelorum præſentium comparata. Maximè cauenda eſt irreuerentia his qui corpus dominicum ſunt accepturi. Legitur enim in lib. Paſchaſij, quòd quicunque indignè cõmunicant, niſi bonitas Chriſti, cuius iudicio omnia pendent, gladium ſuſpenderet, & tẽporalem mortem, vt pœniteant, remoueret: ab angelis ad hoc poſitis perimerentur. Irreuerentia iſta non ſolum in futuro: ſed etiam in præſenti punitur. Vnde poſt illud: Qui
1. Cor. 11. manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. ſubditur: Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dor

& dormiunt multi. Gloſſ. Infirmi febribus & aliis infirmitatibus, imbecilles, longa inualetudine, dormiunt, id eſt, moriũtur morte corporali. Irreuerentia iſta comparatur peccato crucifigentium Chriſtum. Quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Amb. Mortis Chriſti pœnas dabit, id eſt, ac ſi Chriſtum occiderit, punietur.

Gloſſa interlineari ibi.

Ibidem.

De ordinatione pertinente ad locum correctionis.

CAPVT III.

SEquitur de ordinatione pertinente ad locum correctionis. Ad hãc ordinationem primò pertinet, vt is qui in religione eſt, correctionem multum diligat. Multum amanda eſt correctio, etiam ab eo qui eſt in ſęculo, ſed amplius ab eo qui eſt

Correctio fraterna, quàm pre ſcua, & amanda.

in clauſtro. Quadruplici ratione amanda eſt correctio à quocunque. Prima eſt, quia corrigibilitas diſtinguit inter hominem malum & diabolum. Homo malus dum eſt in hac vita mortali, ſuſceptibilis eſt correctionis, diabolus non. Vnde incorrigibilitas multum aſſimulat hominem diabolo, ſecundum illud: Qui odit correctionem, veſtigium eſt peccatoris. Sicut veſtigium valde eſt ſimile pedi, ſic qui odit correctionem, valde ſimilis eſt diabolo, qui anthonomaſicè dicitur peccator. Secunda ratio, quia correctio valde congruit loco in quo ſumus. In cœlo non habet locum correctio, cum nulla ibi ſit corruptio peccati. In inferno verò non eſt poſſibilis correctio, licet ſit ibi peccati corruptio. Sed in hac valle miſeriæ eſt & peccati corruptio, & poſſibilis correctio. Ad hoc poſuit Deus hominẽ in hoc

Eccl.21.

loco,

loco, vt ſub virga diuinæ diſciplinæ viueret: & mala ſua ibi corrigeret. Corrigibilitas eſt maximum bonum præſentis vitæ, vel de maximis bonis. Hoc bono non amato, bonum eſſet peccatori ſi natus non fuiſſet. Melius eſſet ei eſſe canem vel bufonem, quã hominem. Tertia ratio eſt, quia correctio eſt multum vtilis, virga correctionis fructifera eſt. Vnde ſignata eſt per illam virgã, quæ protulit flores & amigdala. Melior eſt manifeſta correctio, quàm amor abſcõditus. Virga atque correctio tribuit ſapientiã. Quarta ratio eſt, quia defectus correctionis valde eſt noxius, & periculoſus. Vbi deeſt correctio, abundat peccati corruptio. Vnde qui odit correctionem, amare videtur corruptionem. Propter quod qui hic non corrigitur, in futuro damnabitur. Proiecit Moyſes virgam, & verſa eſt in colubrũ. Coluber

Nu. 17. *Pro. 27.* *Ibid. 29.* *Exod. 4.*

Pro.23. occidit, virga nõ: Si percuſſeris eum virga, nõ morietur. Virga correctionis in colubrum vertitur, quia qui hic non corrigitur, in futuro à ſerpentibus infernalibus cruciabitur. Pro.15. Eccle.19. Qui odit increpationes, morietur. Qui odit correctionem, minuetur vita. Et vita naturæ, & vita gratiæ. Pro.29. Viro qui corripientẽ ſe dura ceruice contemnit, repentinus ei ſuperueniet interitus. Amor correctionis ſignum eſt ſapientiæ: Argue ſapientem, & diliget te. Prou 9. Eccle.10. Vir prudens & diſciplinatus non murmurabit correctus. Econtrario odium correctionis ſignum eſt inſipientiæ. Pro.12. Qui odit increpationes, inſipiens eſt. Inſipiens gratiam correctionis reputat iniuriam & contumeliam: ideo volens ei vicem reddere, ſi poteſt, diffamat eum. Ibidem. 9. Qui arguit impium, ſibi maculam generat.

Quòd ſpecialiter amanda eſt correctio ab eo qui eſt in religione.

Specia

SPecialiter amanda eſt correctio ab eo qui eſt in religione. Religio enim eſt locus correctionis. Ad hoc homo ingreditur eam, vt mala ſua ibi corrigat. Incorrigibilitas eſt ſpecialis cauſa, quare aliquis à religione eſt expellendus, quando, ſcilicet culpas non timet committere: & pœnam recuſat ferre. Gratia valde neceſſaria eſt ei qui in religione eſt, ad hoc quòd bene ſe habeat ad correctionem: quæ gratia ſi deſit, frequenter eſt in perturbatione, nec in religione proficit, & vix ibi perſeuerat. Ad amorem correctionis primo pertinet, vt clauſtralis ad locum correctionis libenter veniat. Locus iſte hoſtibus noſtris eſt terribilis, dæmonibus ſcilicet, & vitiis. Dæmones locum illum & metuunt & odiunt. Quando enim frater ea quæ diabolus ei ſuggeſſit, humiliter ei qui locum Dei tenet, oſtendit, & diſciplinę humi

humiliter ſe ſubdit: diabolus triſtatur ac ſi ipſe flagellaretur. Legitur quòd cum B. Benedictus quendam monachum quem niger puerulus à loco orationis extrahebat, virga percuſſiſſet, non eſt antiquus hoſtis auſus dominari in eius cogitatione: ac ſi ipſe percuſſus fuiſſet ex verbere. Et ſicut locus orationis diabolo eſt exoſus: ſic ſpiritui ſancto valde eſt gratus. Peccata enim ibi arguuntur, & remittuntur. Argutio verò peccatorum & remiſſio, ad ſpiritum ſanctum pertinet. Arguet mundum de peccato. Libenter debet clauſtralis venire ad iudicium capituli, per quod euaſurus eſt diſtrictum iudicium Dei. Quod tamen multi non faciunt. Peccator homo vitabit correptionem. Item ad amorem correctionis pertinet, vt clauſtralis libenter accuſationem faciat. Accuſationem verò ſui ab alio factam patienter ſuſtineat: & correctioni

Lib. 2 cap. 4. Dial. Grego.

Ioan. 16.

Eccle. 32.

ctioni eius qui præeſt acquieſcat. Plus debet odire mala ſua, quam mala alterius: & amplius ea perſequi. Seruus verè humilis, ſecundum Bernardum, non vult humilis prædicari. Cõſcientiã magis amplectitur quàm famam, plus diligit bonitatis puritatem, quam nomen. Et non ſolum qui præeſt, ſed etiam fratres qui adſunt, reputat volentes & valentes ſuis infirmitatibus mederi ad minus orando: ideo infirmitates ſuas eis libenter manifeſtat. Illos verò qui eum accuſant, reputat obſequentes, non perſequentes: medicantes, non ſagittantes. Ideo nec iraſcitur contra eos, imò patienter accuſationem ſuſtinet, quod valde laudabile eſt. Auguſt. ad Hier. Cum ſatius ſit à tenendo itinere in nullo, quàm in aliquo declinare: multo tamen eſt mirabilius & laudabilius libenter accipere corrigentem, quam audacter corrigere deuiantem.

uiantem. Acquieſcere corrigenti ſignum eſt diſcretionis:non acquieſcere vero,ſignum eſt ſtultitiæ & peruerſitatis.
Pro.17. Plus proficit correctio apud prudentem, quam centum plagæ apud ſtultum.
Ibid.27. Si contuderis ſtultum in pila, quaſi ptiſanas feriente deſuper pilo,nõ auferetur ab eo ſtultitia eius.
Eccle.1. Peruerſi difficile corriguntur. Peruerſus eſt, qui intellectu & affectu eſt corruptus.

Quomodo ſe debet habere in loco correctionis qui iudicat & qui accuſat.

ET notandum quod in loco correctionis cuncta ordinatè ſunt facienda. Multum enim cauendum eſt ne culpæ augeantur, vbi debent deleri: & ne locus correctionis fiat locus corruptionis. Multum cauẽdum eſt ei qui præeſt, qui iniuſtitias aliorum debet corrigere, ne iniuſtè agat. Cauendum eſt illi qui accuſat, ne accu

ne accuſatio eius ſit accuſabilis, vel reprehenſio reprehenſibilis. Ille vero qui accuſatur, ſic ſe debet habere, vt eos quos exemplo ſuo malo ſcandalizauit: humilitate & patientia ſua ædificet, & non amplius ſcandalizet. Omnes ibi reuerenter ſe debent habere, cum iudicium capituli imago quædam ſit iudicij diuini futuri. Nō debēt de defectibus fratrum qui manifeſtantur, ridere: ſed compati, & pro eis orare. Iuſtitiā eius qui præeſt debet comitari diſcretio, pietas, & manſuetudo. In eo qui accuſat, apparere debet charitas & modeſtia. In eo qui accuſatur, humilitas, patientia, & obedientia. Quod diſcretio & manſuetudo ſint neceſſariæ, ſignificatū eſt in hoc quod in archa fuerunt cū virga teſtamenti tabulæ & manna. In virga enim intelligitur correctio: In tabulis, vbi lex erat ſcripta, diſcretio: in manna, manſuetudo.

tudo. Pietas neceſſaria eſt. Ignis enim zeli ardere debet in oleo miſericordiæ. Greg. ſup. Ezechielem: zeli ſancti diſcretio de virtute miſericordiæ neceſſaria eſt vt ardeat. Auguſt. Duo ſunt nomina, homo, peccator. Quia peccator eſt, corripe: quia homo eſt, miſerere. In Pſal. Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me. Nolite quaſi inimicum exiſtimare illum: ſed corripite vt fratrem. Ad diſcretionem eius qui præeſt primò pertinet, vt correctionem efficacem opus diuinum eſſe intelligat: & ideo ante correctionem, orationem debet præmittere: & ſi viderit fratrem correctum, Deo inde debet gloriam dare, & gratias agere. Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit. Cõſiderandum eſt, quæ opera ſint propriè Dei alterius virtuti non poſſibilia: inter quæ, correctio inuenitur. Ad diſcretionem

Ho. 12. aliquãtulum à fine.

2. The. vlt.

Eccle. 7.

nem eius etiam qui præeſt, pertinet, vt anoſcat quæ culpæ ſecretò, & quę manifeſtè ſint corrigendæ. Occulta culpa ſecreto eſt corrigenda, maximè ſi infamiam generat: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum. Manifeſta culpa manifeſtè eſt corrigenda. Peccãtes coram omnibus, argue: vt & cæteri timorem habeant. Quod dicitur coram omnibus, referendum eſt ad participium & ad verbum. Iſidorus: Manifeſta peccata, non ſunt occulta purgatione purganda. Palã arguendi ſunt, qui palam nocent: vt dum aperta obiurgatione ſanantur, hi qui eos diligunt, imitando corrigantur. Item ad diſcretionē eius qui præeſt pertinet, vt agnoſcat cui vel quando debeat parcere vel punire. Cum parcere & punire ſint cõtraria, & cõtrariorũ eadem ſit diſciplina: qui neſcit parcere, neſcit punire. Gregor. Siue

Mat. 18

1 Ti 5.

B.

plectendo, ſiue parcendo hoc ſolum bene agitur, vt vita hominum corrigatur. Attendendus eſt ſtatus perſonarum, quæ corriguntur, quia non ſanat oculum, quod ſanat calcaneum. Cum veterano parcius agendum eſt: vt ait Seneca. 1. ad Thimoth. 5. Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem. Qui non poſſunt benignitate corrigi: terrore ſunt corripiēdi. Aug. ad Bonifacium. Quidam dixit, pudore, & liberalitate liberos retinere, ſatius eſſe credo amore quã metu. Et ſubdit Auguſtinus: Hoc verum eſt, ſed ſicut meliores ſunt quos dirigit amor: ita plures ſunt quos timor corrigit. Iſidorus: Qui blando verbo caſtigatur & non corripitur: acrius neceſſarium eſt vt arguatur. Cum dolore enim abſcindenda ſunt, quæ leuiter ſanari non poſſunt. Manſuetudo neceſſaria eſt in correctione. In Pſal. Superuenit manſuetudo, & corripiemur.

Epiſt 21. paulo à principio.

Epiſtol. 50. circa. med.

ripiemur. Seneca: Vitia animi ſicut vitia corporis leuiter tractanda ſunt. Gal. 6. Vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum ne & tu tẽteris. Agnoſcens infirmitatem propriam compatitur alienæ: & in mãſuetudine proximum corrigit. In Pſal. Sciãt gentes quoniã homines ſunt. Intellige quæ ſunt proximi tui ex teipſo. Greg. Omnipotẽs Deus idcirco principem apoſtolorũ permiſit cadere: vt in culpa ſua diſceret, qualiter aliis miſereri deberet, Super omnia cauendũ eſt ei qui in loco correctionis preeſt, ne ira ei dominetur. Ira enim, furor breuis eſt, ſecundũ ſententiam ſapientis. Ira aufert veram iuſtitiam, iuxta illud Iacob. 1. Ira enim veri iuſtitiam Dei non operatur. Ira diſcretionem minuit, quia impedit ira animnm, ne poſſit cernere verum. Ira miſericordiam aufert, iuxta illud: Ira non ha-

Eccl 31. Ho 21. ſuper Euangeliũ circa medium.

Seneca epi. 18 circa finem.

Prou. 27.

bet miſericordiam. Ira contraria eſt manſuetudini. Manſuetudo enim eſt temperantia in vi iraſcibili: ſicut ſobrietas vel continentia eſt temperantia in vi concupiſcibili. Ira verò eſt turbatio iraſcibilis. In accuſante debet charitas apparere. Virga enim correctionis procedere debet de radice Ieſſe. i. incendio amoris. Illos verò libentius debet accuſare, quos
Apoc. 3. amplius amat. Ego quos amo, arguo & caſtigo. Sunt aliqui qui illos maximè volunt corrigere, quos vidẽtur non amare: quorum correctio ab his quibus adhibetur, non reputatur correctio, ſed hoſtilis perſecutio. Modeſtius etiam debet accuſare aliũ
2. Ti. 2. quam ſeipſum. Seruũ Domini oportet eſſe patientem, cũ modeſtia corripientẽ. In eo qui accuſatur, humilitas & patiẽtia debẽt apparere: vt erubeſcibilia ſua humiliter & patienter audiat. Apparere etiã debet in eo obedientia

dientia: vt ſcilicet in ſuſceptione diſciplinę patienter obediat. Sicut iuxta verbum ſapientis: fabricando fabri, & cythariſando cythariſtę ſimus: ita audiēdo erubeſcibilia noſtra quę nobis diſplicent, patiendo humiles & patientes efficimur. Si verò videatur ei q̨ accuſatur, quòd ille qui pręeſt, minus iuſtè ſe habeat, ad memoriam debet reducere, quod Saluator patientiā habuit, cū Pilatus eū iniuſtè iudicauit: & quòd à militibus iniuſtè flagellatus fuit. Bern. Stetit, Ieſus ante p̃ſidē inclinato capite, demiſſis aſpectibus, vultu placido, ſermone raro, paratus ad opprobria: prōptus ad verbera. Lis in capitulo maximè cauēda eſt, quæ inter abuſiones clauſturi enumeratur. Ad eandem verò cauendam multum valet, ſi hi qui innocentes & maioris perfectionis ſunt, taceāt: & eum qui pręeſt pro ſe reſpondere permittant.

Luc. 7. De quo exemplum habemus : vbi Phariſæo obloquente Mariæ Magdalenæ, Maria tacet : Saluator pro ea reſpondet : Martha accuſante Mariam, Maria tacet : Saluator reſpondet. Ex eo quòd ille qui præeſt pro innocente iniuſtè accuſato non loquitur, & aliquãdo occaſio eſt : quod innocens pro ſe loquitur, & lis inde oritur.

Ibidem 10.

Sequens capitulum de ordinatione pertinente ad locum refectionis,

CAPVT IIII.

SEquitur de ordinatione pertinente ad locum refectionis : ad quam pertinet quod clauſtralis cibũ corporis ad ſuſtentationem, non ad delectationem quærat : cibum verò ſpiritualem ibi non negligat. Cibus exquiſitus non congruit deſerto clauſtri. Vnde conuenienter inter clauſtri abuſiones cibus exquiſitus enumeratur.

tur. Quod clauſtrali apponitur, diſciplinatè, ſine murmure cum gratiarum actione debet ſumere. De diſciplina iſta quære in ſecundo libro.

Sequens capitulum de ordinatione pertinente ad locum dormitionis.

CAPVT V.

SEquitur de ordinatione ad locum dormitionis pertinēte. Ad quam ordinationem primo pertinet: vt in ſtatu periculoſo clauſtralis non dormiat. Seundò, vt lecti molliciem non quærat. Tertiò, vt nudus non iaceat, Quartò, vt pigredo ei ſomnum nō immittat. Quintò vt pigritia eum in lecto non detineat. Sextò vt brutaliter non dormiat. Septimò, vt ſomnus inordinatus tempus oportunius ſpiritualibus exercitiis nō impediat. Nō eſt ſecurū dormire in poteſtate diaboli, ſcilicet in peccato mortali. Super illud Pſalm. Immiſſiones

Pſa. 77. inter medium & finem. per angelos malos,dicitAug. In ma-
lis poteſt diabolus, ſicut homo in-
ſuo pecore:niſi prohibeatur à maio-
2.Ti. 2. re. A diabolo captiui tenentur ad ip-
ſius voluntatem. Sicut vbi abundant
latrones, homines domos ſuas ſcru-
tantur, ante quam lectum ſuum in-
trent,ne latrones ibi lateant:ſic clau-
ſtralis debet domum conſcientiæ
ſuæ perſcrutari, antequam obdor-
miat,ne latro infernalis ibi lateat.
Multum timendum eſt illi ſuper cu-
ius caput iuſtitia Dei tenet gladium
euaginatum, ſic obdormire. In tali
Iob. 19. ſtatu eſt, qui eſt in peccato mortali.
Fugite à facie gladij:quia vltor iniq-
tatis eſt gladius. Multũ timendũ eſt
obdormire ad portam inferni. Quaſi
ad portã inferni eſt, qui eſt in pecca-
to mortali. Limen corporis diuidit
inter ipſũ & infernũ. Si enim anima
Iob. 21. ſedaretur à corpore, quaſi in puncto
deſcendit in infernũ. Iuxta illud: Du-
cunt

cunt in bonis dies ſuos: & in puncto ad infernum deſcendunt. Non debet clauſtralis quietem ſomni dare corpori ſuo, donec locum quietũ præparauerit in ſe Deo, & Spiritui ſancto. *Pſam. 4.*
Si dedero ſomnũ oculis meis, & palpebris meis dormitationẽ: & requiẽ temporibus meis, donec inueniã locum Domino. Antequã obdormiat de malis ſuis, à Deo debet veniã petere: & oratione, & ſigno crucis contra tẽtationes ſe munire. Non debet lecti molliciẽ quærere. Saluator in Paſſione ſua lectum durũ habuit, ſcilicet lignum crucis: & illi qui exemplo & amore eius crucẽ clauſtralis pœnitentiæ aſcendit, duricies lecti magis q̃ mollicies congruit. Auguſt. Lectũ ſuũ diuiſit Chriſtus diſcipulis ſuis. Idẽ: Moriatur in cruce, qui vult crucifixũ placatũ videre. Non debet clauſtralis nud⁹ iacere. Lecti duricies ad hoc valet, vt ſurgat libentius. Qui

iacet indutus, ad hoc valet, vt ſurgat facilius: & vt ſurgendo triſtetur minus. Hora ſurgendi non te triſtet. Item cauere debet ne pigritia ſomnum immittat. Pigredo immittit ſoporem. Item ne pigritia eum in lecto detineat. Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo: ita piger in lecto ſuo. Cauere etiam debet ne brutaliter dormiat. In lib. de vita ſol. Caue inquantũ potes ſetue Dei, ne totus aliquãdo dormias: ne ſit ſomnus tuus non requies laſſi, ſed ſepultura corporis ſuffocati. Carnalis ſomnus & brutus, ſicut dicitur letheus, abominandus eſt ſeruo Dei. Ad hoc quod ſomnus non ſit brutalis, duo valent, ſcilicet ſobrietas in ſumendo cibum: & ſenſuum cuſtodia. In lib. de vita ſolit. Sobrium cibum ſobriumque ſenſum, ſequitur ſobrius ſomnus. Cauere etiam debet clauſtralis, ne tempus matutinum ſomnus inordinatus occupet. Oportunius

Eccl. 32. *Prouer. 19.* *Prou. 26* *Paulo ante medium lib. in Ber.* *Paulo ante medium li in Bern.*

tunius enim eſt orationi, lectioni, & meditationi. Si diluculo cùm ſurrexeris ad Deum, & omnipotentem deprecatus fueris, ſi mundus & rectus inceſſeris, ſtatim euigilabit ad te: & peccatum reddet habitaculũ iuſtitię tuæ. In Pſalm. Mane aſtabo tibi, &c. Mane vigelabo ad te. Solent diuites primo pauperi dare, qui ėis occurrit: Sic Deus libẽter exaudit orationem mane factam: Oportet pręuenire ſolem ad benedictionem tuam. Filij Iſraël colligebant manna hora matutina: Illa hora dulcedo Spiritus S. ſuſcipitur.

Iob. 8. *Iſa 26.* *Sap. 16.* *Exod 16.*

De ordinatione pertinente ad locum locutionis. CAPVT VI.

SEquitur de ordinatione pertinente ad locum locutionis. Et eſt notandum quòd cùm lingua, quantum ad locutionem, ſpeciale ſit organum rationis: ad hanc ordinationem primò

primo pertinet, vt lingua in hunc actum non exeat, quin actus rationis prçcedat.ſcilicet examinatio ſermonis qui dicendus eſt. Vnde in Pſalm. dicitur de iuſto, quia lingua eius loquetur iudicium, id eſt, ſermonem examinatum. Item cùm mors & vita
Pro. 18. ſint in manibus linguæ, pertinet etiam ad hanc ordinationem, vt cum timore lingua exeat in actum loquẽdi. Itẽ cùm gubernatio linguæ ſit valde difficilis & valde vtilis: præmittenda eſt oratio locutioni. Domini
Pro. 16. enim eſt gubernare linguam. De diſciplina in locutione require, ſupra libr. 2. Specialiter debent clauſtrales cauere relationes rumorum de negotijs ſçcularibus. vnde inter abuſiones clauſtri rumor enumeratur. Qui ad clauſtrum rumores ſçculares afferunt, mundum quodam modo in clauſtro introducunt: & faciunt fratres reminiſci, quæ oportuit eos

obliuiſci

obliuiſci. Periculum fratrũ videntur amare, qui in naui religionis aquam maris huius mundi volunt ponere.

Incipit quarta pars in qua agitur de ordinatione animi reſpectu temporum. De ordinatione ſecundum diuerſitatem temporum.

CAPVT I.

DIcto de ordinatione reſpectu locorũ:dicendum eſt de ordinatione reſpectu temporum. Ad hanc ordinationem pertinet, vt is qui in religione eſt,debito modo ſe habeat de nocte,de die,ante prandium,poſt prandium:in diebus feſtiuis,&nõ feſtiuis, tempore proſperitatis & aduerſitatis, tempore iuuentutis & ſenectutis: in ſtatu incipientis, profect⁹,& perfectionis. Ordinationẽ iſtã in parte oſtendit Hugo de S.Victore his verbis: Tempora agendi diſcurrenda ſunt. Alius modus eſt viuendi in die, alius in nocte. Nox eſt tempus *In trac. de inſtitut. nouitiorũ, cap. 4. in princip.*

pus ſilẽtij & quietis: dies tempus laboris, motionis & operis. In nocte ſecum debent eſſe homines: & aut feſſa membra reficere: aut orationibus vel meditationibus ſanctis in ſilentio animum exercere. In die verò de ſecreto ſuo in vnũ coëunt: adinuicem rurſum videndos ſe, & imitandos, oſtendunt. Tunc exempla bonorum operum, tunc exhortationes ſanctorum verborum dare, & accipere alterum licet. Tunc qui alienos actus ſcrutatur, impudens iure dicitur. Tunc qui alienos actus qualiter expedit imitari diſſimula: torpens vel inutilis merito nominatur. Sed nec eadem debet eſſe facies noſtra, poſtquam refecti ſumus: quæ fuit priuſquam cibum ſumeremus. Ante enim cibum ſumptum magis hilares nos eſſe cõuenit: ne ipſa noſtra abſtinentia grauis & moleſta eſſe videatur. Poſt verò magis modeſtos & taci-

tos:ne per gulæ vicium crapula nos inflãmaſſe putetur. Ante ſumptũ ci-bum doctrinæ & orationis tẽpus eſt: poſt verò operis: quia & tũc exercẽdus eſt animus, dum adhuc ad ſtudiũ ſpirituale leuis eſt:& tunc reprimẽda eſt caro, quando calor incentiui eius per cibũ amplius excitatus eſt. Sic & feſti dies aliud ſtudium, & alium cõuerſationis modum exigunt: atque hi in quibus operari licet expoſcunt. In illis nos oportet deuotioni intẽdere, atque in oratione diutius perſeuerare: habitu, inceſſu, & actu, maiorem deuotionem erga cultum diuinum demonſtrare: nihil nõ ſanctum, nihil non diuinũ, nihil nõ ordinatũ agere: linguã à vaniloquio cohibere, pedes ab excurſu & diſcurſu reſtringere, oculos comprimere, vultum inclinare, mentem erigere, omnem denique actum & omnem motum cordis pariter miniſterio diuino mancipare,

atque

atque vt ita dicam, quadam conuerſationis nouitate feſtos dies honorare. In cæteris verò diebus, in quibus operari licet, nullus omnino ocioſus apparere: ſed vnuſq̨sque in eo quod iniunctum fuerit ſibi, non quod ipſe elegerit, quantum ſcientiæ & virtutum ſuarum poſſibilitas ſuppetit, debet exercere. Quantum enim decoris addit diebus feſtiuis quies vacationis, tantum ornamenti confert cæteris diebus ſtudium boni operis, ita vt in illis quicunque noluerit eſſe quietus, iudex ſit vanitatis ſuæ: & in iſtis qui non fuerit ſtudioſus, teſtis pigritiæ. Carnales ſiquidē mentes ne in illis diebus quieſcant, vanitas exagitat, vel ne in iſtis bono opere ſe exerceāt, pigritia ligat. Quapropter non negligenter quidem in bono opere habenda eſt diſcretio temporum, quia ſicut malum opus nullo tempore laudabile eſt, ita opus bonum

bonum quodammodo reprehenſione dignum iudicatur, ſi tēpore opportuno factum non eſt. Debet ſeruus Dei diebus feſtiuis conſiderare gratiam quam ſancti in pręſenti vita habuerunt: & gloriam ad quam peruenerunt. Laudibus ſanctorum, & eius à quo gratiam & gloriam habuerunt inſiſtere: exemplis eorum ſe prouocare, amorem & ſuffragia eorum acquirere, gloriæ eorum congaudere, & exemplis eorum prouocatus, & de Dei liberalitate, & ſuffragiis eorum confiſus: ſimilem gloriam deſiderare & ſperare.

Sequitur quomodo ſe debet habere ſeruus Dei, tempore proſperitatis & aduerſitatis.

TEmpore proſperitatis, ſeruus Dei ampli9 debet timere, quàm tempore aduerſitatis. Periculoſior enim eſt proſperitas, quàm aduerſi-

tas:cùm ſecundum Gregorium, aduerſitas ſæuiendo, erudiat: proſperitas blandiendo ſeducat. Proſperitas
Prou. 1. ſtultorum perdet eos. Tempore proſperitatis maiori diſcretione debet ſe regere. Seneca: Tunc conſilia ſalutaria aduoca, cùm tibi alludit vitæ proſperitas. Tunc te inter diem in lubrico retinebis ac ſiſtes. Potius indiget lumine, qui incedit per lubrica loca: quam qui incedit per loca arida. Sic lumen ſapientiæ magis neceſſarium eſt homini in proſperis, quam in aduerſis. Proſperitatem comitari ſolet ſecuritas, gaudium, elatio animi. Quodlibet verò iſtorum occaſio ſolet eſſe præcipitij. In Pſal. Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Et ſubditur: Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Sicut vinum purum habentes capita debilia infatuat: ſic gaudiũ temporale cordibus infirmis nocet,

cet,niſi temperetur aqua tribulationis, vel ſaltem memoria. In die bonorum ne immemor ſis malorum: nec in die malorum immemor ſis bonorum. Tempore proſperitatis neceſſarius eſt vſus temperantiæ:tempore aduerſitatis vſus patientiæ. In periculo eſt cui in proſperis deeſt temperantia: vel in aduerſis patientia. Vnus perit aquis delitiarum,alius aquis tribulationum. *Eccle. 11.*

Quòd ocioſitas multum cauenda eſt iuueni.

IVuentutis tempore ſpecialiter cauenda eſt,& timenda ocioſitas. Vide inter abuſiones clauſtri enumeratur iuuenis ocioſus.Et ſecũdum Hugonem de S. Victore. Large dicitur iuuenis non ſolum ille, qui eſt in adoleſcentia:ſed etiam ille qui eſt in ætate matura.Quadruplici ratione reprehenſibilis eſt ocioſitas in iuuene.Primò,quia hęc ętas labori eſt congrua. *Libr. 2. de clauſtro animæ. cap. 14. à med. Tom. 2.*

Secundò, quia doctrinæ & aſſuefactioni eſt idonea. Vnde vituli in iuuentute domantur, & equi tunc ambulationi aſſueſcunt: in ſenectute verò non ſunt ſuſceptibiles talium. Tertiò, quia hæc ætas prona eſt ad leuitatem: ideo onere laboris ſtabilienda eſt. Maturitatem quam in ſenibus facit ætas: in iuuenibus debet facere huius oneris grauitas. Quartò, quia in iuuenibus corpus eſt in ſuo robore: & ſanguis in feruore. Vnde corpus niſi opprimatur onere laboris, dominari vult ſpiritui & non ſeruire. Iuuenibus neceſſaria eſt virga cor-
Eccle.33. rectionis: & onus laboris. Cibaria & virga, & onus aſino: panis & diſciplina & opus ſeruo corpori ſcilicet ad
Lib. 2. de clauſtro animæ cap. 11. circa finem. tom. 2 ſeruiendum ſpiritui dato. Hugo de S. Victore: Iuuenis in otio, eſt quaſi iumentum ſine iugo. Quatuor ſunt ſigna bonæ ſpei in iuuene: ſcilicet amor laboris, taciturnitatis,

corpo

corporis continentia & verecundia. De tribus vltimis dicit Anſelmus: In iuuene tria notantur, quibus ad proſperitatem venturus prænoſcitur. Hæc autem ſunt taciturnitas corporis, continentia, & verecundia.

Quod obſtinatio multum cauenda ſit ſeni.

TEmpore ſenectutis ſpecialiter timenda eſt obſtinatio. vnde inter abuſiones clauſtri enumeratur ſenex obſtinatus. Hugo de S. Victore: Inter abuſiones huius ſæculi, maior eſt ſenis obſtinatio: qui morti proximus, mortis non abhorret aduentum: qui quaſi ad oſtium mundi huius foris ſpectat, nō tamen vitæ pręſentis attendit egreſſum: nec ingreſſum futuræ vitæ deſiderat. Audit nuncios mortis: & credere non vult eis. Tres ſunt nuncij mortis: caſus, infirmitas, & ſenectus. Caſus dubia: infirmitas grauia: ſenectus certa nun-

Libr. 2. de clauſtro animæ cap. 11. in prin.

ciat. Caſus nunciat mortem latētem: infirmitas apparentem: ſenectus prę ſentem. Ex incertitudine mortis timor: ex infirmitatis grauitate, dolor: ex certitudine ſenectutis non obſtinatio, ſed humilitas & afflictio ſequi deberet. In ſenectute maiori diſcretione opus eſt. Gregorius: Tanto debet eſſe quiſque in ſui regimine cautior: quanto fuerit ætate prouectior. Periculoſa eſt inſipientia in fine vitę. Illam enim nulla corrigit ſapientia. Frequenter hæc inſipientia inuenitur in illis, quos mundus reputat ſapientes. Vnde de cupido & auaro legitur: In nouiſſimo ſuo erit inſipiēs. *Hie. 17.* Sapientia verò in fine vitæ multum eſt vtilis. Stultitias enim præcedentis vitę corrigit. Obſtinatio in ſene, ideo periculoſa eſt, quia in eo ætas ſenilis ad duritiam facit, & vt frequenter longa aſſuefactio ad malum.

De

De pertinentibus ad diuerſos ſtatus religionis.

CAPVT II.

IN ſtatu incipientis debet intendere clauſtralis deſtructioni vitæ ſęcularis,& extirpationi viciorum. Deſtructio verò vitę ſęcularis omnimodo non fit ſubito. Vnde Gregor. in moral. Conuerſionum initia bonis moribus maliſque permixta ſunt: & noua iam per intentionem agitur, & vetus adhuc vita ex vſu retinetur. Et notandum quod quinque de cauſis accidit, quod in eo qui ingreditur religionem, vita vetus non deſtruitur Vna cauſa eſt, quia per longam conſuetudinē vita ſęcularis quaſi in naturā verſa eſt. Cōſuetudo enim eſt quaſi altera natura: Si mutare poteſt Aethyops pellem ſuam,& pardus varietates ſuas,& vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. Prouerbium eſt: Adoleſcens iuxta viam *Hier.13.* *Pro.22.* *Eccle.10.*

ſuam etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea. Languor prolixior grauat medicum. Secunda cauſa eſt laxitas monaſterij. Sicut ſerpens non in foramine lato, ſed arcto veterem pellem deponit: ſic in monaſterio illo mores ſęculares non deponuntur, in quo fratres ſecundum ſuam voluntatem viuere permittuntur. Tertia cauſa eſt defectus doctrinæ. In Pſal. Lex Domini immaculata cōuertens animas. Lex Dei eſt vt ignis ad quem fit cordis liquefactio, vt priori forma amota, fiat nouæ formæ impreſſio. Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis ardens. In dextera eius ignea lex. In Pſal. Ignitum eloquium tuum vehementer: Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locut⁹. Quarta cauſa eſt defectus boni exēpli. Senec. Longū iter pręcepta, breue & efficax per exempla. Exēplum bonum ſe habet, vt forma exemplaris, quæ multum

Hie. 23. *Deut. 33.* *Cant. 5.* *Epiſt. 6. à medio.*

multum valet ad hoc quod aliquis nouitatem vitæ aſſequatur. Quinta cauſa eſt defectus bonæ voluntatis, quæ eſt, quaſi quædam informis materia omnium bonorũ in religione. In ſtatu incipientis multũ eſt neceſſarius timor Domini: qui mala, quæ iam ſunt, expellat: & his quę nondum ſunt reſiſtat. Bernard. in ſer. Ante omnia nouiciis timor Dei neceſſarius eſt, quo nimirum peccata præterita poſſint delere, & cauere futura. Timor enim Domini (vt ait ſcriptura) expellit peccatum: ſiue quod cõmiſſum eſt, ſiue quod tentat intrare. Expellit, hoc pœnitendo: illud reſiſtendo. Si timor deſit, nec peccata quæ erant expelluntur: nec peccatis reſiſtitur. Et ſic de his quæ pertinent ad diuerſos ſtatus religioſorum, patet.

Quòd valde reprehenſibilis eſt religioſus, qui in religione malè viuit.

Notabile cap. ET notandum valde reprehenſibilem eſſe eum, qui in religione male viuit: quia aut in ſæculo malè vixerat vel bene. Si bene: valde reprehenſibilis eſt, quia malè viuit inter bonos, qui bene vixerat inter malos: & inter innocentes innocentiam amiſit, qui inter innocentes eam ſeruauit. Si verò in ſæculo malè vixerat, & metuens ne incideret in manus Dei viuentis, carcerem clauſtri ſpon tanee ſibi elegerat: valde fatuus eſt, cùm Dominum carceris in carcere offendit, & funem peccati quo in inferno ſuſpendatur, quem in eo miſericordia Domini diruperat reſumit: & qui dirumpenti vincula ſui ſacrificium laudis ſacrificare debuit: pro laude contumeliam reddit. Dederat ei Dominus locum pœnitentiæ: & ipſe abutitur eo in ſuperbiam. Dei benignitas adduxerat eum ad pœnitentiam: ipſe verò theſaurizat ſibi

ſibi iram. Non timet ibi peccata perpetrare: vbi perpetrata in ſæculo, debuit corrigere. Miſericordię quoque Domini illudit: qui ei pœnam æternam, cui etiam pro minimo mortali quod fecerat, adiudicaturus erat: pœnam momētaneam cōmutauit. Item valde reprehenſibilis eſt: qui Deo negligit reddere vota illa quæ diſtinxerunt labia ſua. Non enim onus religionis ei nolenti impoſitum eſt: ſed poſt experientiam & deliberationem ab eo ſpōtanee aſſumptum. Ipſe fuit largus promiſſor: ſed redditor eſt auarus. Ipſe diuiſor iniquus, qui ſua dedit Deo, ſe verò dat diabolo. Ipſe mētitus eſt Deo, quod non eſt parum periculoſum: ſicut oſtenditur Act. 5. Cur (inquit Petrus Ananiæ) tentauit ſathanas cor tuum, mentiri Spiritui ſancto? Non es mentitus hominibus ſed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba: cecidit & expirauit. *Act. 5.*

Ipſe

Ipſe Deum irriſit: cui nõ ſoluit quod promiſit. De qua irriſione loquitur

Capit. 58. poſt mediũ B. Benedictus in Regula ſua, dicens de illo qui profeſſionem fecit, quòd ſi aliquando aliter fecerit, à Deo ſe damnandum ſciat, quem irridet. Tales merito in futuro à Deo irridebuntur. ſecundum illud: Qui habitat in

Pſal. 2. Pro. 1. cœlis, irridebit eos. Deſpexitis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis: ego quoque in interitu veſtro ridebo. Item talis reprehenſibilis eſt, quia illud negligit, quod cunctis mundi amabilius prælegit. Ille verò qui pro Deo mundum reliquit: ſi Deum amittit, omnia amiſit. Ipſe verò ſimilis eſt negotiatori, quærenti bonas margaritas: qui inuenta vna pretioſa margarita, vendidit omnia quæ habuit, & eam emit: & poſtea eam proiecit. Ipſe quaſi inter duas ſellas cecidit ad ter-

Epiſt. 114. circa med. ram. Bernar. loquens cuidam malæ

ſancti

ſanctimoniali: Deum, inquit, repellens, & à ſęculo repulſa inter duas, vt dicitur, ſellas corrueras: nec itaque Deo viuebas, quia nolebas: nec ſęculo, quia non poteras. Frequenter debent habere in corde ſuo, qui mundum reliquerunt, & monaſterium intrauerunt, illud verbum Petri: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Quid ergo erit nobis? Mira fatuitas eſt, cum aliquis amicum illũ, pro quo patrem & matrem & omnes alios amicos carnales reliquit: à quo omnia bona recepit, & plura erat recepturus, inimicum ſibi reddit: & pertinaciter offendit. Qui in monaſteriis malè viuunt, deberent frequenter dicere Domino illud: Omnia in te habentes: te non debuimus dimittere ire à nobis. Item valde reprehenſibilis eſt, qui in monaſterio malè viuit, vbi non ſolum bene, ſed etiam melius viuere debuit. Ipſe verò econtrario non

Mat. 19.

Tho. 10.

non ſolum viuit ibi malè: ſed etiam valde malè. Tales enim vel ſunt valde boni, vel valde mali: vel ſunt dæmones, vel ſunt angeli. Auguſt. *Epiſt. 137.* Non inueni meliores, quàm qui in monaſterio profecerunt: nec expertus ſum deteriores, quàm qui in monaſterio defecerunt. Multa verò ſunt quæ ad magnitudinem malitiæ eius qui malè viuit, facere videntur. Primum eſt loci ſanctitas. Secundum bonorum ſocietas. Tertium bene viuendi oportunitas. Quartum, quòd à Deo prouiſionem accepit. Quintum eſt profeſſio, quæ præceſſit. Sextū eſt, quòd ea quibus indignus eſt, facere præſumit. Septimum, quòd locum vnius boni viri occupat. Octauum eſt, quòd eos à quibus beneficia recipit, defraudat: Nonum, quòd pœnis quibus ſimiles ſibi puniti ſunt: non terretur. Decimum, quòd propter damnū quod incurrit, à peccato non cohibetur.

hibetur. Sanctitas loci multum aggrauat peccatū. Vnde dicitur: In terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini. Multum diſplicet Saluatori, cum contaminātur loca ſaluti deputata. De qua contaminatione cōqueritur: Contaminaſtis, inquit, terrā meam. Multum etiā aggrauat peccatum, ſocietas bonorum. Qui malus eſt inter bonos, eſt ſicut Iudas inter Chriſti diſcipulos: & ſicut ſathan inter Dei filios. De quo: Cum veniſſent filij Dei, & aſſiſterent corā domino: affuit inter eos & ſathan, Sathanas, id eſt, aduerſarius qui ſaluti aliorum aduerſatur: vel eos defraudādo adiutorio quòd eis facere debuit: vel eis cōtrario greſſu incedendo, eundo ſcilicet in infernū, aliis eūtibus in paradisū: vel eos ſcandalizādo. Saluator Iudā diabolū vocauit qui inter bonos malus fuit. Nonne vos 12. elegi? & vn⁹ ex vobis diabol⁹ eſt.

Iſai. 26. *Hier. 2.* *Iob 2.* *Ioan. 6.*

eſt. Item oportunitas bene viuendi, quàm habet aliquis in clauſtro bene diſpoſito, multum aggrauat peccatum malè ibi viuentis. Non ſolum enim fructuoſius, ſed etiam iocundius poſſet bene viuere quam malè. Vnde Bern. loquens de illo verbo: Confundantur omnes iniqua agentes ſuperuacuè, dicit: An non ſuperuacuè iniqua agit, qui non tantummodo fructuoſius, ſed etiam iocundius Deo ſeruire poterat quàm mundo? Maior eſt pœna quam habet religioſus, dum peccatum procuratur in ſtimulo conſcientiæ qui ſequitur, & in erubeſcentia quàm habet cum deprehenditur, & in pœnitentia quã facere cõpellitur: & in timore quem habet ne deprehendatur: quam ſit iocũditas quam habet, cum peccatum perpetratur. Præterea ſi bene viueret interiorem iocunditatem haberet: in cuſtodiendis enim mandatis Dei, eſt retribu

retributio multa. Sed ſicut dicit Greg. Veſana mens plus ſe aſſequi aſpera carnaliter, quam tenere blāda ſpiritualiter gaudet. Habentes māna, illud faſtidiūt: & cæpe deſiderāt, quæ nō ſine lachrymis comeduntur. Prouiſio etiam quā à Deo recepit, multum aggrauat. Proditor enim eſt, cū eum, à quo veſtitur & paſcitur, impugnat. De illo poteſt dicere Dominus illud: Ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa. Si inimicus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique. Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebat cibos, Canis illū amat à quo paſcitur, quando alios valde perſequitur. Cane ergo deterior eſſe videtur, qui beneficijs quæ à Deo recipit, ab eius impugnatione non cohibetur. Item non parum aggrauat peccatū profeſſio quæ proceſſit. Non enim parua culpa eſt, cum ille qui ſe

Simile.

Luc. 22.

Simile.

Deo obtulit, ſe Deo poſtea aufert, &diabolo ſe offert,& qui corpus ſuũ per votum continentiæ, Deo exhibuit hoſtiam viuentem,ſanctã, Deo placentem, poſt per incontinetiam illud diabolo exhibet hoſtiam morientem,execrabilem, & fœtentem:& vitæ angelicæ quam ducere propoſuit, vitam porcinam prçponit. Ber.
Epiſt. 42. habet prio. verba. Quid decorius caſtitate:quæ de homine angelum facit. Ecõtrario,quid immundius luxuria?quæ angelum in porcumconuertit.Multum etiam facit ad magnitudinem malitię, quòd ea ad quæ indignus eſt, præſumit. Præſumit enim ſtare in conſpectu Dei: cum Deus vſque ad mortẽ iratusſit ei,quod non eſt parũ periculoſum,cum ipſe dicat:Sanctificabor in
Leu. 10. his qui appropinquant mihi, id eſt, ſanctus in eis apparebo, vindictã de malis eorũ ſumẽdo. Ad magnitudinem etiam maliciæ eius facit, quod locum

locum vnius boni viri occupat. vnde timendum eſt ei, ne à Domino citius per mortem abſcindatur: vt locus ab eo expediatur, cum ſcriptum ſit de ficulnea ſterili. Succide eam: vt quid etiam terram occupat? Item ad magnitudinem malitiæ eius facit, quod illos decipit, à quibus beneficia recipit, qui ſunt vel in periculo mũdi, vel in igne purgatorij: quia cũ ipſe Deo diſpliceat, debito modo eis non ſubuenit. Cum enim is diſplicet qui ad interpellandũ mittitur: irati animus ad deteriora prouocatur, vt dicit Gr. Item ad magnitudinem malitiæ eius facit quod pœnis illis non terretur: quibus peccata in ſacris locis cõmiſſa, punita legũtur. Cõmiſsũ fuit peccatũ ſuperbię in cęlo: pro quo tã nobilis creatura eſt æternaliter dãnata. Videbam ſathanã ſicut fulgur de cęlo cadentem. Commiſſum eſt peccatũ inobedientię in paradiſo terreſtri:

Luc. 13.

Lib. 1. Paſtor. cap. 11. parum à princ.

Luc. 10.

pro quo totum genus humanũ exilio & morti adiudicatum eſt. Commiſſum eſt peccatũ carnalis amoris in illa congregatione, in qua Chriſtus præfuit: Iudas enim illud quod dandũ erat pauperibus, dabat vxori & filijs, quod peccatũ ſuſpendio punitũ eſt. Cõmiſſum eſt peccatũ proprietatis in congregatione illa cui præfuit Petrus: quod morte ſubita in Anania & Saphira punitũ eſt. Itẽ
Act. 5. ad magnitudinem malitię eius facit, quod à peccato nõ cohibetur propter dãnũ quod incurrit. Propter hoc enim bona religionis amittit. Qui aſſumit crucẽ trãſmarinã, & eſt raptor vel latro, cauet à peccato ne peregrinationis fructum amittat: quanto magis debet cauere qui eſt in religione, ne bona religionis amittat, cùm religi o præualeat cuilibet peregrina tioni? Cuius ſignum eſt quod in religionem poteſt commutari. Deteriores

ores etiam furibus videntur & raptoribus, qui religionem intrant, & ſe non emendant. Qui malus eſt in religione, eſt quaſi malus latro Chriſtum in cruce blaſphemās opere licet non ſermone: qui de cruce clauſtri tranſiturus eſt ad cruciatum inferni. Talis valde infelix eſt, qui in Dei vinario ſiti moritur: in eius ſeruatorio corrunpitur, & in loco ſalutis damnationē ſuam operatur. Quod alij eſſet aurū, eſt ei plūbum: onus ſcilicet religionis. Quod eſſet ſalus & vita alij, vt Sacramentum altaris: eſt mors & dānatio ipſi. Qui eſt in ſtatu incipientis, cum experientia ei deſit, non debet de ſenſu ſuo confidere: ſed alienum ſenſum ſuo præponere. Quantum in ſe eſt rigorem religionis debet amare: alienæ tamen diſpenſationi aquieſcere, & præ ſuorum interiorum diligentia ſua exteriora negligere. De primo

Serm. 3. ſuper Pſal. qui habitat. paulò à princip.

dicit Bernard. Obſecro vos nouellæ plantationes Dei, vos qui nondum habetis exercitatos ſenſus ad diſcretionem boni & mali:nolite ſequi cordis veſtri iudicium: nolite abundare in ſenſu veſtro:ne vos tanquam rudes adhuc verſutus ille venator decipiat. De ſecundo idem Bernard. Feruorem nouitiorum non decent illæ miſericordes in ſeipſos diſcretiones, & diſcretionum diſpẽſationes: facilesq́ue indulgẽtiæ ſuo iudicio:nõ tamen recuſandæ ſunt alieno. Idem: A nouitio in ſeipſum rigida debet eſſe cenſura, & diſcreta ſeueritas: ad regentem vel conſulẽtem paternam vel fraternam charitatem & pietatem: lenis & obediens in omnibus humilitas. De tertio. Idem: Fateor, placent in nouicijs, neglectior vtique is qui de foris apparet corporis cultus & veſtium: ſermo rarior, vultus hilarior, aſpectus verecundior, inceſſus

Ser. 63 ſuper Cant. poſt. med:ũ.

inceſſus maturior. Qui in ſtatu proficiendi eſt, defectus ſuos debet conſiderare: & pro illis ſupplendis Deo in oratione inſtare continuè. Proficiens quaſi duobus pedibus debet aſcendere: meditatione ſcilicet & oratione. Meditatio quid deſit docet: oratione ꝙ deſit obtinet. Aug. Sēper tibi dipliceat quod es: ſi vis peruenire ad id quod nondum es. Nam vbi tibi placuiſti, ibi remāſiſti. Si autem dixiſti, ſufficit: periſti. Idem: Adde ſemper, ſemper ambula, ſemper profice: noli in via deficere: noli retro ire, noli deuiare. Remanet qui non proficit: retrocedit qui ad ea reuoluitur, vnde neceſſe eſt haud deſcendas. Si attendas ſtare: ruas neceſſe eſt. Et notandum quòd quanto aliquis plus proficit: tāto defectus ſuos amplius agnoſcit: & malis ſuis magis iraſcitur. Greg. Sancti viri quo altius apud Deum virtutum digni-

In Pſalm. 122. & ſer. 15. de verbis apo. in fine. Serm. 15. de verb. Domini in fine. & in Pſal. 69. paulo à ſin.

Lib 18. mo. ca. 34.

habet ſimilia. Ho. 10. in Ezechi. circa finē.

tate proficiunt, eo ſubtilius indignos ſe eſſe deprehendunt: quia dum proximi luci fiunt, quicquid eos in ſeipſis latebat inueniunt, Idem: Quanto plus proficimus in cognitione, tāto nobis indignamur amplius de peruerſo opere. Quæ congruant ei qui eſt in ſtatu perfectionis, oſtendit Bern. his verbis: Perfectus reputabitur, in cuius anima hæc tria congruenter atque oportunè concurrere videbuntur, ſcilicet & gemere pro ſe, & exultare in Deo nouerit ſimul: & proximorum vtilitatibus potens ſit ſubuenire: placens Deo, cautus ſibi, vtilis ſuis. Ad ſtatum etiam eius qui perfect⁹ eſt, pertinet imperfectionē ſuam agnoſcere, & perfectionem appetere: & imperfectionem proximi patienter tolerare. Gregor. in mo. Magna eſt perfectio, ſuæ imperfectionis cognitio. Aug. Quantum mihi videtur, in ea quæ perficiāda eſt

Ser. 57. ſuper Cant. non remote à fine.

iuſtitia,

iuſtitia, multum in hac vita proficit: qui quàm longe ſit à perfectione iuſtitiæ, proficiẽdo cognouit. Ber. Nemo perfectus, niſi qui perfectior eſſe appetit. Idem: Ita nimirum ſolet diuina pietas conſeruando humilitatis gratiã ordinare, vt quantò plusquiſq̃ proficit, eò minus ſe reputet profeciſſe. Nam vſque ad extremum ſpiritualis exercitij gradum, ſi quis tãtum proficit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur: vt adhuc vix ſibi illum adeptus videatur. Gre. Illle verè perfectus eſt: qui ad imperfectionẽ proximi impatiens non eſt. *Lib. 5. mor. cap. 14. in principi.*

De quibuſdã inordinationibus clauſtri.

CAPVT. III.

VLtimo in hoc quarto lib. notandũ, quòd in aliquibus clauſtris vbi cuncta ordinatè fieri deberent, loco ordinationis eſt cõfuſio infernalis, vbi nullus ordo. Quod deberet *Iob. 10.*

eſſe intus, eſt extra: quod deberet eſ-
t. ſe ſurſum, eſt deorſum: quod deberet
eſſe dextrum, eſt ſiniſtrum: quod de-
beret eſſe ante, eſt retro: quod debe-
ret eſſe medium, eſt extremum. Pri-
mam inordinationē, facit hypocri-
ſis: cum ſ. clauſtrales faciunt opera
ſua, vt videãtur ab hominibus: & qui
puritatem deberēt quærere interius,
quærunt eam exterius: à ſaluatore
Mat. 23. maledicti. Væ vobis ſcribę & phari-
ſæi hypocritæ, qui mundatis quod
Ibid. foris eſt, &c. Væ vobis qui ſimiles
eſtis ſepulchris dealbatis putredine
plenis. Secundam inordinationē fa-
cit ſubditorum ſuperbia. Quaſi pe-
des ſunt ſurſum, & caput deorſum:
cùm oportet quod prælatus quærat
à ſubditis, quod Saluator queſiuit à
cæcis. Quid vultis vt faciam vobis.
Matt. 20. Potius congrueret ſubdito, quod di-
cit Paulus Saluatori: Domine quid
Act. 9. me vis facere? Tertiam inordinatio-
nem

nẽ facit cupiditas & auaritia. Quaſi faciem præpoſteram habet religio, in qua temporalia ſpiritualibus prę-ponuntur: Facti ſunt retrorſum, & non ante. Quartam inordinationem facit ſapientia carnis inimica Deo: quod dextrum eſt, ſiniſtrum repu-tans: pœnitentiam valde fructuoſam crudeli miſeratione minuens: quæ virgam diſciplinæ abijcit, quam oſ-culari debuit. Ber. Si pœnitentia no-ſtra crudeli miſeratione minuitur, paulatim gẽmis corona noſtra pri-uatur. Quintam inordinationem fa-cit negligentia, quæ eſt in homini-bus præpoſteris qui vix in fine vitæ faciunt: quod in principio conuer-ſionis ſuæ facere debuerunt. Sextam inordinationem facit prælatorum malicia, qui cum exemplo Saluato-ris in medio fratrum eſſe deberent, in parte ſe ponunt. Ex quibus omni-bur extant verſus: Intus adeſt, extra

Hier. 7.

quod

quod:ſurſum,fitquæ deorſum. Ante retro vertunt,quod dextrum, fitque ſiniſtrum.

Finis quarti libri.

Incipit Liber Quintus: In quo oſtenditur quomodo qui eſt in religione, ſe debeat habere ad proximum.

PRIMA PARS.

DIctoin præcedenti libro, quot modis, qui eſt in religione, debet ordinare animum: In hoc quinto libro oſtendendum eſt, quomodo ſe debet habere ad proximum. Et primo generaliter hoc oſtendetur deinde ſpecialiter deſcendetur ad diuerſitates perſonarum. In principio ſtatùs viuentium ſub obedientia & ſocietate commendabitur. Secundo quantum ſit neceſſaria ſociabilitas his qui in ſocietate ſunt victuri vſque ad finem vitæ ſuæ oſtendetur.

Tertio agetur de his quæ ad ſociabilitatem pertinent. Primò de vnitate: ſecũdò de innocentia: tertiò de dilectione: quartò de mutuo honore. Deinde de Prælatis ſubditis, & miniſtris, & de his qui pauperes fuerunt in ſęculo: & de his qui fuerunt diuites: & de infirmis.

De commendatione viuentium ſub obedientia

CAPVT PRIMVM.

DVo pertinent ad commendationem ſtatus viuentium ſub obedientia in ſocietate: ſcilicet commendatio obedientiæ, & commẽdatio ſocietatis ſanctæ. Et notandum quòd ſtatus in quo ſub obedientia viuitur, valde laudabilis eſt. In illo enim ſtatu multum virtuti adiicitur: triumphus nobiliſſimus acquiritur. meritorũ abũdatia cumulatur. Obedientia de Dei placito hominẽ certificat, à ſollicitudine ſuiipſius eũ exonerat.

nerat: à periculo conſeruat: mentem caſtificat: hominem ſupra ſe leuat, ſtatui ciuium cæleſtiũ aſſimilat. Per hanc acceptiſſimũ Deo ſacrificium offertur: per hanc Deus homini perfectè dominatur, per hanc multum glorificatur. Per hanc virtuti multũ adiicitur: cùm enim Sapiens dicat: hoc ſolùm virtuti adiicies, quod propriæ voluntati detraxeris: quantum virtuti adiicitur, cùm per obedientiam propria voluntas omnino amputatur. Eſt enim obedientia ſubiectio qua homo ſpontaneè intùitu Dei, alterius hominis ſubditur volõtati. Additionem verò ad virtutem, ſequitur additio ad premium. Ideo premium viuentium ſub obedientia valde magnum eſt, ſicut oſtenſum eſt cuidam patrum in extaſi poſito, qui vidit 4. ordines ante Deum. Primus erat hominum infirmantium, & gratias agentium, Secundus erat eorum

qui fuerant hoſp itales. Tertius eorũ qui ſolitudinem ſectantur,& non vident homines. Quartus illorum qui propter Deum & obedientiam ſollicitè ſunt patribus ſubiecti. Erat hic ordo ſuperior allis tribus, & maiorẽ gloriam præ cæteris habebat, vt ære torques aurea. Et cùm quęreret ſenex. Quare hoc? reſponſum eſt ei: Quoniam omnes alij habent aliquã requiem adimplendo proprias voluntates, quanuis in bonis operibus: hic autem omnes proprias voluntates relinquens, totus pendet à voluntate patris iubentis. Item cùm valde virtuoſum ſit, quod aliquis voluntatem viuendi relinquit, & pro Chriſto morti ſe exponit: quantum virtuoſum eſt cùm aliquis omnem propriam voluntatem relinquit & pro Chriſto alienæ voluntati ſe ſubiicit. Per obediẽtiã nobiliſſimus triũphus acquiritur. Nobiliſſimũ enim

vin

vincere ſeipſum,quod facit obediẽs. Vir obediens loquitur victorias. Et ſuper illud: Melior eſt obedientia quàm victimæ, dicit Gregor. Gloſ. Dũ enim alienæ voci humiliter ſubdimur, noſmetipſos in corde ſuperamus. Melior eſt qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium. Multi vrbes & regna ſubiugauerũt ſibi, qui tamen ad hunc nobiliſſimum triumphum non peruenerunt. Hic triumphus proprius eſt hominis. Vincit leo vel aliud animal cætera animalia: ſeipſum autem vincere non poteſt. Seneca: Qui ſeipſum vincit, contra omnia fortis eſt. Per obedientiam meritorum abundantia cumulatur. Dum aliquis intendit propriam facere voluntatem non videtur mereri, niſi apud ſeipſum mereatur. Ab illo enim merito merces expectatur cui ſeruitur, cuius voluntas impletur. Non meretur ergo apud alium, niſi

Pro.21.

Ibid.16.

qui

qui vult facere alienam voluntatem: quod eſt obedientiæ. Auguſt. Oportebat vt homo ſub domino poſitus, ab aliquo prohiberetur: vt eſſet ei virtus merendi obedientiam. Obedientia facta eſt quaſi nauis inſtitoris. Qui in naui eſt etiam quieſcens, comedens & bibens procedit: mouetur enim motu alieno. Similiter obediẽs qui eſt in religione, quieſcendo, bibendo comedẽdo meretur. Obedientia hominẽ de Dei placito certificat. Niſi enim apertè ſit malum quod à ſuperiore præcipitur: ſic accipiendũ eſt, ac ſi à Deo præciperetur Luc. 10. Qui vos audit, me audit: Ber. Quicquid vice Dei præcipit, homo, quod non ſit tamen certũ diſplicere Deo: haud ſecus omnino accipiendum eſt, quàm ſi præciperet Deus. Obediẽtia in huius mundi tenebris vicẽ ſupplet diſcretionis. Bern. Rara auis in terris, diſcretio: ideo locum diſcretionis

Simile.

In li. de diſpen. & præcept. ante med. libri.

ſuppleat in vobis virtus obedientiæ: vt nihil plus, nihil minus, nihil aliter quàm imperatum ſit, faciatis. Obedientia hominem à ſollicitudine ſuiipſius exonerat, Alij enim incumbit ſollicitudo & ſpiritualiter, & temporaliter pro illo qui eſt in religione. Vnde cùm alleuiatus ſit etiam à ſeipſo, valde reprehenſibile eſt in eo ſi pigritia torpet, & non proficit: valde fatuus eſt, ſi tantũ onus reſumit. Ber. ſuper Can. Qui veſtri curam ſemel nobis tradidiſtis, quid rurſus vos de vobis intromittitis? Obedientia hominem à periculo conſeruat. Ipſa

Simile. quidẽ quaſi eques vadit: alieno enim ſenſui & alienæ voluntati quaſi alienis pedibus innititur, ideo nec maculatur, nec leditur. Inquinatio enim & leſio imperantis eſt, & non obedientis niſi manifeſtè ſit malum quod imperatur. Ad eam poteſt dici illud: In

Pſal. 4. manibus portabunt te, ne fortè offendas

das ad lapidem pedem tuum. Obedientia mentem caſtificat à libidine propriæ voluntatis, ſecundum illud: Animas veſtras caſtificantes in obedientia charitatis. Sicut ramus arboris nobilis arborem ſylueſtrem domeſticam reddit: ſic obedientia mentem libidinoſam reddit caſtam. Gre. Sola obedientia virtus eſt, quæ cæteras virtutes menti inſerit, inſertasq́; cuſtodit. Obedientia hominem ſupra ſe leuat. Leuauit ſe ſupra ſe. Niſi corpus ſociatum eſſet ſpiritui, vt ſenſu eius & imperio regeretur, non aſcenderet ad hoc, vt remunerationem æternam mereretur: ſic vir ſimplex per obedientiam aſcendit ad ſapientiam, & mores maiorum, à quibus regitur, imò quodammodo ad Deum aſcendit, dum ſeipſum quodammodo exuit, & Deum induit. Viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus. Obedientia ſtatui cœleſtiũ

1. Pet. 1.
Li. 35. moral. cap. 12.
Tre 3.
Gal. 2.

ciuium aſſimilatur. Ipſa eſt imago hominis cœleſtis, ſicut inobedientia
1.Cor.15. eſt imago hominis terreni. Sicut portauimus imaginẽ terreni, portemus & imaginem cœleſtis. Obedientia facit vt Dei voluntas ſic fiat in terra, ſicut fit in cœlo. Per obedientiam acceptiſſimum Deo ſacrificium offer-
Libr 35. mor. c. p.12 tur. Gre. Melior eſt obedientia quam victimæ: quia per victimas aliena caro: per obedientiam verò propria caro mactatur. Obediẽtia quaſi quoddam martyrium eſt. Obediens quaſi caput propriũ pro Chriſto ſibi amputat, & caput ſibi cõſtituit Chriſtum, vel illum qui loco Chriſti eſt. Greg.
35.mora. cap 12. Tanto Deum quiſque citius placat: quanto repreſſa ſui arbitrij ſuperbia, gladio pręcepti ſe immolat. Per obedientiam Deus homini perfectè dominatur. Qui hanc promittit, dominio ſui ſe exuit: & illum qui locum tenet, in poſſeſſionem ſuiipſius ponit.

Si quis

Si quis vult poſt me venire, abneget ſeipſum. Per hanc Deus glorificatur. Si glorificaueris eum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris ſermonem: tunc delectaberis ſuper domino &c. Multum glorificat Deum verus obediēs, qui paratus eſt facere eius beneplacitum, etiam ſi mandatur ei per vilem perſonam, ideo meritò ab eo glorificabitur. Quicunque honorificabit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Semen hominum honorificabitur hoc quod timet Deum: ſemen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini.

Mat. 16. *Iſa. 58.* *1. Reg. 2.* *Eccle. 10.*

De commendatione ſanctæ ſocietatis. CAPVT II.

AD commendationem ſanctę ſocietatis notandum, quòd deſideranti propriā ſalutē ſocietatis mala valde eſt fugienda, ſolitudo timen-

da, ſocietas bona amanda & eligenda. De periculo ſocietatis malæ require ſup.lib.1.c.8.Qui mundum relinquit timore periculoſæ ſocietatis, valde inſipienter agit, ſi ſcienter clauſtrum diſſolutum eligat: vel ſi poſtquam ſtatum talis clauſtri cognouerit, ibi remaneat. Societas multum iuuat ad ſalutem, ſi bona ſit: & multum impedit, ſi mala ſit: & tanto ſocietas eſt periculoſior, quãto maior. Vnde cùm maxima ſit ſocietas religionis, difficilius ſaluatur aliquis in religione diſſoluta, quàm in ſeculo.
Simile. Periculum ſuum videtur amare, qui nauem religionis intrat, quam conſpicit perire: vel hoc cognito, vult ibi
Eccleſ.3. remanere. Talis meritò perit. Qui amat periculum, in illo peribit. Qui clauſtrum corruptum intrat, cito ibi corrumpitur, etiamſi ante erat bo-
Simile. nus. Sapiens: Sincerum niſi ſit vas, quodcunque infundis aceſcit. Si modicum

dicum fermenti totam maſſam corrumpit, quanto magis multum fermentum modicam maſſam corrumpit? Difficile eſt bonitatem vnius, maliciæ multitudinis reſiſtere. Parua allocutio ſerpentis mulieri primæ occaſio fuit mortis: & ſocietas mulieris virum corrupit. Non eſt ſocietas mala ſine diabolo, nec bona ſine Deo. Vbi duo vel tres cõgregati ſunt in nomine meo, in medio eorũ ſum. Qui ſocietatem malam amat, diaboli ſocietatẽ videtur amare. Timenda eſt ſolitudo, maximè homini infirmo & inexperto. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum. Ve ſoli. Cùm non ſit homo ſine mali ſuggeſtore & impugnatore, non eſt ei tutum eſſe ſine conſultore, cuſtode & adiutore. Bernardus cuidam moniali volenti tranſire à congregatione ad eremum: volenti, inquit, perperam agere, & deſertum abũdantiam habet, & nemus

1. Cor. 5. *Gen. 3.* *Matt. 18.* *Gen. 2.* *Eccleſ. 4.* *Epiſt. 115. parum ante medium*

vmbram,& ſolitudo ſilentium.Malū quòd nemo videt,nemo arguit. Vbi non timetur reprehenſor,ſecurus accedit tentator,& facilius perpetratur iniquitas.Idem,Audiant qui ſine prę ceptore vias vitæ aggredi non formidant: ipſi ſibi exiſtentes diſcipuli & magiſtri. Seductori dat manum, qui dare diſſimulat præceptori.Et qui di mittit oues in paſcua ſine cuſtode pa ſtor eſt non ouium,ſed luporum Melius eſt duos eſſe ſimul, quam vnum. Quis ſtatus ſanctæ ſocietatis præeligendus ſit ſtatui ſolitudinis, oſtendi poteſt per hoc quod ad creaturam duo pertinent, ſcilicet,bonū dare alteri, & recipere ab altero. Habet enim vim actiuam & paſſiuam, collocatiuā, & ſuſceptiuam:& quātum ad vtrūq;,melius eſt eſſe duo ſimul quā vnum. Si ille qui eſt in multitudine, habet aliquā gratiam gratia illa pluribus proficit. Si ſolus eſſet oculus, parum

Serm 77. ſuper an. à medio.

Eccle. 4.

Simile.

parum prodeſſet viſus eius Nunc verò cætera membra corporis habent in eo, quantum neceſſe eſt eis. Manus enim & pedes per eum in ſua operatione diriguntur. Viſu etiam aliqua noxia vel ſalubria olfactui, guſtui auditui perpenduntur. Ex ſocietate etiam cæterorum membrorum multa bona recipit oculus. Si ſolus eſſet multis indigeret vt ambulatione ad appropinquandum his quę deſiderat: quæ appropinquatio fit pedibus. Indigeret etiam attrectatione, quam habet in manibus: item diſcretione noxiorum, quæ retro appropinquant: quæ habetur ex auditu. Diſcretione fœtoris aëris corrupti, quæ habetur ex olfactu. Suſtentatione, quæ habetur ex guſtu. Sic homo ex ſocietate bona multa bona recipit. Multa enim neceſſaria corpori vel animæ, quæ non habet in ſe, habet in ſociis ſuis. Et poſſumus tangere duodecim

emolumenta,quę habentur ex ſocietate bona. Primum eſt Dei indulgentia. Parcitur enim ei aliquando à morte, vel alia pœna, quam meruit, gratia ſocietatis. Vnde dicit Dominus Abrahæ: Si inuenero quinquaginta iuſtos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos.

Gen. 18.

Secundum eſt ſanctificatio ſeu gratiæ ſuſceptio. Carbo mortuus cum viuis poſitus viuificatur. & peccator in ſocietate bona iuſtificatur. Cum ſancto ſanctus eris. Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem. Quanto magis multitudo bonorum vni malo ſanctificationis occaſio erit? Tertium eſt prouocatio ad proficiendum. Si aliquis tepidus eſt in ſocietate bona, exemplo aliorum accenditur, & feruens efficitur. Si ſolus eſt, remanet in tepiditate ſua. Vnus quomodo calefiet? Quartum eſt

Simile.

1. Cor. 7.

Eccleſ. 4.

eſt fulcimentum. Si vnus ex nimia debilitate, vel oneris magnitudine, vel continua hoſtis impulſione caſui appropinquat, ab aliis ſuſtentatur. Si vnus ceciderit, (hoc eſt, caſui appropinquauerit) ab altero fulcietur. Quintum eſt ſubleuatio: ſi contingat eum omnino cadere. Si ille qui ſolus eſt cadat, non habet ſubleuantem: ideo ve illi. Sextum eſt cuſtodia, qui in bona ſocietate eſt, quaſi plenus oculis ante & retro. Si aliquod malum in eo appareat, oſtenditur ei, vel prælato qui habet eum corrigere. Erubeſcentia & reuerentia aliorum à multis malis refrenatur: & ſic fratres qui ſunt vnius congregationis, mutuo ſe cuſtodiũt. Auguſt. in regu. Quando ſimul eſtis in eccleſia, & vbicunque ſunt fœminæ, inuicem pudicitiam veſtram cuſtodite. Deus enim qui habitat in vobis,

Ibidem

Ibidem.

In 3. reg. circa me. illius.

bis, etiam iſto modo cuſtodiet vos ex vobis. Societas bona terribilis eſt hoſtibus, vt caſtrorum acies ordinata. Septimum eſt eruditio. Qui enim eſt in ſocietate: conſilium habet & doctrinam ab aliis, quod multum neceſſarium eſt ei qui incedit per ſemitam viæ religioſæ, vbi error multos impedit à profectu, ſicut filij Iſrael errauerunt in deſerto. Erit ſalus,
Pro 24. vbi multa cōſilia ſunt Doctrina bo-
Ibid 12. na dabit gratiam. Octauum eſt exhortatio quæ pigris eſt neceſſaria, qua ad bonum ſtimulentur. Verba
Eccle. vlt. ſapientium quaſi ſtimuli. Nonum eſt conſolatio ſpiritualis, quæ multum eſt neceſſaria his qui carnalem delectationem renuunt, & conſolatione diuina nondum digni ſunt. Multum valet verbum conſolationis contra
Eccle. 18. eſtum tribulationis. Nonne ardorem refrigerabit ros, & verbum melius, quàm datum? Decimum eſt victoria de

de hoſte. Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma. Si quiſpiam præualuerit, cõtra eum, duo reſiſtent ei. Vndecimum eſt exauditio in oratione. Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quancunque petierint, fiet illis à patre meo. Deus multotiens exaudit multitudinem, quando vnum non exaudiret. Duodecimum eſt congratulatio. Nõ ſolum bonum inter fratres habitare in vnum, imò iucundum. Charitas quæ veritati congaudet, in ſocietate bona & magna multam materiam gaudij & recipit & prebet. Ratione congratulationis omnia bona dicuntur eſſe charitatis. Greg. Penſent inuidi quantum bonum eſt charitas, quæ ſine labore noſtro aliena bona noſtra facit. Conuenientiſſimus modus aquirendi bonorum abundantiam eſt per ſocietatem. O quantum bonum eſt materię, ex ſocietate formæ:

Prou. 18. *Eccle. 4.* *Matt. 18.* *Lib. 3. paſtor. c. 11.*

mæ. Quantum bonum eſt carni ex ſocietate animi. Quantum bonum eſt humanæ naturæ ex ſocietate diuinæ naturæ cum humana in Chriſti perſona. Quantum bonum eſt electis & hominibus & angelis, ex ſocietate beata, quam habent cum Deo. Et notandum quòd qui eſt in bona ſocietate, habet inde emolumentum, & in vita, & in morte & poſt mortem. De emolumentis quæ habet in vita, ſatis patet ex prædictis. Emolumentum quod habet in morte, eſt ſecuritas. Securior eſt tranſitus per locum periculoſum cum ſocietate, quàm ſine ſocietate. Vnde cùm tranſitus mortis valde ſit periculoſus, magna ſecuritas eſt illi quem bona ſocietas in morte in orationibus iuuat. Tranſitum iſtum timebat Ber. cùm dicebat in medit. ſuis: O anima mea quis erit ille pauor, cùm tibi occurrentia cateruatim illa teterrima monſtra

monſtra videbis? Emolumētum poſt mortem eſt fratrum ſubuentio. Qui in ſancta ſocietate eſt quando moritur, ipſe in ſuis fratribus viuit, qui ei poſt mortem ſuffragantur.

Quàm neceſſaria ſit ſociabilitas illi qui eſt in religione.

CAPVT III.

COmmendato ſtatu viuētium ſub obedietia, & in ſocietate, oſtēdēdum, eſt, quàm neceſſaria ſit ſociabilitas illi qui in ſocietate ſecundū profeſſionem ſuam ſemper debet viuere. Sociabilitatem verò intelligo gratiā habendi ſe debito modo cum proximo. Quæ autem ad hanc ſociabilitatem pertineant, in parte oſtendit Ber. his verbis. Arbitror quòd tu qui in congregatione es, bene viuis, ſi ordinabiliter, ſociabiliter, & humiliter viuis: ordinabiliter tibi, ſociabiliter proximo, humiliter Deo. Et ſubdit: Sociabiliter, vt ſtudeas amari & amare:

Ser. 2. in feſt. Apo. Pe. & Pa. poſt med.

amare: blādum & effabilem te exhibere: ſupportare non ſolum patiēter ſed etiam libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum, quā corporum. Circa ſociabilitatem notandum, quòd ſicut membrum humani corporis coniunctionem ſui ad cætera membra naturaliter amat, ſicut tremor indicat quem habet, cùm ſeparatio ſibi imminet, & dolor quem patitur, cùm ab eis ſeparatur, vel cū dislocatur: ſic frater qui eſt in congregatione, iuncturā ſui cōueniētē ad cęteros fratres debet amare, & ſeparationē vel inordinatā cōiūctionē timere: ſicut accidētis eſſe eſt in alio eſſe: ſic membri eſſe eſt cum alio eſſe. Et ſicut membrum naturaliter appetit eſſe, & fugit non eſſe: ſic naturaliter appetit vnitatē cum aliis membris, & timet ſeparationem. Separatum eſt inutile: oculos erutus inutilis eſt, ſimiliter & manus obſciſſa. Sic qui per

per apoſtaſiam à congregatione ſeparatur, inutilis efficitur: iuxta illud: Homo apoſtata vir inutilis. Si verò manens in congregatione ad fratres malè ſe habet, in dolore viuit: & aliis doloris & turbationis cauſa exiſtit. Pro. 6.

Commendatio vnitatis.

CAPVT IIII.

CVm vnitas in cõgregatione valde ſit neceſſaria, commendanda eſt vt ametur: diuidenda, vt plenius cognoſcatur. Tangendum eſt etiam de his quæ eam efficiunt, vt ad eam acquirendũ via ſciatur: & de his quæ eam impediunt, vt caueatur. Notandum ergo quòd cum gratia ſit excellentior quàm natura, & ſpiritus ſanctus, à quo eſt vnitas ſanctæ congregationis excellentior quã noſter ſpiritus: corpus etiã myſticũ, cuiꝰ caput eſt Chriſtus, nobilius ſit corpore humano: vnitas gratię corporis myſtici

multo amplius eſt amanda & ſeruan da quam vnitas naturæ. Vnitas iſta multum grata eſt Deo & ſactis eius, cógregationi valde vtilis, dęmõibus valde terribilis. Quòd Deo multum grata ſit patet ex hoc quòd doctrina Chriſti ad eam efficiendam fuit. Qui
Mat. 12. non colligit mecũ, diſpergit. Chriſti eſt colligere, diaboli diſpergere, Tráſiturus de hoc mundo pro hac vnitate
Ioan. 17. te deuotè orauit: Pater ſancte, ſerua eos quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos. In paſsione quando mẽbra corporis ſui perfodi permiſit, tu nicam qua figurabatur vnitas corporis myſtici, ſcindi noluit. Item quòd
Cant. 4. hæc vnitas multum grata ſit Deo, pa
Eccl. 25. tet ex hoc quod dicitur ſponſæ: vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum. i. in vnitate contemplatiuorum. Vulneraſti, inquam, vulnere amoris. In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata corã Deo & homini

& hominibus. Cócordia fratum &c. Quòd hæc vnitas placeat ſanctis, patet ex hoc quòd tantum ex ea gratulantur, & tantum ad eam hortantur. Multum gratulabatur de ea Paulus, dicens: Implete gaudium meum, vt idem ſapiatis: eandem charitatem habentes. Ad eam etiam multum hortabatur: Obſecro vos vt idem dicatis omnes: & non ſint in vobis ſchiſmata. Vnitas congregationi valde eſt vtilis. Dum enim ipſa habet vnitatem & cócordiam, à ſpiritu ſácto viuificatur & lætificatur: bona eius augentur, ab hoſtibus non ſuperatur. Sicut mẽbrum corporis humani cóiunctum cęteris mẽbris à ſpiritu creato viuificatur, ſeparatum vero nó: ſic in corpore myſtico, quod eſt cógregatio fideliũ, qui habẽt vnitatẽ adinuicẽ, à ſpiritu ſ. viuificantur. Si verò diuiſi ſint ab inuicem, à ſpiritu ſácto non viuificantur. Diuiſum eſt cor

Phil. 2.

1. Cor. 1.

eorum,nunc interibũt. Dum mẽbra
Oſea 10. in còrpore myſtico vnitatem habẽt,
bona eorum augentur:& eſt eis congratulatio de bonis. Sed ſi ſit ibi diuiſio diſcordiæ, deſolatio eſt ibi, &
Mat. 12. bonorum diminutio. Oẽ regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur.Hiero. Quó concordia paruæ res creſcũt, ſic diſcordia maximæ res collabuntur. Vbi vnitas eſt, habetur de hoſte victoria: quia ſecundum Ambroſ. omnis pugna vnanimiter aggreſſa, victoriam parit. Legitur de filiis Iſrael
1. Reg. 11. pugnaturis. Egreſsi ſunt quaſi vir vnus. Congregatio concors dęmonibus terribilis eſt:nec mirum: præſentiã enim ſpiritus ſancti, à quo eſt illa vnitas,indicat.Singuli etiam quodammó habent virtutem omniũ: & quem vnus impugnat,omnes impugnant,& mutuo ſe defendunt. Congregatio in qua eſt vnitas, eſt velut murus firmns cũ forti cemẽto hoſtibus

bus impenetrabilis:vbi vero deeſt vnitas,eſt velut murus ſine cemento facile corruens. In tali congregatione videtur impleta eſſe illa commina tio: Ieruſalem in aceruum lapidum erit. *Miche. 3.*

De diuiſione vnitatis.

CAPVT V.

ET notandum quòd cõgregationi religioſę neceſſaria eſt duplex vnitas.ſ.interior & exterior. Vnitas in terior idem eſt quod vnanimitas: de qua Paulus cõmendat Timotheum: Neminem habeo tam vnanimẽ. De hac etiam commendatur primitiua Eccleſia: Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Habet autem hæc vnitas duas partes: quarũ vna pertinet ad intellectum, alia ad affectum ſiue ad voluntatẽ. De prima habetur: Sitis perfecti in eodem ſenſu,& in eadẽ ſcientia. Item Idem ſapite. De ſecunda: Eandẽ charitatẽ

Phil. 2. *Act. 4.* *1. Cor 1.* *2. Cor. 13.* *Phil. 2.*

habentes. Vnitas exterior quædam eſt oris ſcilicet vniformitas laudis diuinæ. De qua: Vno ore honorificetis Deũ. Alia eſt vnitas laboris. De qua: Seruiant ei humero vno. Alia eſt vniformitas victus & veſtitus, de qua Auguſt. in ſua reg. Sicut paſcimini ex vno veſtiario. Alia eſt habitationis, de qua in pſal. Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Augu. Iſte verſus valde dulciſſimus & ſuauis melodia, toto orbe notiſsimus, vt tuba ſpiritus ſ. diuiſos corpore congregauit in vnum, & monaſteria plurima peperit. Vnitas exterior effectus eſt interioris vnitatis: & eam indicat & conſeruat. Diuerſitas verò in exterioribus vnitatẽ interiorem diſsipat, & diuerſitatem animorum deſignat.

Rom. 15.

In 3. reg. poſt med.

Pſ. 134. in prin.

Octo quæ valent ad vnitatem.

CAPVT. VI.

ET notãdum quòd 8.ſunt, quæ va lẽt ad dictam vnitatem. Primum eſt vnio cum Deo, qui eſt bonum vnum omnibus neceſſariũ, ſufficientiſsimũ: qui quanto à pluribus habetur, tantò à ſingulis amplius habe tur. Qui ei adhæret, vnus ſpiritus eſt cum eo. Et omnes qui perfectè ei adhærent, adinuicem vniũtur. In ter malos vel bonos imperfectos poteſt eſſe diſcordia. Inter bonos perfectos eſt concordia. Aug. Pugnãt inter ſe mali & mali, pugnant ẽt inter ſe boni & mali: boni verò & boni, ſi perfecti ſũt, inter ſe pugnare nõ poſsũt. Proficiẽtes & nondũ perfecti ita pugnant, vt vnuſquiſque ex ea par te pugnet contra alterum, qua cõtra ſeipſum. In vno quippe homine caro cõcupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiri tus aduerſus carnẽ. Vnio verò ad tẽporalia, quæ multa ſũt: occaſio eſt di uiſionis & diſcordiæ. Dicit de Loth

1. Cor. 6.

Lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 5. in fine.

Gen. 13.

& Abraham,quòd ſubſtantia eorum multa erat:& non quibant communiter habitare. Vnde facta eſt rixa inter paſtores gregum eorum. Amor bonorum quæ à diuerſis integrè poſſideri nõ poſsũt, vnitatem impedit. Amor verò eorum quæ ſimul à diuerſis perfectè poſſideri poſſunt,nõ. Secundum eſt ſeparatio à cæteris rebus à Deo. Qui enim adhæret alicui rei præter Deum,& non propter Deũ, minus Deo adhæret. Aug. Dñe minus te amat, qui aliquid præter te amat,quod non propter te amat. Dominus volens Abraham perfecte ſibi adhærere, voluit eum ſeparare à cæteris rebus:& dedit ei præceptum, vt ſepararetur à patria ſua: & ab his, à quibus ortum duxerat,dicẽs: Egredere de terra tua,&de cognatiõe tua, & de domo patris tui. Dedit etiam præceptum quo ſepararetur ab eo ꝙ ortum duxerat ab eo. ſ. ab vnigenito

Libr. ſoli. loq. ca. 19. in princ.

Gen. 12.

ſuo

ſuo Iſaac. Dedit etiã præceptũ quo Gen 22.
ſepararetur quodãmodo à ſeipſo: prę
ceptum ſcilicet de circũciſione. Hoc
præcepto voluit eum ſeparare à ſe, Gen. 17.
quantum ad carnalia deſideria.
Circunciſio enim facta in carne mo-
uebat ad reſecandum carnalia deſide
ria: ideo fiebat in mẽbro illo, in quo
concupiſcentia magis ſeuiebat. Vni
tas mala multum aduerſatur vnitati
ſpiritus ſanct. Aug. ſu. Ioã. Eſt & ma-
la concordia, eſt & bona diſſonãtia.
Greg. Sicut noxium eſſe ſolet, ſi vni L 34. mo-
tas deſit bonis, ita pernicioſum, ſi ral. ca. 3.
non deſit malis. In multis religio- in princi.
ſibus amor qui non eſt ſecundum
Deum, magis nocet quàm odium.
Odium enim cauent multi, quia om-
nes ſciũt illud eſſe malum: amorẽ ve-
ro qui non eſt ſecundum Deum, nõ
ita cauẽt. Voluit Dñs ſeruos ſuos e-
tiã à chariſsimis ſeparatos, vt ipſi ꝑ
fectè eſſent ipſius. Voluit vt quaſi o-

Luc. 14. dirent eos. Si quis venit ad me, & nõ
Deut. 33. odit patrẽ ſuum &c. non poteſt meus
eſſe diſcipulus. Qui dicit patri ſuo, &
matri ſuæ, neſcio vos: & fratrib⁹ ſuis,
ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos
hi cuſtodierunt eloquiũ tuum, & pa-
Matt. 10. ctum tuum ſeruauerunt. Nõ veni pa-
cem mittere in terra, ſed gladium. Ve
ni enim ſeparare hominem aduerſus
Exod. 32. patrem ſuũ: Si quis Domini eſt, iun-
gatur mihi, &c. occidat vnuſquiſque
fratrem, & proximum & amicũ. Vni-
tas in religione quæ non eſt ſecun-
dum Deum, multum eſt periculoſa.
Illa enim bonis reſiſtit: malos robu-
ſtiores & audaciores facit: correctio-
nẽ impedit: bonorũ perſecutionẽ au-
get. De reſiſtẽtia habetur. Act. 7. Du-
ra ceruice vos ſpiritui ſancto reſtiti-
ſtis. Spiritui ſancto reſiſtit: qui bonis
quę fiunt à ſpiritu ſancto cõtradicit.
De roboratione dicit Greg. Peruer-
ſos vnitas roborat: dũ eos concordat.

De

De audacia habetur Act. 7. Impetũ fecerunt vnanimiter in eũ. Audaciores fuerunt, quia vnanimes. De impedimento correctionis dicit Grego. Qui diuiſi corrigi poterant: iniquitatum ſuarum pertinacia vniti perdurant. Idem. Peruerſos vnitas tãto magis incorrigibiles, quanto vnanimes facit, Iob. 41. dicitur de corpore diaboli: quod compactum eſt ſquamis ſcilicet defenſionis ſeſe premẽtibus. Vna vni coniungitur: & ne ſpiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit: & tenentes ſe nequaquam ſeparabuntur, & in bono, & in malo ſibi conſentiunt: quod non eſt ſecundum legem amicitiæ veræ. Lex veræ amicitiæ ſecũdum Sapientẽ, eſt, vt nũquam turpe quid rogemus: nec rogati faciamus. De augmẽto perſecutionis bonorum dicit Gregorius ſuper Iob. Reproborũ vnitas, bonorum vitã tantò durius premit, quãtò *Libr. 34. mor. cap. 3.*

ſe ei

ſe ei per collectionem durior oppo-
nit. Ioſue 9. Congregati ſunt vt pu-
gnarent contra Ioſue animo vno,ea-
démque ſententia. Tertium eſt,timor
Domini:qui offenſas & ſcandala ꝓ-
Pro. 15. ximi cauet. Prouerbio,decimo quin
to. Per timorē Domini declinat om-
nis à malo. Temeritas verò, nec Deū
timet, nec ſcandala proximi cauet:
ſed congregationem turbat,& Spiri-
tum ſanctum inhabitantem contri-
ſtat:quod non eſt modicum malum.
Epheſiorum quarto. Nolite contri-
ſtare Spiritum ſanctum,in quo ſigna
ti eſtis. Matthæi 18. Quicumque ſcā
dalizauerit vnum è puſillis iſtis mini
Ephe. 4. Mat. 18. mis,qui in me credunt:expedit ei vt
ſuſpēdatur mola aſinaria in collo e-
ius,& demergatur in profundo ma-
ris. Quartū eſt humilitas,qua homo
minus ſentit de ſe quam de aliis. Vn-
de ſenſum aliorum meliorē quā ſuū
reputans,facilè ſenſum ſuum pro ſen
ſu alio

ſu aliorũ dimittit: quod multũ valet ad vnitatẽ. Abũdantia ſenſus interdũ cauſa eſt diſcordiæ. Grego. Sæpè dũ quoſdam maior ſcientia erigit, à cæterorum ſocietate diſiungit: & quo plus ſapiunt, à virtute concordiæ deſipiunt. Humilitas pacatiſsima eſt. Pacem autem videtur habere cũ ſuo oppoſito, ſcilicet cũ ſuperbia. Vnde ſuperbus alium ſuperbum non patitur: nec cum eo pacem habet. Tumor enim vnius tumorem alterius pungit. Apud philoſophos demonſtratũ eſt, quòd ſpherica corpora quę quaſi tumida ſunt non poſſunt ſe contingere niſi in ſolo puncto: pungere ſe inuicem poſſunt, ſed non rectè aut plane ſibi inuicem applicari. Sic eſt de cordibus ſuperborum tumentibus. Corpus concauum ſphericum infra concauitatem ſuam poteſt recipere: ſic & humilis cum ſuperbo pacem poteſt habere. Superbus dum ſe

dilatat

dilatat, alios comprimit & cõturbat:
Pro. 21. & ſciſſuræ occaſio exiſtit. Qui ſe iactat & dilatat, iurgia cócitat. Bernar. Dilatatio ſolet habere ſciſſurã. Quintum eſt obediẽtia, quæ affectat alienam facere voluntatem: exemplo illius qui ait Deſcendi de cœlo, non vt
Ioan. 6. faciam voluntatem meam: ſed voluntatem eius qui miſit me. Vnde agnita Dei voluntate quæ vna eſt, vel eius qui Dei locum tenet, eam eligit facere: quod multũ valet ad vnitatem: cui obſtinatio propriæ voluntatis multum contraria eſt. Ber. loquens de il
In ſerm. de merſione Naamam in Iordane et c. Tempore reſurrectionis à medio. lo verbo Lucæ. 2. Deſcẽdit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis, ait. Quis nõ erubeſcat obſtinatus eſſe in conſilio ſuo: quando ſapientia ipſa ſuum deſeruit? Sapientia quæ deſurſum eſt, pacifica eſt: modeſta, ſua-
Prou. 16. ſibilis, bonis cõſentiens. Sextum eſt patientia. Homo iracundus & impatiens occaſio eſt diſcordiarũ. Vir iracun

cundus ſuſcitat rixas: qui autē patiēs eſt, mitigat ſuſcitatas. Ad perfectam bonitatem pertinet malorū toleran-tia. Gre. Quiſquis malos nō tolerat, ipſe ſibi per intollerantiam teſtis eſt, quia bonus non eſt. Abel enim eſſe renuit: quem Cayn malitia non exercet. Septimū eſt amor pacis. Pax eſt quaſi quoddam vinculū, quo mēbra in corpore myſtico coniunguntur. Solliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Ad hanc pacem ſecundum glo. pertinet, vt bona noſtra inuicem diligamus, & peccata quæ ſine damno tritici, aut cum ſpe ſalutis corrigendorum eradicari non poſſunt vſque ad meſſem vltimam toleremus, & perfectionis opera quæ fieri & non fieri licet, ne infirmi ſcandalizentur, non facere diſpenſemus. Magnum bonum eſt pax, nec dat eam Deus non amanti eam, ſed quęrenti ipſam cū magno deſiderio

Lib. 10. mor. cap. 19. in prin.

Eph. 4.

Gloſ. ordi. ad illud in vinculo pacis.

tio

rio ipſius. Inquire pacē & perſequere eam. Quidam pacem oblatam reciperent: ſed eam primo non quęrūt. Hi non videntur intelligere pacem hæreditatem eſſe chriſtianorum. Si enim ſcirent ſe exhæreditatos ab eo quod Chriſtus eis legauit: non expectarent quòd alius eos incitaret ad hæreditatem ſuam recuperandam.
Heb. 12. Pacem ſequimini cū omnibus. Pax eſt vbi repugnantia nō eſt. Vnde glo.
Gloſa ordinaria ibid. ſuper illud. Beati pacifici. Vera pax
Mat. 5. eſt, vbi nihil repugnat. Octauum eſt linguæ cuſtodia. Sicut vbi domus ſunt de lignis palea tectæ, ignis cautè ſeruatur, ne domus ſuccendantur: ſic lingua caute cuſtodiēda eſt in cōgregatione. Lingua enim ignis eſt vniuerſitas iniquitatis. Aliquando per eam flamma iræ in cōgregatione accenditur. In eodem. Ecce quantus ig
Iac. 3. nis quàm magnam ſyluam incendit Niſi lingua cuſtodiatur, multæ turba
tiones

tiones in congregatione oriuntur. Suſurro & bilinguis maledictus erit. Multos enim turbauit pacem habentes. Lingua tetra multos commouit. Eccle. 28.

Quod innocentia cuſtodienda ſit ab omnibus.

CAPVT VII.

SEquitur de innocentia. Circa quã primo oſtendetur, quòd cuſtodiẽda ſit ab omnibus. Secũdo quod maxime ab his, qui ſunt in cõgregatione religioſa. Tertio tãgetur de partibus innocentiæ. Quarto de nocumentis quæ in religione mali inferunt bonis. Ad primum monet ſpiritus ſanctus in Pſa. Cuſtodi, inquit, innocentiam. Gloſa. Ne extorqueatur à te. Seneca. Ridiculum eſt odio nocentis innocentiam perdere. Iſido. Duo ſunt erga dilectionẽ proximi ſeruanda: vt beneficij impẽſione foueatur, & nulla malicia ledatur. Triplici ratione

conari debemus ad cuſtodiam innocentiæ. Primo quia facile amittitur, Secundo quia ea amiſſa omnia amittuntur. Tertio quia ea ſeruata omnia ſeruantur. Facile amittitur quia facto & verbo & voluntate & omiſſione. Facto dupliciter, & cum bona aliena auferuntur: & cum mala alij inferuntur. Auguſt. Omnis homo qui alium in corpore ſequitur: prius ipſe in corde perſecutionem ſuſtinere cognoſcitur. Idem. Nemo habet iniuſtum lucrum, ſine iuſto damno. Vbi damnum ibi lucrum. Lucrum in arca: damnum in cõſcientia. Tulit veſtẽ & perdidit fidẽ. Acquirit pecuniã & perdidit iuſtitiam, ſcilicet quantum ad illã partem iuſtitiæ quę eſt innocentia. Item Aug. Malitia tua vt alteri non noceat, fieri poteſt: quod autem tibi non noceat, fieri non poteſt. Verbo amittitur innocentia: vt cùm aliquis in malũ proximi mentitur. Aug. Frau

dator

dator prius &' peius læditur damno innocentiæ, quàm proximus damno pecuniæ. In Pſal. Lacũ aperuit & effodit eum: & incidit in foueam quã fecit. Voluntate etiam innocentia amittitur: vt cùm aliquis odit proximum ſuum. Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Qui verò homicida eſt innocens nõ eſt. Omiſſione, innocentia amittitur: vt cùm aliquis non ſubuenit fame pereunti, ſecundum illud Ambroſij. Paſce fame morientem: ſi nõ pauiſti occidiſti. Si innocentia amittitur: omnia bona amittuntur. Amittitur iuſtitia funditus cùm innocentia amittitur: qui eſt iuſtitiæ fundamentũ. Tullius. Fundamentum iuſtitiæ eſt ne cui noceas: deinde vt cõmuni vtilitati deſeruias. Amittitur etiã ipſe Deus iuſtitiæ dator. Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrũ. Si innocentia ſeruetur, cuncta bona ſeruantur. Dũ Adam in- 1. Ioan. 3. Pſal. 59.

nocentiam ſeruaret, nihil ei nocuit. Nihil etiam nocet hodie illis, qui innocentiam ſeruāt. Qui cuſtodit pręceptum, non experietur quicquā mali. Auguſt. Quid times hominem ô homo, in ſinu Dei poſitus? Tu de ſinu illius noli cadere: quicquid patieris, ad ſalutem valebit, nō ad perniciem.

Matt. 10. Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt. Quæ videntur noxia, innocenti ſunt vtilia.

Rom. 8. Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Innocentia armatura Dei eſt, quam ſi habueris, tu cum tuis in ſaluo eris.

Iob. 22. Saluabitur innocens. Eiuſdem 4. Quis vnquā innocens periit. Item innocentia veſtis eſt, ſine qua nullus intrat in cœlum. Pſal. Quis aſcendet in montē Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus &c. Hanc veſtem neceſſe habemus ferre ante iudicem, ideo latro infernalis conatur nos ea ſpoliare. Hac

re. Hac veſte ſpoliatus eſt deſcendens ab Hieruſalem in Hierico, qui incidit in latrones. Luc. 10.

Quòd maximè cuſtodienda eſt innocentia ab his qui ſunt in religione.

CAPVT VIII.

MVltiplici ratione cuſtodienda eſt innocentia à fratribus, qui ſunt in religione, vt ſcilicet vnus alteri non noceat. Et poſſumus ad hoc decem rationes ponere. Primo requirit hoc Dei familiaritas. Eorum eſt enim Deo maximè adhęrere, pro quo omnia reliquerunt. Si enim Deũ amittant: omnia amiſerũt. Ad hoc verò vt perfectè Deo adhæreant, multum valet innocentia. Pſal. Innocẽtes & recti adhæſerunt mihi. Vnitate voluntatis maximè adhæret quis Deo. Voluntatem verò vnã cùm Deo habemus: ſi iraſcibilis ſit ſine peruerſitate: & concupiſcibilis ſine curuitate:

reſtauranda non amittenda. In pſal Lauabo inter innocētes manus meas. Quarto requirit hoc fraternitas. Triplex fraternitas eſt inter eos qui ſunt in congregatione religioſa. Prima eſt naturalis : quæ communis eſt omnibus hominibus : ſecunda communis eſt omnibus fidelibus, tertia ſpecialis eſt religioſorum.

De prima dicit Auguſtinus, in libro de diſciplina Chriſtiana. Si putamus non eſſe proximos, niſi qui de eiſdem parentibus naſcuntur : attendamus Adam & Euam, & omnes fratres ſumus. Idem in lib. de Ciuitate Dei. Nihil tam diſcordioſum vicio, tam ſociabile natura, quàm genus humanum. Propterea Deus voluit creare parentem vnum, de quo multitudo propagaretur : vt hac admonitione etiam in multis concors vnitas ſeruaretur. De ſecūda dicit idem de doctrina chriſtia. Omnes qui dē fratres,

Paulo poſt principiū lib. Tom 9.

Eod. loco nūc antea citato.

ſecundũ quod homines ſumus: quantò magis ſecundum quod chriſtiani ſumus? Ad id quod homo es, vnus pater fuit Adam, vna mater fuit Eua: Ad id quod chriſtianus es, vnus pater eſt Deus, vna mater eſt Eccleſia. Tertia perfectiſſima eſt, quæ omnia bona facit communia, & temporalia & ſpiritualia. Quinto requirit hoc ſocietas maxima, quæ eſt inter eos qui ſunt vnius religionis, qui ſimul iacent, comedunt & bibunt: qui nõ ſolum accedunt ad eandẽ menſam corporis, ſed etiam ad menſam doctrinæ cœleſtis, & ad menſam ſacri altaris. Vnde prodigioſè agit frater, ſi fratri eiuſdẽ cõgregationis nocet. Qui in religiõe à fratre ſuo perſecutionẽ patitur, dicere poteſt: Manus proditoris mecũ eſt in mẽſa. Sexto requirit hoc, quòd qui in religione ſunt, mundo mortui ſunt. Magna impietas eſt in mortuũ deſeuire, cùm claui qui corpus dominicum

nicum læſerunt, dulces dicantur: lancea quæ corpus eius mortuum perforauit, dira dicitur: Septimo requirit hoc quòd ipſi ſunt de patria vna in terra aliena. incolis illius terræ exoſi, quæ multum ſolent facere ad amorem. Viri religioſi non ſunt de mundo iſto. Cœlum eorum patria eſt, & à mundo odiũtur & perſecutionem patiuntur. Si de mũdo eſſetis, mũdus quod ſuũ erat diligeret, quia verò de mundo non eſtis, propterea odit vos mũdus: ſi religioſi non amãt ſe inuicẽ quaſi ſine amicis erunt in mũdo iſto. Octauo requirit hoc quod ipſi patrẽ & matrẽ, & omnes alios ſibi attinentes pro ſocietate religionis reliquerunt. Vnde magna peruerſitas & iniquitas eſt, ſi ſocietatem prauã faciũt ſibi inuicẽ. Nono requirit hoc ſimilitudo. Omne animal diligit ſimile ſibi. Etiam animalia irrationabilia illã ferocitatem non exercẽt in animalia *Ioan. 15.* *Eccl 13.*

ſuæ ſpeciei, quã in alia animalia exercent. quod patet in lupo & leone. Lupus enim lupum nõ lædit, & leo leoni non nocet. Ipſa aqua quæ naturaliter habet pugnam cum igne, pacem habet cum alia aqua, quę eſt eiuſdem ſpeciei cum ea. Sic vnus religioſus alij religioſo non debet nocere. Decimo requirit hoc abũdãtia bonorum ſpiritualium: quam habent viri religioſi. Quãto enim habent plura bona, tanto magis ſolliciti debent eſſe de eorum conſeruatione, & ipſorum amiſſionem timere. Auguſtinus ad religioſos. Quanto frequentiores orationes habetis, tanto ſanctiores eſſe debetis. Idem intelligendum eſt de aliis operibus eorum, ad quæ multum valet innocentia, vt prius oſtenſum eſt. Innocẽtia multum grata eſt Deo: & multum vtilis homini. Auguſtinus. Nihil Deo dignius vel charius eſſe poteſt, quàm vt innocen-

In 3. regul. Cap. 38.

tia tota obſeruatione teneatur. Licet enim quis in aliis operibus deuotus appareat, ſi illam non habuerit, ſibi fruſtra blanditur. Anſelmus. Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & neceſſario vni eorum haberem immergi, prius me in infernum mergerem, quàm peccatum in me immitterem. Mallē enim purus à peccato & innocens gehennam intrare, quàm ſorde pollutus cœlorum regna tenere: cùm conſtet ſolos malos in inferno torqueri, & ſolos bonos in cœli beatitudine foueri.

De partibus innocentiæ.

CAPVT IX.

ET notandum eſt quatuor partes innocentiæ eſſe. Prima pertinet ad id quod eſt ſupra nos, ſcilicet Deum. Secunda ad nos. Tertia ad id quod eſt iuxta nos, ſcilicet proximũ. Quarta ad id quod eſt infra nos.

ſcilicet temporalia bona. Qui primam partem innocentię habet, cauet ne Deo noceat vel Dei gloriam ſibi vſurpando, vel eam ledendo vel diminuendo. Qui ſecundam partem habet, ſeruat ſuam conſcientiam mundam. Qui tertiam partem habet, ſeruat famam bonam: ne exẽplo ſuo malo noceat proximo. Qui quartã partem habet, abuſionem bonorum temporalium cauet. Hæc quatuor partes innocentiæ ſunt quaſi quatuor latera clauſtri ſpiritualis: infra quæ ſpiritus bene ordinatus deambulat. ſecundum illud Pſal. Perambulabam in innocentia cordis mei. Pratum verò amenißimũ eſt conſcientia ſacris meditationibus intentiſſima: cœleſtibus deſideriis fragrantiſſima, vbi velut lilia candent affectiones caſtitatis: velut roſæ rubent affectiones patientiæ & pietatis : patientiæ rubore proprio : pietatis alieno : vbi velut vio

lut violæ redolent affectiones humilitatis. In medio ſpes velut laurus, perpetuū virorem præſtat & vmbraculum. Vbi non deeſt aqua cœleſtis doctrinæ, vnde eſt viriditas, ſecūdum illud. Eccl. 40. Super omnem aquam viriditas ad oram fluminis.

De nocumentis quæ mali inferunt bonis.

CAPVT X.

ITem notandum quòd in religione mali multis modis nocent bonis. Quantum ad bona temporalia, nocent eis vel ſuperfluè circa ſe ea exponendo: vel his quibus danda non erant, ea dando. Nocētes primo modo ſimiles ſunt vſurariis: qui volunt eſſe ſocij in lucro, & non in damno. Minus enim cæteris volunt laborare: plus cæteris conſolationis habere. Exemplum ſecundi nocumenti habemus in Iuda proditore, qui fur erat, & oculos habens, quæ mittebantur

Ioan.12. bantur, portabat. Quæ danda erant pauperibus: dabat vxori ſuæ & filiis. Satis deberet ſufficere ad compeſcendum ab hoc peccato, pœna infelicis mortis: cuius hoc peccatum ei occaſio fuit. Suſpenſus enim crepuit
Act.1. medius. Nocent etiam mali bonis in religione, ſubtrahendo eis debitum beneficium, & præſtando eis ſalutis impedimentum: fratrum aduerſarium iuuando, & per verba detractionis vel conuitij fratribus iniuriãdo: Subtrahunt eis beneficium concilij, exhortationis, conſolationis, exempli boni, adiutorij & correctionis: vnde innocentes non ſunt. Auguſt. Duobus modis nocet homo, ſcilicet ſi facit miſerũ, vel deſerit miſerum. Idem in regula ſua. Innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros quos iudicando corrigere poteſtis: tacen-
In tertia reg. circa med. To. 4. do perire permittitis. Salutis pręſtãt impedimentum, qui miniſtrant malum

lum exemplum: quia volentibus ire in paradyſum reſiſtunt: dum in via cum eis incedunt, & quaſi ad manum trahunt in infernum, quos trahere debuerunt in paradiſum. Aduerſarium iuuant dum peccant. Se enim ligant: & impotentes ſe reddunt ad aduerſarij impugnationem. Aduerſarium etiam iuuant, dum verbo vel facto ad malum fratres incitant: quòd non eſt parua proditio. Manifeſtè proditor iudicaretur, qui in cõflictu exiſtens, cum deberet iuuare ſuos, verteret ſe ad aduerſarios, & impugnaret ſocios ſuos.

De his quæ incitare debent, vel poſſunt virum religioſum, vt fratres ſuos amet.

CAPVT XI.

SEquitur de dilectione: & quot modis qui eſt in religione debeat operam dare, vt fratres amet, & ab eis ametur. Primo tãgetur de his quę incitare

quicquam debeatis, niſi vt inuicem *Ro. 13. gloſ. ord. ibi habet ibi.* diligatis, dicit Auguſtinus. Charitas eſt quæ etiam reddita, ſemper detinet debitorem. Seneca. Hæc ſocietas *Epiſto 48. circa medium illius* diligenter & ſanctе eſt obſeruanda, quæ nos omnes omnibus nectit, & indicat aliquod eſſe commune ius generis humani: quod plurimum ad interiorem ſocietatem amicitiæ colendam proficit. Omnia enim communia cum amico habebit: qui multa habet cum homine. Idem Sapiens homo amicus pro homine eſt, ſtultitię amicus non eſt pro homine. Scri- *Epiſto 48. circa finem illius.* ptura ad idem incitat, quæ ad amandum proximum multum hortatur. Mandatum nouum do vobis: vt dili- *1. Ioh. 4.* gatis inuicem &c. Chariſſimi diligamus nos inuicem. Ante omnia autem *1. Pet. 4.* mutuam in vobiſmet charitatem cõtinuam habentes. In hoc multum incitat ſcriptura ad dilectionem, quòd oſtẽdit eam eſſe legis plenitudinem,

& ſpeciale ſignum diſcipulorũ Chriſti: & præceptum de dilectione ſpe-
Rom. 13. ciale, eſſe præceptum ipſius. De pri-
Ioan. 13. mo habetur. Qui diligit proximum, legem impleuit. De ſecundo. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli
Ioan. 15. mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. De tertio. Hoc eſt præceptum meum: vt diligatis inuicem:

Gratia ad hoc incitat, quæ oſtendit hominem factum eſſe ad imaginẽ
Simile. Dei. Licet aliquis omnes filios amici ſui amet: tamẽ ſpecialem amorem habet ad eum, qui amico ſuo eſt ſimilior. Sic licet ad opera Dei communiter amorem habere debeamus: tamen ſpecialiter ad hominem ad eius imaginem & ſimilitudinem factum.
Gen. 1. Gratia oſtendit proximum membrũ eſſe corporis illius, cuius Chriſtus
1. Cor. 12. eſt caput. Vos eſtis corpus Chriſti. Non amat caput, qui non amat membra. Item gratia oſtendit proximum,

mum, eſſe Dei Filium, Chriſti fratrem & cohæredẽ: & æternæ gloriæ ſecum participem futurũ. Si amandi *Simile.* ſunt fratres, qui diuidendo hæreditatem, portionem vniuſcuiuſque minorem faciunt: quantũ amandi ſunt illi fratres, qui portionem vniuſcuiuſque augent? Quantò enim plures erunt electi: tantò ampliùs gaudebunt. Plus gaudebit vnus electorum de gloria animæ alterius quàm de gloria proprij corporis. Ad amãdum proximum etiam incitare poſſunt exempla, & primo exemplum Chriſti. Non eſt deſpiciendus, quem Chriſtus ita charum habuit, quòd pro eius amore mori voluit. Appendere debemus proximum hoc precio, ne nobis vileſcat. Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Qui dedit ſemet ipſum pro nobis. Secundo exemplum *Apo. 1.* Angeli, qui adeò amat hominem, *Tit. 2.*

vt cuſtodiat eum in omnib. vijs ſuis. Non eſt deſpiciendus homo ab homine: qui adeò charus eſt angelo. Videte ne contemnantis vnum ex his puſillis. Dico enim vobis quia angeli eorum ſemper vident faciē Patris mei qui in cœlis eſt. Matthei decimooctauo. Tertio exemplum ſanctorū. Legitur in vita Sancti Ioannis Euangeliſtæ: quòd cùm ipſe deueniſſet ad vltimam ſenectutē, & vix inter diſcipulorum manus ad eccleſiā deferretur, nec poſſet plura dicere verba: ad quamlibet pauſam dicebat hoc. Filioli diligite alterutrū. Tandem diſcipuli & fratres qui aderant, audientes quòd eadem verba ſemper diceret: dixerunt. Magiſter, quare ſemper loqueris. Qui reſpondit: Quia pręceptū Domini eſt, & ſi ſolū fiat, ſufficit. Quarto exemplum creaturarum irrationabilium, quæ amorē habent ad indiuidua ſuæ ſpeciei,

ciei. Eclesiaſtici decimo tertio: Omne animal diligit ſimile ſibi, & omnis caro ad ſimilem ſibi coniungetur. Incitare poteſt etiam ad idẽ magna dilectionis vtilitas. Dilectio mẽbra in illo nobiliſſimo corpore, cuius Chriſtus eſt caput, vnit: & virtute membrorum vnita aduerſario reſiſtit: & ad perfectionem perducit. De primo habetur. Colloſſen. tertio. Super omnia charitatẽ habentes, quod eſt vinculũ perfectionis: De alio dicit Tullius. Virtutum amicitia adiutrix à natura data eſt, non viciorũ comes, vt quia ſolitaria non poſſet virtus ad ea quæ ſumma ſunt peruenire, coniuncta & ſociata cum altero perueniret. Damna etiam quæ odiũ facit, ad idem incitare poſſunt. Hoc facit fraternum odium in corpore myſtico, quod facit diuiſio continuitatis in corpore humano: ex qua ſeqtur dolor magn⁹, & quãdoque mors.

De modo amandi proximum.

CAPVT XII.

CIrca modum amãdi proximum, notãdum quòd ſcriptura triplex exemplar de hoc nobis miniſtrat. Primum eſt amor, quo Chriſtus amauit nos. Ioannis. 15. Hoc eſt pręceptum meum, vt diligatis inuicem: ſicut dilexi vos. Secundum eſt amor quo amamus noſmetipſos. Matthei 22. & Lucæ decimo. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum, tertium eſt amor quem habent membra eiuſdem corporis adinuicem. Romanorum 12. Sicut in vno corpore multa membra habemus: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto. Circa primum notandum, quòd Chriſtus amauit nos amore gratuito: gratis, ſcilicet, dato: non præcedentibus meritis reddito. 1. Iohannis quarto: In hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexeri-

xerimus eum:ſed quoniã ipſe prior dilexit nos. Sic amandus eſt proximus. Amor eorum qui nolunt amare: non habet gratiam apud Deum. *Matt. 5.* Si diligitis eos qui vos diligũt: quam mercedem habebitis? Nonne publicani hoc faciunt? Item amauit nos amore recto: quia non propter vtilitatem ſuam, ſed noſtram: non vt à nobis reciperet, ſed vt nobis daret. Sic amandus eſt proximus. Sene. *Epiſt. 9. circa medium.* Ego amicum paro, vt habeam pro quo mori poſſim: vt habeam quem in exilium ſequar: cuius morti me opponam & impendam. Iſta quam tu deſcribis, negociatio eſt, non amicitia: quæ ad commodum attendit, quæ quid conſecutura ſit ſpectat. Idem: Sapiens habere amicum vult: ſed ob nihil aliud, quàm vt exerceat amicitiam, ne tam magna virtus iaceat. Aug. Vera amicitia non penſanda eſt temporalibus commodis:

ſed gratuito amore portanda. Ambr. Amicitia virtus non queſtus eſt. Tullius: Amicitiam non ſpem mercedis (quia omnis fructus in ipſo amore eſt) expectādam putamus. Si vtilitas conglutinaret amicitiam: eadem cōtinuata diſſolueret. Boetius: Quem felicitas fecit amicum: infortunium faciet inimicum: Item: amauit nos Chriſtus amore diſcreto. Amor diſcretus eſt, qui perſonas amat, & vitia perſequitur: nec ſic perſonis condeſcendit, quod vitijs implicetur. Ber. Chriſtus in carnis aſſumptione condeſcendit mihi, in culpæ vitatione conſuluit ſibi. Ro. 13. Dilectio proximi, malum non operatur. Tullius: Nulla eſt excuſatio, ſi amciitæ cauſa peccaueris. Nam cum conſiliatrix, amicitiæ, virtutis opinio fuerit, difficile eſt amicitiam manere, ſi virtute defeceris. Charitas à parte anteriori homines ligat. Facit enim homines con-

Ser. 20. ſuper Cant. ad quam- tu. uma princip.

concordes in bona. Amicitia verò
mundi à parte poſteriori homines
colligat. ſicut colligatæ fuerunt vul- *Simile.*
peculæ Sampſonis: pſa enim facit cõ
cordes in malo. Itẽ Chriſtus amauit *Iud. 15.*
nos amore magno: Maiorem hac di-
lectionem nemo habet, vt animam *Ioan. 15.*
ſuam ponat quis pro amicis ſuis: Sic
amandus eſt proximus. In hoc co- *1. Ioan. 3.*
gnoſcimus charitatem Dei: quoniã
ille animum ſuam poſuit pro nobis,
& nos debemus pro fratribus ani-
mas ponere. Amor magnus, eſt amor
magna operans: & ad inimicum ſe
extendens. Gregorius: Probatio di-
lectionis eſt exhibitio operis 1.
Ioa. 3. Filioli non diligamus ver-
bo neuue lingua: ſed opere & ve-
ritate. Item amauit nos Chriſtus a- *In hom.*
more perſeueranti. Cùm dilexiſſet *feſt. pẽtec*
ſuos, qui erant in mundo, in finem
dilexit eos. Sic amandus eſt proxi-
mus. Sed ſunt qui eum fœlicem a- *Ioan. 13.*

mant: ceſſante verò fœlicitate, ab eo recedunt, qui ſecundum veritatem nunquam eum amauerint. Gregorius: Cùm quis poſitus in proſperitate diligitur: incertum valde eſt, vtrum proſperitas, an perſona diligatur. Amiſsio fœlicitatis vim interrogat amoris. Qui ex aduerſitate Chriſtum deſpicit, apertè conuincitur quod hunc in proſperis non amauit. Sen. Multi illum comitantur: mel muſcæ ſequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ, prædam ſequitur illa turba, non hominem. Non agnoſcetur in bonis amicus. Eſt amicus ſecundum tempus ſuum: & non permanebit in tempore tribulationis. Item, Eſt amicus ſocius menſæ: & non permanebit in tempore neceſsitatis. Eſt amicus, qui conuertitur ad inimicitiam. Circa ſecundum exeplar notandum quod hoc mandatum, Diliges

Lib. 7 moral. cap. 11. in med.

Similia.

Eccl. 6.

Ibidem.

Ibidem.

ges proximum tuum ſicut teipſum, dupliciter poteſt intelligi. Vno modo, ſicut, id eſt, ad quod teipſum: ſcilicet ad gratiam in præſenti, & ad gloriam in futuro, Vel ſic vt ſit ſenſus: hoc facias proximo, quod tibi vis fieri: quod autem non vis tibi fieri: ei non facias: vt duo præcepta iuris naturalis prius poſita huius mandati ſint expoſitiua. Et notandum quod cū præceptū ſit, vt proximum ſicut nos diligamus qui ſe non diligit, proximum diligere neſcit. Aug. de verbis Domini: Vide ſi iam noſti diligere teipſum. & committo tibi proximum: quem diligas ſicut tei pſum. Si autem non noſti diligere te: timeo ne deſpicias proximum ſicut te. Idem in lib. de diſcip. Chriſt. *In lib de diſc. Chriſt. paulò à princip. tom. 9. paulò ante medi lib 10. 9.*

Si te interrogem, vtrum diligas te: reſpondebis quia diligis. Quis enim

ſe odi

ſe odit? Ergo non diligis iniquitatem. Nam ſi diligis iniqcitatem, odis te. Non ego dico, Pſalmiſtã audi: Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Idem in eodem: Qui diligis iniquitatem, quomodo volebas tibi committi proximum: vt diligeres eum tanquam te, homo qui perdis te? Si enim tuipſe ſic te diligis, vt perdas te: ſic profecto perditurus es eum quem diligis, ſicut te. Nolo ergo quenquam diligas: tu ſolus peri, aut corrige dilectionem, aut reſpue ſocietatem. Item notandum quod non dicitur, diliges proximum tuum pluſquam teipſum. Videtur pluſquã ſeipſum proximum velle diligere, qui curationi propriȩ non ſufficiens, curam proximi ſui cupit aſſumere. Ber. ſuper Cant. Tu frater cui firma ſalus propria ſalus nondum eſt, cui charitas adhuc aut nulla eſt, aut à Deo tenera atque arundine, quatenus

nus omni flatui cedat, omni credat ſpiritui, omni circumferatur vento doctrinæ, imò cui tanta eſt charitas, vt vltra mandatum quidem diligas proximum pluſquã teipſum: & rurſum tantilla, vt contra mandatum fauore liqueſcat, pauore deficiat: perturbetur triſtitia, auaritia contrahatur, ambitione moleſtetur, ſuſpitionibus inquietetur, cõuicijs exagittetur, curis euiceretur, honoribus tumeat, liuore tabeſcat, tu, inquam, ita in proprijs te ſentiens, qua nunc dementia quæſo aliena curare, aut ambis, aut acquieſcis? Audi quid conſulat cauta vigilq́ue charitas. Nõ alijs, inquit, ſit remiſſio, vobis autem tribulatio: ſed ex æqualitate. Noli nimium eſſe iuſtus, ſufficit vt diligas proximum ſicut teipſum. Item notãdũ quod qui proximum debito modo diligit, Deũ plus diligit: propter quẽ diligit proximum. Vnde patet quo

quomodo id ſit verum. Qui diligit proximum, legem impleuit. Et illud
Rom. 13. Omnis lex in vno ſermone imple-
Galat. 5. tur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Implens enim mandatum de dilectione Dei, implet mandatum de dilectione proximi. Auguſt. Inter quos amicos non eſt diuinarum rerum conſenſio: nec humanarum plena eſſe poteſt. Neceſſarium eſt, vt aliter quam oportet humana exiſtimet: qui diuina contémnit: nec hominem rectè diligere nouit, quiſquis eum non diligit, qui hominem fecit. Circa tertium exemplar: notandum quod ſeptem ſunt, in quibus amor, qui eſt reſpectu proximi, imitari debet amorem membrorum eiuſdem corporis. Primum eſt quod vnum membrum nõ inuidet alij membro: licet non habeat officium, quod illud habet. Si omnia membra vnicum haberent

berent officium, eſſent quaſi vnum membrum. Si totum corpus oculus, vbi auditus, vbi odoratus, &c. Itē: Si eſſ nt omnia membra vnum membrum: vbi corpus? Omnia autem membra non eundem actum habēt. Sic non debet aliquis inuidere proximo ſuo habenti gratiam, quam ipſe non habet. Multum timenda eſt inuidia: tanquam vitium diabolicum. Aug. in libro de virginitate: Duobus malis hoc eſt ſuperbia & inuidia diabolus eſt. Item in lib. de diſciplina Chriſtiana. Auertat Deus peſtē inuidiæ: ab animis hominum omniū. Inuidentia vitium diabolicum eſt, ſed habet matrem ſuam ſcilicet ſuperbiam: ſuffoca matrem & non erit filia. Secundum eſt quod vnum membrum officium ſuum ſibi auarè nō appropriat: imò gratis alijs cōmunicat. Oculus, eſt oculus omnib⁹ mēbris. Idem intellige de cęteris membris.

1. Co. 12. Rom. 12.

Circa medium lib. 9.

Rom. 12. bris. Sic debet eſſe inter fideles: Multi vnum corpus ſumus in Chriſto: Ibidem. ſinguli autem alterius membra. Neceſſitatibus ſanctorum communicātes. Cibum quem vnum membrum Simile. recipit, cæteris membris communicat. Si verò aliquod membrum amplius debito, ſibi retinuerit de illo: ad malum ſuum illum retinet. Eſt enim Eccl. 5. materia apoſtematis, vel alterius infirmitatis. Sic etiam inter fideles. Eſt & alia infirmitas quam vidi ſub ſole, diuitiæ conſeruatæ in malum Domini ſui. Tertium eſt, quod vnum Ro. 12. membrum ab alio ſe non vindicat: Sic debet eſſe inter membra eccleſiæ. Nulli malum pro malo reddentes. Quartum eſt, quod vnum membrum compatitur alteri & congaudet: Si patitur vnum membrũ, compatiuntur omnia membra. Si gloriatur 1. Cori. 12. vnum membrũ: congaudent cætera mēbra. Sic fideles debent gaudere

dere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Quintum eſt, quod vnum membrum reputat ſibi fieri quod fit alij, ſiue bonum ſiue malum. Si lædatur pes, os conqueritur: ſi lauentur pedes, os regratiatur. Intraui in domum tuam; aquam pedibus meis nõ dediſti. Hæc autem lachrymis rigauit pedes meos. Sic vnus fidelium reputare debet ſibi fieri, quod fit alij. Vnde caput eccleſiæ dicit. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Sextum, eſt quod vnum membrum pro alio læſioni ſe exponit: vt manus pro oculo. Sic debent facere fideles exemplo capitis, qui ſcapulis ſuis obumbrauit nobis, in cruce ictum recipiens, quem genus humanum debebat recipere. Septimum eſt, quod vnum membrum multum timet ſeparari ab aliis membris. Sic fideles timere debent ſeparari à corpore eccleſiæ. Augu. Nihil ſic debet

Luc. 7.

Mat. 25.

formidare Chriſtianus, quam ſeparari à corpore Chriſti. Quinque verò ſunt quæ ad hoc valent.

De his quæ valere poſſunt ad hoc vt frater ametur.

CAPVT XIII.

SEquitur de his quę valere poſſunt ad hoc, vt aliquis à proximo ametur. Quinque verò ſunt quæ ad hoc valent. Primum eſt diſcretio. Vnde ſapientia dicitur eſſe mater pulchræ dilectionis. Fatuitas neſcit acquirere
Eccle. 24. vel conſeruare amicitiam. Fatuo non
Ibi 20. erit amicus. Secundum eſt modeſtia in ſermone. Sapiens in verbis amica-
Eccle. 20. bilem ſe facit, gratiæ autem fatuo-
Ecclo. 27. rum effundentur. Tertium eſt ſimilitudo. Volatilia ad ſibi ſimilia conueniunt. Ambr. Eſt inſitum bonis, vt vnuſquiſque virtutes ſuas in aliis amet. Econtrario diſſimilitudo facit ad odium. Oderunt enim hilarem triſtes:

triſtes: triſtemque iocoſi. Quartum eſt virtus. Tullius. Nihil eſt virtute amabilius, vel quod magis alliciat ad amandum: quippe cum propter virtutem & probitatem etiam eos quos numquam vidimus, quodammodo diligamus. Idem: Tanta eſt virtus probitatis, vt eam vel in eis quos nunquam vidimus: vel quod maius eſt in hoſte diligamus. Specialiter valet ad hoc virtus manſuetudinis. Fili in manſuetudine opera tua perfice: & ſuper gloriam hominum diligeris. *Eccle.3.* Manſuetudo admodum adamantis, vim habet attractiuam. Vt adamantem & ſilicem dedi faciem tuam. *Ezec.3.* Item ſpecialiter valet ad hoc virtus humilitatis. Sicut odibilis eſt Deo & hominibus ſuperbia: ſic amabilis eſt Deo & hominibus humilitas. Superbia dum ſe exaltat, alios deprimit: ideò non eſt mirum ſi ab aliis odiatur.

Humilitas verò dũ ſe demittit, alios exaltat & honorat: ideo meritò ab eis amatur. Maximè inter omnia valet ad hoc quod aliquis ametur: ſi ipſe primo amauerit. Aug. Nulla eſt maior ad amorem imitatio, quàm præuenire amando. Idem: Nimis durus eſt animus, qui dilectionem ſi nolebat impendere: nolit & repẽdere. Senec. in Epiſtolis: Quæris quomodo amicum facturus eſt cito? Ego tibi monſtrabo amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine vllius veneficæ carmine. Si vis amari, ama.

Epiſt.9.

Quintum eſt obſequium vel beneficium. Sapiens: Hoc tempore obſequium amicos: veritas odium parit. Ignis amoris beneficiorum lignis nutriendus eſt: alioquin deficit. Beneficia etiam feras ad amorem incitant: & inimicos efficiunt amicos. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens

Rom.12.

ciens carbones ignis congeres ſuper caput eius, cor eius accendens ad te amandum. Et notandum quod beneficium non parit amicitiam: niſi diſcretè detur. Vnde dicitur de fatuo: quod non eſt, gratia bonis illius. Qui enim edunt panem illius falſæ linguę ſunt. Quoties & quanti irridebunt eum? Sen. Nullum habet maius malum homo occupatus, & bonis ſuis offenſus: quam quod amicos ſibi putat, quibus ipſe non eſt: quod beneficia ſua efficacia indicat, ad conſiliandum amicos: cùm quidam quo plus debent, plus odiunt. Quid ergo? Benificia non parant amicitias? Parant, ſi accepturos licuit eligere: ſi collata ſparſa non ſunt. Idem: Hoc conſilio ſapientum vtere, vt magis exiſtimes pertinere ad rem, quiſquis quid acceperit. Tullius: Melius apud bonos, quam apud fortunatos beneficium collatum eſt. Et notandum,

Eccle. 20.

Epiſto. 19. circa finem illius.

Eadē epiſt. 19. in fine.

quod beneficia vel obſequia à fratribus ſibi inuicem humiliter exhibita, ad dilectionem prouocandam & conſeruandam multum ſunt efficacia: ideo ſancti multum voluerunt à ſe, & etiam ab aliis fidelibus obſequia cum diligentia exhiberi. De hac diligentia habemus exemplum in Abraham: Qui tres viros hoſpitio ſuſceperat, de quo ait Hieron.
Gen.18. Non ſeruis præcepit, vt hominibus miniſtrarent: nec bonum quod exercebat per alium, miniſtrauit: ſed quaſi preda reperta cum Sara, humanitati ſolus incubuit. Ipſe pedes lauit, ipſe humeris ſuis vitulum de armento portabat, ipſe vt ſeruus ſtetit, peregrinis prandentibus & manibus propriis coctos cibos ieiunaturus appoſuit. Aliud exemplum
Rom.15. habemus in Paulo: Obſecro, inquit, vos fratres per Dominum noſtrum

ſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem Spiritus ſancti, vt adiuuetis in orationibus veſtris pro me ad Dominum, &c. vt & obſequij mei oblatio accepta fiat in Hieroſolyma. Sancti ſuper omnia exempla exemplum Chriſti, qui pedes diſcipulorum ſuorum lauare voluit, imitati ſunt. Circa quod exemplum ſex nobis attendenda ſunt ad ædificationem noſtram: ſcilicet ſtatus eius qui pedes lauit, tempus quo obſequium exhibuit, locus vnde ad illud exhibendum ſurrexit, miniſtrantis ſublimitas, miniſtri humilitas, diligentia quam circa illud miniſterium exhibuit. De primo dicit Aug. Hoc ad maximum culmen humilitatis acceſſit: quod etiam illi pedes non dedignatus eſt lauare, cuius manus præuidebat in ſcelere. *Ioan. 13.* *Tract. 55. in Ioanne in fine.*

Circa ſecundum notandum, quod Dominus diſtulit dare hoc

documẽtum vſque in finem vitæ ſuę: vt meliusmemorię infigeretur. Chryſoſt. quærit propter quid antea non fecit, & reſpondet. Quæ maiora ſunt vltimò adiicit. Circa tertium notandum, quòd Dominus ſurrexit à cæna iam inchoata, nondum conſumata. Auguſt. Non ita debemus intelligere cœnam factam: velut eam conſummatam atque trãſactam. Adhuc enim cænabatur, cum Dominus ſurrexit, & lauit pedes diſcipulis ſuis. Nam poſtea recubuit: & bucellam ſuo traditori poſtea dedit. Cæna ergo facta, hoc eſt, iam parata: & ad conuiuantium menſam vſque perducta. Mira dignatio quod tantus à tali ſtatu ad tale opus ſurrexit. Circa quartum notandum, quòd Euangeliſta ſublimitatem miniſtrantis curauit nobis oſtendere: vt eius humilitas nobis gratior eſſet. Vnde ait: Sciens quia pater omnia dedit ei in manus

Tract. 55. in Ioãnem circa med.

manus. Auguſt. Ergo & ipſum traditorem. *Idem*: Iam traditor traditus erat ei, quem tradere cupiebat. Sequitur: Et quia à Deo exiuit generatione æterna, in qua filius Dei oſtenditur. Auguſt. Tanta eſt humanæ humilitatis vtilitas: vt eam ſuo commēdaret exemplo, etiam diuina ſublimitas. Bern. Vis humilitatis neſcio quo pacto maior in maioribus: & clarior in clarioribus comprobatur. Circa quintum attende, quod membra infima in corpore humano ſunt pedes: & viles ſordes eis adhærēt. In hoc ergo quod caput eccleſiæ Chriſtus pedes lauit, oſtenſum eſt, quod maximus in eccleſia Dei, in neceſſitate debeat etiam obſequia humilia in minimis præſtare. Circa ſextū attende, quod ad miniſterium peragendum diligenter ſeparauit: veſtimenta, vt eſſet expeditior, depoſuit, linteū accepit, & ſe precinxit. Omnia

Tract. 55. in Ioannē, poſt med.

Eodē tract. 55. in fine.

Libr. 2. de conſi. parū à med.

facere voluit, aquam enim in peluim miſit, pedes lauit & exterſit. Chryſ. Ipſe Impleuit peluim, & non alium implere iuſſit: ſed omnia ipſe operabatur: per hoc monſtrans, quoniam cum omni humilitate oportet implere talia. Item Petro reſiſtenti non ceſſit, imò comminatione eum ad conſentiendum induxit, dicens: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Certamen habuerunt humilitas Christi, & humilitas Petri: ſed humilitas Petri ceſſit tãquam minor. Et quia obedientia humilitatẽ Chriſti iuuit, ait Petrus: Domine tu mihi lauas pedes? Chryſ. Manibus quibus oculos cæcos aperuiſti, leproſos mundaſti, mortuos ſuſcitaſti. Aug. Quis non expaueſcat ſibi lauari pedes a filio Dei, quamuis magnæ audaciæ eſſet contradicere ſeruũ Domino, hominem Deo, tamẽ Petrus hoc facere maluit: quàm pati vt Chriſtus

Tract. 56. in Ioan. in prin.

eos

eos lauaret. Item Aug. loquens de hoc exemplo: Didicimus fratres humilitatem ab excelſo: faciamus inuicem humiles, quod humiliter fecit excelſus. Faciunt hoc ſibi inuicē fratres, etiam hoc ipſo opere viſibili, cùm ſe hoſpitio recipiūt: & apud ſanctos vbi hæc conſuetudo non eſt, hoc quod manu non faciunt, corde faciunt. Multo autem eſt melius, & ſine controuerſia verius, vt etiam manibus fiat, nec dedignetur, quod fecit Chriſtus, facere Chriſtianus. Cū enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipſo vel excitatur, vel ſi iam erat, confirmatur ipſius humilitatis affectus. *Tract. 58. à medio.*

De amore inimicorum.

CAPVT XIIII.

SEquitur de dilectione inimicorū. Et notandnm quod qui eſt in congregatione, ſpecialiter debet conari, vt inimicos amet: & ad amandū

ſe pro

ſe prouocet. Præceptũ enim eſt Sal-
Mat. 5. uatoris, vt inimici diligantur. Dili-
gite inimicos veſtros, benefacite his
qui oderunt vos. Aug. In mandatis
Dei nihil eſt mirabilius: quàm quòd
pręcipimur diligere inimicos. Et qui
buſdam videtur impoſſibile, quòd
eos diligant, quod ex defectu ſapien-
tiæ accidit. Ad lumen enim ſapientię
ſatis apparere poteſt inimicos eſſe
diligendos, non odiendos. Octo
verò ſunt, quæ ſi diligenter attendan
tur, non tanta difficultas in dilectio-
ne inimicorum eſſe credetur. Pri-
mum eſt ſtatus ipſius inimici, qui ti-
bi iniuriatus eſt: & non vult ſatisfa-
cere. Eſt enim ſpiritualiter mortuus.
Ipſe enim quaſi inſanus manus in ſe
iecit: quando tibi iniuriam intulit.
Sap. 16. Homo per malitiã occidit animam
ſuam. Magna crudelitas eſt inſanire
in fratrem mortuum: cui compaſſio
debetur. Crudeliores fuerunt qui
Chriſto

Chriſto mortuo non pepercerunt: quàm qui viuentem læſerunt. Dedecus eſt velle ſe vindicare de mortuo. Secundum eſt vtilitas iniuriæ illatæ. Perſecutores noſtri iuxta verbū Pſalmiſtæ, circundāt nos ſicut apes: quia admodum apum moleſtant nos tribulationibus: ſed in futuro fauum æternæ beatitudinis nobis præparāt. Vſque in tempus ſuſtinebit patiens; *Eccle. 1.* & poſtea erit redditio iocunditatis. Tertium eſt, quòd dilectio inimicorum nobis eſt vtilior quàm amicorum. Ipſa multum valet ad ſpiritualium vulnerum ſanationem. Auguſt. Ego ad dilectionem inimicorū vos *In trac. de rectitud. cathol. conuerſ. paulò ante med. tom. 9.* moneo, quia ad ſananda peccatorum vulnera, nullum medicamentum vtilius eſſe cognoſco. Ipſa etiam facit multum ad perfectionem, & culmen bonitatis. Poſt illud: Diligite inimicos veſtros, ſubditur: Eſtote perfecti, &c. Aug. Manifeſtiſſimæ

boni

bonitatis eſt, vt tuum quoque inimicum diligas: & ei qui tibi malũ vult, & ſi poteſt, facit: tu ſemper bonũ velis, atque facias cum poſſis. Item magnam mercedem meretur. Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis

Luc. 6. gratia. Diligite inimicos veſtros, &c. & erit merces veſtra magna. Quartum eſt, quòd Deo gratior eſt. Aug. Qui dilexerit inimicos, hic erit Dei

In lib. de rectitudi. cathol. conuerſat. ante medium tom. 9. amicus. Nec ſolum amicus: ſed etiam filius. Vnde poſt illud, Matt. 5. & Lucæ 6. Diligite inimicos veſtros, ſubditur: Et eritis filij altiſſimi. Au-

Eodẽ trac. aliquantulum à princip. tom. 9. guſt. Quanta gratia: per nos ſerui digni non ſumus, & inimicorum dilectione filij Dei efficimur. Chryſoſt. ſuper Matth. Nihil eſt quòd ſic Deo ſimilem efficiat, vt malignis atque lędentibus eſſe placabilem. Quintum eſt, quòd hæc dilectio, diabolo eſt moleſtior. Magis enim elongat ab eius ſimilitudine: qui odio obſtinato homi

to hominem perſequitur. Gregorius: Stultum eſt ſeruire diabolo offenſo: qui nullo placatur obſequio. Sextum eſt, quòd dilectio id quod odiendum eſt magis inimico deſtruit, quàm aliud. Ipſa eſt inimico ignis, inimicitias annihilans. Si eſurierit inimicus: ciba illum, &c. Hoc enim faciens, carbones congeres ſuper caput eius. Ipſa eſt gladius interficiens inimicum, inquantum inimicus eſt. Chryſoſtomus: Suſtine ad tempus inimicum tuum, & benefac ei: poſtmodum autem victum beneuolentia tua, amabis eum quaſi amicum tuum. Idem: Omnis inimicitia beneficiorum aſſiduitate compeſcitur. Gregorius. Miles Dei aduerſitatis bello depreſſus, & patientiæ ſcutum debet ante ferre, ne pereat: & ad præliandum promptus amoris inferre iacula, vt vincat. Cuius

Rom. 13.

Lib. 3. moral. cap. 16. circa prin.

arma

armaturæ ſummam Paulus breuiter inſinuat, dicens: Charitas patiens eſt, benigna eſt. Cum verò ex vtroque vnum defuerit: charitas non eſt. Si videlicet malos abſque benignitate tollerans, non amat. Et rurſus ſi ſe ſine patientia exhibens, negligit tollerare quos amat. Septimũ eſt, quod non potes nocere ex propoſito proximo tuo: quin tibi noceas. Auguſt. Malitia procedit ex te: & quid vaſtat antequam te? Ergo quo profundit ramum, lędit: vbi radicem habet, non lędit? Non eſt dedecus alicui ſi non vult inquinare manus ſuas ſe vindicando, vel ſi non vult inquinare os ſuum conuitium pro conuitio reddendo: imò honor eſt & ſignum nobilitatis animi, Honor eſt homini qui ſe ſeparat à contẽtionibus. Octauum eſt, quòd ille qui tibi iniuriatur, magis Deo iniuriatur quam tibi: qui hoc ei prohibuit, qui maius ius habet

Pro. 20

in te,

in te, quam tuipſe. Si ergo Deus differt vindicare iniuriam ſuam, & non eſt ei dedecus: non erit tibi dedecus, imò honor, ſi exemplo Domini non vis vindicare teipſum. Gloria magna ſequi Dominum. *Eccl. 23.*

Quarta pars. De honore quem fratres ſibi inuicem debent exhibere.

CAPVT XV.

SEquitur de honore quem debent ſibi fratres exhibere. Et primò quis honor iſte ſit, oſtenditur: ſecũdò exhibitio mutui honoris commendabitur: tertiò oſtendetur quod in exhibitione diſcretio ſit habenda. quartò, quod fratris inhonoratio multum ſit cauenda. Circa primum notandum quod nomen honoris quandoque ſumitur pro dignitate, vt ad Heb. 5. Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Aliquando ſumitur pro timore

reuerentiæ quæ eſt affectio animæ qua aliquis altitudinem alterius reueretur, & dicitur eſſe fuga vel reſilitio ab altitudine alicuius rei in propriam paruitatem, & huic motui interiori reſpondet exterius, elongatio vel fuga qua humiles perfectè elongant ſe ab his qui ſunt in dignitate poſiti, non audentes ſe appropinquare. Aliquando verò honor dicitur illud quod alicui perſonæ propter aliquam prælationem exterius exhibetur: quod aliquando fit gratia ſuperioritatis ad oſtenſionem ſubiectionis, & ad oſtendendum voluntatem paratam eſſe ad obediendum, vt cum aliquis aſſurgit veniēti, vel aſſiſtit ſedēti, vel inclinat tranſeunti, vel cum incedentē ſequitur, vel coram eo genua flectit. Ad exhibēdū hunc honorem monemur. Cui honorē, honorē. Et: Regē honorificate. Aliquādo exhibetur honor alicui propter prioritatem

Ro 13.
1. Te. 2.

tatum temporis, vt ſenibus, ſecũdum illud: Coram cano capite conſurge & honora perſonam ſenis. Aliquando verò aliquis honorem exhibet alicui, quia ab eo ſumpſit originem, ſecundum illud: Honora patrem tuum & matrem tuam. Aliquãdo verò propter excellentiam in aliqua gratia: & ſic exhibendus eſt omnibus: Debemus enim credere, quod omnes nos excedunt in aliqua gratia. Omnes honorate. Et ſuper illud ad Ph. 2. In humilitate ſuperiores inuicem ſibi arbitrantes, dicit gloſſ. Auguſt. Non hoc ita debemns arbitrari vt nos exiſtimare fingamus: ſed verè exiſtimemus poſſe eſſe aliquid occultum in alio, quo nobis ſuperior ſit: etiam ſi bonum noſtrum quo illo videmus ſuperiores eſſe, non ſit occultum.

Leu. 19.

Exo. 20.

1. Pet. 2.

Gloſſa ordin. ibi ex Auguſt.

Commendatio mutui honoris.

CAPVT XVI.

EXhibitionem honoris mutui inter fratres commendabilem reddit. Primò ſcriptura ſacra, quæ multum ad hoc hortatur. Honore inuicem prȩuenientes. Gloſ. Aliter non eſt fraternus amor niſi, mutuis ſe preueniat honoribus & obſequiis. Subiecti inuicem in timore Chriſti. Reddunt etiam commendabilem exempla quæ inter prȩcipuum eſt exemplum Domini: qui hominem voluit honorare. Honorauit eũ creãdo, quia ad imaginem & ſimilitudinẽ ſuam eũ fecit. Honorauit eum ei prouidendo: quia viſibilia mũdi propter eũ fecit. In Pſal. Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. Itẽ honorauit eum in cõſeruatione, angelorum cuſtodiã ei deputando: ſecundum illud Pſal. Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſto diant te in omnibus viis tuis. Honorauit

Gloſſa inter linearis ibi.

Gen. 1.

rauit etiam eum in carnatione naturam humanam cum diuina in perſona vna ſociando. Honorauit etiam eũ in paſſione, homines gloriam crucis ignominia acquirẽdo. Vnde dicit Auguſt. de Chriſto, quod redemit venditus, viuificauit occiſus, honorauit iniuriatus. Honoraturus eſt etiam eum in retributione quando regnum cœlorum eſt ei daturus, ſecundum illud: Venite benedicti patris mei poſſidete paratum vobis regnum, &c. Non eſt deſpiciendus ab homine, qui tantum honoratur à creatore.

Quòd in exhibitione honoris diſcretio ſit habenda.

CAPVT XVII.

HAbenda eſt autem diſcretio in honoris exhibitione, vt non habeatur reſpectus ad bona contemptibilia, ſcilicet bona fortunæ: ſed ad bona nobiliora, ſcilicet naturæ vel gra-

Ep. ſt. 47. de. l. nando ad finem. & 41.

tiæ. Honorare aliquem propter bona fortunæ, & bona honorabiliora, ſcilicet bona naturæ & gratiæ deſpicere: magnæ ſtultitiæ eſt. Senec. Quemadmodum ſtultus eſt, qui equum empturus non equum, ſed ſtratum & frena conſpicit: ſic ſtultiſſimus eſt qui ex veſte aut ex conditione quæ modo veſtis nobis circundata eſt, hominem exiſtimat. Secundũ Greg. in mora. Perſonam hominis accipere, eſt hominem nõ quia homo: ſed propter aliquidquod circa ipſum eſt honorare. Diſcretionem quæ in exhibitione honoris habenda eſt in parte, oſtendit Hugo de S. Victore his verbis: Diſcretio perſonarũ quantum quidẽ pertinet ad dilectionem, ſecundum meritum: quãtum verò ad venerationem, ſecundum ætatem vel officium habenda eſt. Meliores diligere, ſuperiores honorare debemus: quia per contumacia eſt ſiue in eo

25. mor. in prin.

In trac. de inſtitut. no uitiorum, capit. 5. in princip. tom. 2.

qui

qui propter inferiorem gradum in homine virtutem deſpicit: ſiue in eo qui propter vitam inferiorem gradũ ſuperiorem contemnit. Iſtis ergo honor: Illis amor impẽdatur: ſic tamen vt honor iſtorum ſit voluntarius, & illorum amor venerandus. Reuerentia enim ſine amore magis ſeruilis eſt & amor ſine reuerentia puerilis iudicari debet. Cum tanta igitur humilitate & reuerentia melioribus exhibendum eſt beneficiũ dilectionis: vt illis quaſi ex neceſſitate videamur eſſe ſubiecti, & cum tãto affectu atque hilaritate ſuperioribus ſoluẽdum obſequium ſubiectionis: vt ſolo potius dilectionis debito illis credamur aſtricti. Iſtis ſic reddamus ſua, quaſi noſtrũ impẽderimus: illis ſic exhibeamus noſtra quaſi ſuum redderemus. Licet omnes homines ſint honorandi tanquam ad Dei imaginem facti: amplius tamen honorandi ſunt boni

tanquam Dei filij, & tanquam qui à
In 3 regula aliquantulum à princ. Spiritu ſancto inhabitantur. Augu-
ſtinus: Honorate in vobis Deum in-
uicem: cuius templa facti eſtis. Ho-
norandi etiam ſunt præ cæteris præ-
lati qui loco Dei ſunt: & patres ſunt
ſpirituales. Dedecus filij, pater ſine
Eccle. 3. honore. Qui timet Dominum, hono
Ibid. rat parentes. Exhibitio huius hono-
rìs valet ad prolongationem vitæ, &
corporalis & ſpiritualis. Corporalis,
quantum ad parentes carnales: ſpiri-
Exo. 20. tualis quantum ad ſpirituales. Hono-
ra patrem tuũ & matrem tuam: vt ſis
Eccle. 3. longæuus ſuper terram. Qui hono-
rat patrem ſuum vita viuet longiore.
Pater cœleſtis vitam eorum conſer-
uat: qui patri à quo vitæ principium
habuerunt non ſunt ingrati. Valet e-
tiam exhibitio huius honoris ad hoc
vt exhibentes hũc honorem à ſuis fi-
Eccle. 4. liis honorentur. Qui honorat patrem
ſuum iocundabitur in filiis. Hono-
randi

randi ſunt præ cæteris ſacerdotes:maxime pabulum cæleſte miniſtrantes. Honorifica ſacerdotes. Qui bene Eccle.7. pręſunt presbyteri duplici honore di 1.Ti.5. gni habeantur:maxime qui laborant in ſcientia & doctrina.

Quod fratris inhonoratio multum ſit cauenda.

CAPVT XVIII.

MVltum cauenda eſt inhonoratio fratris.Primò,quia multum offenditur cum inhonoratur. Vnde Saluator qui patientiſſimus erat de hoc videtur conqueri, dicens:Et vos Ioan.8. inhonoraſtis me.Secundò,quia in fratre inhonoratur Deus,ad cuius imaginem factus eſt:& cuius inhabitator eſt.Inhonoratur etiam angelus : qui ad eius cuſtodiã deputatus eſt. Matt. 18. Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis.Angeli enim eorum ſemper vident faciem Patris mei qui in cœlis eſt.

Secunda pars principalis.

OStenſum eſt generaliter quomodo fratres qui ſũt in religione debeant ſe habere: nunc ſpecialiter oſtendẽdum eſt quomodo ſe debeat habere qui cæteris pręeſt. Et tangentur duodecim quæ ad eum pertinent. Primum eſt vt habeat diſcretionẽ in fratrum receptione. II. eſt, vt habeat diligẽtiam in nouitiorum inſtructione. III. vt ad profeſſionem leuiter non recipiat. IIII. vt omnibus bonum exemplum prębeat. V. vt in malorum correctione negligens non exiſtat. VI. vt præponẽdo vnum alij, bonitatem non carnis nobilitatem attendat. VII. vt de conuentu magnam curam habeat. VIII. vt infirmis exhiberi neceſſaria faciat. IX. vt præponat ſpiritualia temporalibus. X. vt maiora bona minoribus præponat. XI. vt diſpenſationes leuiter non

non faciat. XII. vt temperet vniuerſa.

Quod prælatus debet habere diſcretionem in fratrum receptione.

CAPVT I.

Circa primum notandum, quòd qui vult vineam bonam habere: palmites ex quibus plantanda eſt, cum diſcretione debet eligere. Sic cum diſcretione fratres recipiendi ſunt in religione exemplo Domini: Ego plantaui te vineam electam, omne ſemen verum. Circa illum qui recipi vult primo, attendendum eſt, ſi magnam voluntatem ad religionem habeat. Illum enim qui magnum onus vult ſibi aſſumere, portandum toto tempore vitæ ſuæ, oportet magnam voluntatem ad illud portandum habere. vnde dicitur in regula beati Benedicti: de nouiuiter veniente ad conuerſionem, vt non facilis ei ingreſſus tribuatur: & vt dura & aſpera ei prædicentur.

Simile.

Hier. 2.

Cap. 58. in prin.

dicentur. Sic apparet, an vehemens deſiderium ad id quod requirit, habeat: & dilatio deſiderium eius augmentat, quia deſideria dilatione creſcunt: iuxta verbum beati Gregorij: Magnitudo bonæ voluntatis in eo qui vult recipi: ſignum eſt Spiritus ſancti inhabitantis & in eo operantis. In libro de vita ſolitaria: Non ſine grandi ſcrupulo mentis à quacunque profeſſione arcendus eſt: cui teſtis inhabitantis & trahentis Spiritus ſancti bona voluntas eſt. Secundò, attendendum eſt, circa illum qui vult recipi quid ipſe principaliter intẽdat, vtrum Chriſtum, an aliud prę ter Chriſtum. Si aliud præter ipſum: timendum eſt de ipſo. ait vnus ſcriba Chriſto: Magiſter ſequar te quocunque ieris? Qui cognito quod propter lucrum ſæculi eum ſequi vellet. dixit ei: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet,

Paulò ante med. libri & habetur in Ber.

Mat. 8.

habet,vbi caput ſuum reclinet. Non vult Chriſtus vt propter bona temporalia eum homines ſequantur:ſed illi in futuro æternas diuitias dabit: qui in præſenti paupertatis eius ſocius fuerit: Fidem poſſide cum amico tuo in paupertate illius: vt in bonis illius læteris. Multum cauere debet qui tenet locum Dei:ne introducat in domum ipſius inimicum eius. Inimicus enim Dei eſt, qui eſt amicus mundi. Specialiter cauere debet ne homines ſuperbos recipiat, qui neſciunt illi qui locum Dei tenet ſub eſſe:nec fratrum volunt ſocij eſſe. Ex duobus generibus hominum domus religionis replenda eſt. Vel de ſimplicibus,qui ſenſu,& voluntate ad aſſequendam religioſam prudẽtiam feruentes apparuerint & habiles, vel de prudentibus: quos religioſæ & ſanctæ ſimplicitatis, conſtiterit eſſe æmulatores. In libro de vita ſolitudi. *Paulo an*

Eccle. 22.

Stulta

ſe med. lib. & habetur in Bernar. circa med. libri.

Stulta ſuperbia, vel ſuperba ſtultitia à tabernaculis iuſtorum ſemper procul ſit. In eodem: Omnis ſuperbia ſtulta, quamuis non omnis ſtultitia ſuperba. Stultitia enim ſine ſuperbia nonnunquam ſimplicitas inuenitur, quæ ſi ignorat, forſan eſt docibilis: ſi nequit doceri forſitan eſt tractabilis: & propria eſt ciuitas refugij ſimplicitati cohabitatio religionis, niſi ſit talis quæ nolit humiliari: vel tam bruta, vt non poſſit regi vel tractari. Bona tamen voluntas, etſi multum ſit bruta non eſt deſerenda: ſed ſalubri conſilio ad laborioſam & actuoſam vitam tranſmittenda. Superba autem quamuis prudens ſibi videatur: dimittenda eſt & abigenda. Diſcretionem debet habere qui præeſt, non qua ſimplices decipiat, ſuauia religionis eis oſtendendo, & aſpera occultando: ſed qua recipiendis & recipientibus caueat. Crudelitas magna eſſe

eſſe videtur: cum paruuli innocentes, aſperitatem religionis non intelligentes, cruci religionis affliguntur. Hi ingreſſu nihil ſpirituale intendentes, nec intelligentes: ea quæ in regula continentur poſt ingreſſum inimici crucis Chriſti inueniuntur: vētri ſuo, non Domino Ieſu Chriſto in monaſterio ſeruientes. Et notandum quod multis de cauſis accidit quod in religione recipiuntur, qui ad religionem non ſunt idonei. Aliquando accidit hoc ex cupiditate recipiētium. Sicut enim nautæ aliquando ægrotantes, non ex toto mortuos in mari on timent proijcere, vt bona eorum oſſint habere: ſic aliqui non timent omines adhuc in mundo viuentes dario inuoluere, & in ſepulchro auſtri ſepelire: vt aliquod tempole commodum poſſint acquire- Simile. Sudarium eſt habitus religioſo- n: cum in eo ipſi conſueuerint ſepeliri.

peliri. Mortui debent eſſe mũdo, qui in hoc ſudario inuoluuntur. Non debent iam deſiderio attrahere bona huius mundi: vel diuitias, delitias, & honores. Mortui etiam debent eſſe ſibiipſis. Nemo noſtrum ſibi viuit.
Ro 14. Hanc mortem ſequitur beata vita: Si
Rom. 6. mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul etiam viuemus cum illo. Aliquando accidit hoc ex carnalitate recipientium: qui cum Dei ordinatione filios non habeant, diaboli procuratione nepotulos ſibi aggregant: quos in religione recipi faciũt, non vt ſaluentur, ſed vt ditentur, & per eos fortiores efficiantur, qui ſicut carnaliter ingrediuntur: ſic poſt ingreſſum carnaliter conuerſantur.
Ioan 3. Quod natum eſt ex carne caro eſt, & quod natũ eſt ex ſpiritu ſpiritus eſt. Aliquando hoc accidit ex parentum carnalium improbitate: qui filios ſuos in religione ponunt, vt ab eis ſe

expediant:

expediant: potius intendentes eorum corporalem prouiſionem, quam eorum ſalutem.

De diligentia in nouitiorum inſtructione.

CAPVT II.

Circa nouitios debet qui congregationi præeſt diligentiam magnam habere. Matrem ſe debet eis exhibere, benignitatem oſtendendo, vt eum non refugiant: ſed ad eum tanquam ad ſinum matris recurrant. Si verò in negotiis occupatus non poteſt intendere eis, mittem debet eis aſſignare fratrem, ſ. aliquem diſcretũ, maturũ, benignũ: qui eos cuſtodiat, munditię eorum intendat, cibo ſpirituali eos frequenter paſcat, imbecillitatem eorum ſuſtentet, neceſſaria miniſtret. Habenda eſt diligentia circa nouitios: tanquam circa paruulos. Cuſtodiẽdi ſunt à periculis, igne,

aqua,fouea. Monendi ſunt ad patientiam contra mala pœnæ, ne igne iræ, bona ſpiritualia amittant. Qui impa-
Pro.19. tiens eſt ſuſtinebit damnum: Monendi ſunt ad temperãtiam: ne in aquam voluptatis ſe immergant. Vult Pha-
Exod.1. rao paruulos in flumine proijci. Item
Eccle.14. monendi ſunt vt à fouea illa caueant: qua ſæpe tiens lapſi ſunt. Beatus vir qui non eſt lapſus verbo ex ore ſuo. Munditiæ eorum debet intendere. De modo confeſſionis diligenter ſunt inſtruendi. Ante profeſſionem confeſſiones eorum debent recipi. Ad frequenter cõfitendum ſunt monendi: vt omni tempore ſint candida eorum ſpiritualia veſtimenta. Circa nouitios primo nitendum eſt peccatis amouendis: ne ſeratur ſuper ſpinas.
Hier.4. Nolite ſerere ſuper ſpinas. Spinæ ſunt peccata quę pungendo mentem cruciant: creſcendo cum ſegete bonorum operum eam ſuffocant: & incen

incendio infernali, materiam miniſtrant. Primo facienda eſt amotio ſpinarum iſtarum: & ſi poſtea iterum creſcant: non eſt negligenda illarum extirpatio. Vnica enim ſpina mortalis peccati, ſegetem bonorum operum per vineam, viri ſtulti deſtruit. Per agrum hominis pigri tranſiui, & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerãt ſuperficiem eius ſpinę. Pro. 24. Nouitiis ſpiritualis cibus frequenter eſt miniſtrandus, quo & nutriantur & augeantur. Quod inſinuatur Ioan. vl. Vbi Saluator bis dixit Petro: Paſce agnos meos. Tria genera hominum non poſſunt eſſe diu ſine cibi ſumptione, quin grauentur ſcilicet paruuli pueri, conualeſcentes à graui infirmitate, & itinerãtes. Quaſi paruuli pueri ſunt nouitij, qui nondum per annum vitam religioſam duxerunt: quibus multum cauendum eſt, ne cibi ſpiritualis defectum patiantur.

De quo defectu multum dolendum eſſet & plangendum. iuxta illud: Paruuli petierunt panem, & nõ erat qui frangeret eis. Ipſi laborauerunt non vna graui infirmitate ſolum, ſed mul-
Act. 9. tis. Ideo neceſſe eſt frequenter refici: vt vires reſumant. Cum accepiſſet cibum, confortatus eſt. Ipſi longam viam & grauem ſcilicet, in cœlum, quę valde ardua eſt aggreſſi ſunt: ideo reficiendi ſunt frequenter ne in ea
Mat. 16. deficiant. Si dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in via. Nouitiorum tanquam paruulorum imbecillitatem debet qui eos regit ſupportare, defectus eorum patienter ſuſtinendo: in tentationibus eorum eos conſolando: adiutorium diuinæ gratiæ, orationibus ſuis eis impetrando.
Rom. 15. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. Congregabit agnos: &
Iſa 40. in ſinu ſuo leuabit. Status nouitio-

rum

rum eſt tractabilior, ſicut virga trabe eſt flexibilior: ideo directioni eorum cura multa eſt adhibenda. Tempore nouiciatus in pſalmodia & officio diuino diligenter debent ſtudere: & in regula, & in ſtatutis ordinis ſecundum quæ neceſſe habent viuere.

Quod nouitÿ non ſunt leuiter ad profeſſionem recipiendi.

CAPVT III.

NOuitij nō ſunt leuiter ad profeſſionem recipiendi, leuiter recipiuntur cum de moribus eorum ante profeſſionem experientia non habetur. Vel cum ea ad quæ in profeſſione ſe obligant, eis ante profeſſionem non exponuntur. B. Benedictus in regula ſua dicit, vt nouicio poſt duorum menſium circulum legatur regula per ordinem: & dicatur ei. Ecce lex ſub qua militare vis: ſi potes ſeruare, ingredere. Et ſi adhuc ſteterit poſt ſex menſium circulum relegenda eſt Cap. 58.

ei regula: vt ſciat ad quod ingreditur. Et ſi adhuc ſtat, iterum poſt quatuor menſes legenda eſt ei. Prohibuit Do-
Leu 22. minus. Ne animal cæcum offerretur
Figura. ei. Cæcũ animal Deo offertur, quando aliquid Deo promittitur: & quid Deo promittitur, & quid illud ſit neſcitur. Quòd aliquis leuiter ad profeſſionem recipitur quandoque accidit ex ſuperbia recipientium, qui verecundantur quod aliquis qui ad eos ingreditur ad ſeculũ reuertatur. Qui tali fatuitate laborare videntur qua laboraret qui verecundaretur de hoc quod in meſſe ſua palea inueniretur. In his qui in religione ad probationem recipiuntur: ventus tentationis indicat quis palea, quis granum
Simile. exiſtat. Ad impetum enim huius venti palea diſcedit: granum verò locum ſuum non dimittit. Superuacuum eſſet tempus probationis: ſi omnes qui probantur, neceſſario approba

probarentur. Cum de multis à Deo vocatis, pauci ſint electi: non eſt mirum ſi non omnes qui probantur, ad profeſſionem admittantur. Aliquando accidit quod aliquis ad profeſſionem leuiter recipitur, ex indiſcreta pietate recipientium, qui carnalibus hominibus adeò cõpatiuntur: vt cum eis carnales efficiantur. Ipſi ſunt infirmis adeò miſericordes, quod ſanis ſunt crudeles & infideles: inter quos ponunt homines peſtilentes qui eos corrumpunt. Multi homines miſericordes vocantur: vnum autem fidelem quis inueniet? Oportet vt religio deſpumetur: ad hoc vt in ſua puritate ſeruetur. Vbi nulla eſt deſpumatio: eſt impuritas multa. Gloriantur aliqui de hoc quod de ordine eorũ nullus apoſtatat: quibus dici poteſt quod non eſt mirum ſi nullus apoſtatando egreditur, in quo apoſtaſia toleratur. *Pro.20.*

Quòd prælatus omnibus exemplum bonum debet præbere.

CAPVT IIII.

MVltum decet eum qui congregationi præeſt vt exẽplũ bonũ ei miniſtret:& cõgregationi hoc valde vtile eſt. Contrarium verò ei qui præeſt, multum eſt verecundum & congregationi valde noxium. Dicit B. Benedictus in regula ſua de abbate:Vt bona & ſancta factis amplius, quam verbis oſtẽdat. Gregorius: Sit rector actione præcipuus:vitæ viam ſubditis viuendo denunciet. Idẽ: Prępoſitorum bonitas ſubditorum ſalubris eſt regula. Ad Tit. 2. In omnibus exemplum teipſum præbe bonorum operum. Prælati eſt dicere ſubditis quod dicit Gedeon, Iud. 7. Quod me facere videritis, hoc facite. Matt. 3. dicit caput eccleſiæ pręcurſori: Sic decet nos implere omnem iuſtitiam. Superiores omnem iuſtitiam debent implere:

Cap. 2. ante medium. Li. 1. regiſ. cap. 24.

Lib. 5. regiſt. capit. 156.

implere:quia neceſſe habẽt, omnem iuſtitiam docere. Quaſi contra naturam eſt, quod lingua ſit maior manu. Ber. in lib. de conſiderat. Monſtruoſa res eſt gradus ſummus, & animus infimus: ſedes prima & vita ima: lingua magniloqua, & manus ocioſa: ſermo multus & fructus nullus. Qui alios ſuperat ſublimitate: excedere debet eos honeſtate. Greg. Non debet hominum ducatũ ſuſcipere: qui neſcit homines bene viuendo prẹire. Bern. loquens de Saluatore inſtigante præcurſorem, vt eum baptizaret, ſic plane inquit: Sic decet, vt vincat humilitate: qui ſublimitate vincebat. Eccl. 3. Quanto maior es humiliate in omnibus, vtile valde eſt congregationi vt prælatus potius quæ agenda ſunt, factis, quàm verbis oſtendat. Efficacior enim eſt vox operis, quam vox ſermonis. Et ſecundum verbum ſapientis: Longum iter per prẹcepta:

Lib. 2. de confid. parũ à med.

Lib. 25. moral. cap. 30. ante med.

Seneca Epiſto. 6. à med. Tale quid habet li. 1. reg. a. 24. & 21. mor cap 8. in prin.

breue & efficax per exempla. Opus doctrinam debet iuuare, non impedire. Greg. Loquēdi authoritas perditur: cum vox opere non iuuatur. Auguſt. Non obedienter auditur: qui ſeipſum non audit. Opus verbum debet confirmare: non confundere. Eccle. 29. Cōfirma verbum. Hier. Non confundant opera tua, ſermonem tuum. Multum confortat fratres bonum exemplum prælati. Auguſt. Magna conſolatio membris ex capite. Si viderint fratres prælatum aſperitatem ordinis cum ipſis viriliter ſuſtinentem: multum ex hoc animantur. Si verò viderint eum quæ aſpera ſunt fugientem: multum exterrentur. Strenuitas ducis milites nō modicum conſolatur: ipſo verò fugiente, ipſi in fugam vertuntur. Præterea cum prȩlatus ordinis aſperitates cum aliis ſuſtinet, ipſe intelligit quæ ſunt proximi ex ſeipſo: & dum ſentit miſeriam,

ſeriam, addiſcit miſericordiam, & temperat quæ temperanda ſunt. Vnde de capite eccleſiæ dicitur, quod debuit aſſimilari per omnia fratribus: vt miſericors fieret. Qui per experientiam non nouit: miſeris compati neſcit, ſecundum illud: Bibentes vinũ in phialis & optimo vnguento delibuti: nihil compatiebantur ſuper contritione Ioſeph. Valde verecundum eſt prælato bene docenti: ſi malè agit. Quaſi enim ante ſe lucernam defert qua immũditiã ſuã aliis oſtẽdit. Mandatũ lucerna eſt: & lex lux. Itẽ vulnus portãs in faciem: aliis mederi præſumit. Greg. Qua præſumptione aliis mederi properat: qui vuln9 in facie portat. Ipſe de bello fugiẽs: alios ad ſtrenuè pugnandũ inuitat. Ipſe literas propriȩ damnationis publicat, ſecundũ illud: In quo alium iudicas, teipſum cõdemnas. Exemplum mali prælati multum nocet congregationi. Qui

Heb. 2. *Amos 6.* *Prou. 6.* *Rom. 2.*

ni. Qui enim mali ſunt, in ea per hoc
in ſua malitia confirmantur, ſecun-
Eze. 13. dum illud: Confortaſti manus impij:
vt non reuertatur à via ſua mala, vt vi
ueret. Item: Errare facit ſimplices in
religione. Vnde eſt maledictus, ſe-
Deut. 27. cundum illud: Maledictus qui errare
facit cæcum in itinere ſuo. Ipſe facit
Leu. 19. contra illud: Non pones coram cęco
offendiculum. Et poterit dicere Do-
minus non ſolum illud: Aduerſus fi-
lium matris tuę ponebas ſcandalum:
ſed etiam quod aduerſus proprium
filium ponebas ſcandalum. Prælatus
debet eſſe & lux, & ſal monaſterij. Si
verò lux iſta obtenebretur, & ſal in-
fatuetur, tenebræ ſunt in monaſte-
rio: ita vt quæ agenda ſunt non vi-
deantur: & deficit condimentum vt
Phil. 2. ea non ſapiant, quæ aguntur. Præla-
tus eſt in monaſterio ſicut ſol in mun
do, ſecundum illud: Inter quos lu-
cetis ſicut luminaria in mundo. Si
verò

verò iſte ſol conuertatur in tenebras: luna conuertetur in ſanguinem. Con- *Ioelis 2.* gregatio enim peccati ſanguine maculatur. Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem: antequam veniat dies Domini. Sol factus eſt niger ſicut ſaccus cilicinus: & luna tota *Apoc. 6.* facta eſt ſicut ſanguis: & ſtellæ ceciderunt de cœlo. Stellæ de cœlo cadunt: quando fratres cæleſtem conuerſationem deſerunt. Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, *Matt. 24.* & ſtellæ cadent de cœlo. Prælatus eſt ſicut lucerna ſuper candelabrum. Si verò hæc lucerna fuerit extincta: fumum reddit peſtiferum. Bern. Numquid poteſt abſcondi veritas ſupra *Lib. 2. de conſid. parum à medio.* montem poſita: aut latere fumus lucernæ extinctæ ſuper candelabrum? Prælatus tanquam paſtor debet gregem ſuum præcedere & dirigere: ſicut dicit Saluator de bono paſtore. Cum emiſerit oues ſuas ante eas vadit: & *Ioan. 10.*

dit: &

dit:& oues eum ſequuntur. Cum verò per abrupta viciorũ graditur: neceſſe eſt vt in præcipitium grex ſequatur. Filij facile patrem imitantur.
Ioan. 5. Quæcunque pater fecerit, hoc & filius ſimiliter facit. Pereunte prælato, timendum eſt aliis: ne & ipſi ſimiliter
Num. 2. pereant. Factum eſt grande miraculum: vt Chore pereunte filij eius non perirent.

Quòd prælatus correctionem malorum non debet negligere.

CAPVT V.

CAuẽdum eſt multum ei qui pręeſt, ne malorum correctionem negligat. Vnde dicit beatus Benedi-
Cant. 2. à med. illius. ctus in regula ſua: Nõ diſſimulet abbas peccata delinquentium: ſed mox vt cœperint oriri, radicitus ea vt præualet amputet. Et notandum quod variis de cauſis accidit quod ille qui præeſt, mala non corrigit. Quandoque hoc

que hoc accidit ex ipſius pigritia. Aliqui cum vocati ſunt à Domino vt in ipſius vinea laborent: ſic ſe habent ac ſi dixiſſet eis ſpiritus, vt quieſcerent à laboribus ſuis. Per agrum *Pro.24.* hominis pigri tranſiui, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleuerunt vrticæ: & operuerant ſuperficiem eius ſpinæ & maceria lapidum deſtructa erat. Hic eſt ordo deficiendi in monaſteriis. Primò, eſt quaſi murus cum cemento valde tenaci, cum ſcilicet, ſuperiores ex charitate vtiliter præcipiunt: & inferiores ex amore humiliter obediunt. Huic muro aliquando ſuccedit materia quæ eſt murus macilentus, ſcilicet, ſine cemento, quando ſuperiores cum auſteritate & potentia præcipiunt: & inferiores ex timore obediunt. Tandem maceria deſtruitur cum ab eo qui præeſt correctio delinquentium negligitur, ſicut legitur: In pigritiis *Eccle.10.*

humiliabitur conſignatio, id eſt, lignorum iũctura. Proprium eſt enim pigritiæ, non ſtatim ſubuenire periculo, ſed expectat donec totum ædificium corruat. Somnus pigritiæ valde reprehẽſibilis eſt in eo qui pręeſt. Ad quod oſtendendum ſpecialiter Saluator reprehendit Petrum de dor-
Matt. 14. mitione: Simon dormis? Dormitio iſta ſibi & aliis eſt periculoſa. Eſt enim pręlatus ſicut vigil in vrbe obſeſ-
Can. 13. ſa. Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem. Cum dormientibus his qui habent vigilare, intrant hoſtes: primò deſæuiunt in eos, deinde in alios. Ideò bene dicitur Timotheo qui prælatus erat. Tu vero vigila. In
1. Timo. 4. Pſal. Non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſrael. Pigritia prælatorum multũ nocuit monaſteriis. Matt. 13. Cum dormirent homines inimicus ſuperſeminauit zizania in medio tritici. Aliquando qui præeſt non cor-
rigit,

rigit, quia ipſe reprehenſibiliter vi-
uit. Bernardus: Nemo fideliter repre- *In apolog. ad Guilielmum, abbatem ca. penultimo à medio.*
hendit: in quo ſe eſſe irreprehenſibi-
lem non confidit. Siquidem humani-
tatis eſt omnium, in quo ſibi quiſque
indulget: aliis non vehementer iraſci.
Aliquando verò non corrigit, quia
per indiſcretam humilitatem corri-
gendi: auctoritatem amiſit. Contra
quod dicit Auguſt. in regula ſua lo- *In 3. Regula, non remotè à fine illius.*
quens de prælatis: Quando neceſſi-
tas diſciplinæ in moribus coercendis
dicere vos dura verba compellit, ſi
etiam ipſi vos modum exceſſiſſe ſen-
titis: non à vobis exigitur vt à vobis
ſubditis veniam poſtuletis, ne apud
eos quos oportet eſſe ſubiectos, dum
nimium ſeruatur humilitas, regendi
frangatur authoritas. Argue cum om- *Tit. 2.*
ni imperio. Aliquando etiam non
corrigit, quia in rebus temporalibus
ſollicitudinem ſuam & amorem po-
ſuit: & de ſpiritualibus non curans,

M.

ſratrum culpas,nec agnoſcit nec punit. Et quia mala non puniuntur, ſine timore perpetrantur. Bernardus: Impunitas eſt incuriæ ſoboles, inſolentiæ mater: radix imprudentiæ, tranſgreſſionum nutrix. Item aliquando non corrigit timore ſcandali vel alicuius temporalis incommodi non attendens quod veritas non ſit dimittenda propter ſcãdalum: & quod plus debeat timere Deũ quam proximum: cum dicerent Chriſto diſcipuli eius: Scis quia Phariſæi audito hoc verbo, ſcãdalizati ſũt, ait: Omnis plantatio quã non plantauit pater meus cæleſtis, eradicabitur. Sinite eos: cæci ſunt & duces cæcorum. Et de Helia dicitur: quod non pertimuit principem, nec ſuperauit eum verbum aliquod. Item aliquando non corrigit, quia remiſſio quæ falſo benignitas creditur, hoc impedit quæ videtur fuiſſe in Hely, qui remiſſe argue

Lib. 3. de conſid. circa finem.

Matt. 15.

Eccl. 48.

arguebat filios ſuos, dicẽs: Quare facitis res huiuſcemodi quas ego audio? Qui de Sella cecidit retrorſum & fractis ceruicibus mortuus eſt. Itẽ aliquando non corrigit, quia malitiam tantum creſcere permiſit, quòd iam ei non ſufficit prævalere. Ideo benedicitur in regula beati Benedicti, vt peccata mox vt oriri cœperint: radicitus amputentur. Verſus: Principiis obſta, ſero medicina paratur, Cum mala perlongas conualere moras. Eccleſ. 11. A ſcintilla vna augetur ignis. Paruuli infernales ſuffocandi ſunt antequam creuerint. In Pſal. Beatus qui tenebit & allidet paruulos ſuos ad petram. Pharao præcepit paruulos Iudæorum ſubmergi. Edocti ergo ab ipſo & nos paruulos Pharaonis infernalis occidamus: quia fas eſt & ab hoſte doceri. Caput ſerpentis infernalis conterendum eſt, iuxta illud: Ipſa conteret

1. Re. 2.

1. Re 4.

Cap 2. à med illius.

Ouid. lib. 1. de remed. amor. ſ.

Exod. 1.

Gen. 3.

caput tuum. Hiero. Lubricus eſt antiquus ſerpens: & niſi capite teneatur, totus ſtatim illabitur. In morte primogenitorum filij Iſrael de poteſtate Pharaonis liberati ſunt. Si igitur vis eſſe immunis à ſeruitute Pharaonis infernalis, primos conatus ejus deſtrue.

Figura. Exo. 11.

Quòd prælatus præponendo vnum alteri non carnis nobilitatem debet attendere, ſed bonitatem.

CAPVT VI.

Cap. 2. parũ ante med.

QVi congregationi præeſt, nobilitatem animi nobilitati carnis præponere debet. Vnde B. Benedictus in regula ſua: Non præponatur ingenuus ei qui conuertitur ex ſeruitio: niſi alia rationabilis cauſa exiſtat. Cuius cõtrarium multum nocuit aliquibus monaſteriis. Pręlati enim qui fratres illos præponere debebant, qui ſapientia & vitæ merito præcellebat,

lebat,illos præpoſuerunt,qui generis nobilitatem habuerunt,corpore quidem nobiles, meliori verò parte ſui ignobiles:illos verò contempſerunt, qui ex humili ad nobilitatem ſurrexerunt. Illis honorem dederunt, qui de nobilitate in ignobilitatem ceciderunt. Ipſi propter genus honorauerunt degenerantes:& deſpexerunt, genus proprium nobilitantes. Ipſi prætulerunt ignauiam deficientium probitati proficiētium. Ipſi propter nobilitatem illos extulerunt,qui ipſi nobilitati dedecus fecerunt: illos verò depreſſerunt, qui generis ſui gloria fuerunt. Ipſi nobilitatem illā contempſerunt,quæ filios Dei & Chriſti cohæredes facit: illi verò nobilitati detulerunt, quæ eſt etiam in his qui turpitudini vitiorum ſeruiunt.Malus enim tot dominorū ſeruus eſt, quot vitiorum:vt dicit Aug. Sapiens:Is liber exiſtimandus eſt, qui nulli turpi-

Lib. 4 de ciui. Dei, cap. 3. circa finem. Epiſtol. 93. parum à fine id innuit.

tudini ſeruit Prælati illos honorauerunt, qui de aliena probitate tumebant: illos verò deſpexerunt, qui propria virtute pollebant. Sapiens: Nemo in gloriam noſtram vixit: nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Animus nobilem facit. Ipſi ſeruos diaboli reputauerunt nobiles: filios verò Dei ignobiles, cùm contrarium iudicet Deus: Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. De ſeruis diaboli dicitur: Vidi ſeruos in equis, & principes ambulantes quaſi ſeruos ſuper terram. Ber. An non ſeruus, cui dominatur iniquitas? Et niſi tu fortè indignius iudices hominem tibi quàm viciũ dominari. Ipſi illud quod Deus abominatur, id eſt, altitudinem terrenam dilexerunt: & eam ſanctitati prætulerunt. Quod altũ eſt apud homines, abominatio eſt apud Deũ. Cum terrena

Seneca epi. 44. poſt medium.

1. Re. 2.

Eccl. 10.

Luc. 16.

rena altitudo Deo ſit abominabilis, qui monaſteria terrena altitudine Deo credũt placere: abominationes Ægyptiorũ Deo ſuo volũt immolare. Ruinã etiã monaſteriorũ ſuorum videtur quærere, cùm ſcriptũ ſit: Qui altã facit domũ ſuã, quærit ruinã. Cũ *Prou. 17.* miniſter Dei Deũ debeat imitari, ſecundum illud: Qui mihi miniſtrat, *Ioan. 12.* me ſequatur. Deus verò ignobilia & contemptibilia mundi elegit, vt non glorietur omnis caro. Nõ debet prȩlatus nobiles cæteris præferre, ſi ſint ſine ſapientia & ſanctitate. Si enim qui dicit ſe in Chriſto manere, debet *1. Cor. 1.* ſicut ipſe ambulauit, & ipſe ambulare: quãto magis neceſſe eſt, vt prælatus ſicut Chriſtus ambulet, qui in monaſterio locũ Chriſti tenet? Nobili- *1. Ioan. 2.* tas generis & potẽtia ſecularis inſtrumẽta poſſunt eſſe boni & mali. Si autẽ ſapientia & bonitas aſſint, vtentur illis in bonum: ſi verò ſtultitia aſſit &

malitia, vtentur illis in malum. Non ſunt ergo nobilitas generis & potentia ſecularis ſufficiens ratio, quare vnus alteri pręponatur in monaſterio. Diabolus eſt magnæ poteſtatis, ſecundum illud: Non eſt poteſtas ſuper terram quæ comparetur ei. *Iob 4.* Creatione etiam eſt valde nobilis, & etiã valde magnæ ſcientiæ: tamen hęc noxia ſunt, cum deficiat bonitas qua eis bene vtatur. Et notandum quod bonorum temporaliũ defenſio videtur fuiſſe occaſio, quod in monaſterio nobiles aliis pręferuntur. Decepti tamen in hoc fuerũt prælati. Plus enim nocent nobiles mali & fatui, monaſteriorum bona fatuè expendendo: quàm proſint ea defendendo. Plus etiam grauãt monaſteria carnales eorum amici, quàm facerent inimici. Amici eorum ſunt vt murilegi qui caſeos à muribus defendũt: tamen ſi facultatẽ habeant, eos plus quàm mu

res

res conſumunt. Nobilitas generis eſt poſſeſſio parui valoris onerata magnis expenſis: ita vt ad eius expenſas non ſufficiant magni comitatus vel epiſcopatus: imò magnis debitis comites & epiſcopi obligātur, vt quod nobilitas requirit impleatur. Dominus ex humili ſtatu aſſumere voluit primos reges populi ſui: vt ipſi humiles eſſent. Saulem aſſumpſit poſt aſinas, Dauid poſt oues. Non ſunt nobiles propter ſuam nobilitatem in monaſteriis cæteris prẹferēdi & prẹponendi. Nobilitas generis ſi honorata fuerit, & diſcretio, & bonitas defuerint: humilitatem & obediētiam à monaſterio expellit, & correctioni malorū ſe opponit, ſicut hodie multos prælatos facere experientia docuit. Vnde & ſi nobiles aliquādo ſint vtiles, bona temporalia defendendo: tamen ſi fatui ſunt & mali, magis ſunt noxij, bona ſpiritualia diſſipando.

Quòd prælatus magnam curam debet habere de conuentu.

CAPVT VII.

QVi congrègationi præeſt, multam curam de conuentu debet habere. Valde reprehenſibilis eſt ſi conuẽtui iuxta facultatem monaſterij neceſſaria non miniſtrentur, cum conuẽtus pondus diei & æſtus ſuſtineat: Qui aufert in ſudore panẽ, quaſi qui occidit proximũ ſuũ. Cõuẽtus eſt vt iumentũ, cui dominus inſidet. Saluator enim manet in communitate. Ber. Amator cõmunitatis & cõmendator: quomodo cõmunitatem deſereret? Idem. Nõ amat veritas angulos: nec ei diuerſoria placẽt: in medio ſtat. Communi vita, communibus ſtudiis delectatur. Inhumanum eſt vt iumento neceſſarium pabulum ſubtrahatur, cui onus imponitur: & flagellum virgæ adhibetur. Valde reprehenſibile eſt, quòd filiis Belial, qui

Eccl 34

Serm. 4. in Epiph. Domini, parum ante medium.

Serm. 6 in aſcenſ. Domini à medio.

qui iugum fregerunt, vincula rumperunt, & dominum proiecerũt, ſuperflua miniſtrentur: ſuſtinentibus verò dominum, & ei obſequentibus neceſſaria ſubtrahantur. Non decet hoc regem gloriæ: nec fidelem ſeruum reputat, qui familiæ eius cibum, & alia neceſſaria non miniſtrat in tempore. Non eſt ſecundum legem Dei, quòd os boui trituranti infrenetur: quod præcipuè cauendum eſt, vbi vituli laſciuientes delicatè nutriuntur. Non eſt ęqua partitio inter eos qui in vnum monaſterium cõueniũt: quãdo vnus eſurit, & alter ebrius eſt. De communitate illa cuius rectores fuerunt Apoſt. legitur: Quòd nullus egens erat inter illos, diuidebantque ſingulis prout cuique opus erat. Per hoc quòd neceſſaria conuentui non prouidentur, multa mala proueniunt. Prouenit inde murmur. Nec mirum cum aſina Balaã, propheta eã iniuſtè *Act. 4.*

ceden

Nu. 22. cedente, conqueſta ſit: Sequitur etiã euagatio conuentus. Aliquãdo enim pro defectu qui pro modico poſſet ſuppleri, refectorium euacuatur: & cum magnis expenſis, & cum magno detrimento religionis, fratres per cameras diſpergũtur: & etiam datur eis occaſio vt proprietarij eſſe velint.

Quòd prælatus debet infirmis neceſſaria prouidere.

CAPVT VIII.

Cap. 36. in prin. Circa infirmos maximam curam debet habere qui præeſt. Vnde B. Benedictus in regula ſua: Infirmorum cura ante omnia & ſuper omnia adhibenda eſt, cum inter miſerias præſentis exilij, quę ſunt fames, ſitis, frigus, labor, infirmitas excedat: magnitudo verò miſerię debeat ad miſericordiã prouocarę, miſericordia circa infirmos debet eſſe. Item cum religio mũda & immaculata apud Deũ

&

& patrem ſit viſitare pupillos, & viduas in tribulationibus eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo: & plus quam pupillus ſit, qui nō ſolum patrē & matrem, ſed etiam omnes amicos deſeruit: primò ad religionem pertinet, vt de infirmis cura magna habeatur. Item cum frater omnem mundi ſocietatem propter monaſterij fraternitatem reliquerit: magna inhumanitas eſt, ſi monaſterium in tanta neceſſitate ei deſit. Frater enim in angúſtiis comprobatur. *Pro.17.*
Item cùm Chriſto derelictus ſit pauper, quomodo ille qui in monaſterio vices Chriſti gerit, illi qui pro Chriſto ſe depauperauit, in tanta neceſſitate viſcera ſua claudere poterit? Item cum homines ſęculares qui ſunt extra patriam in hoc fidem ſibi cuſtodiant, vt in infirmitate ſibi ſubueniant: quomodo qui de hoc mundo exierunt, in hoc ſibi fidem non

ſeruabunt. Item quomodo ſe eſſe Chriſti diſcipulum cõfidit, qui mandatum de fraterna dilectione auribus diſcipulorum à Chriſto maximè inculcatum non cuſtodit: cum non diligat fratrem in neceſſitate, opere & veritate? Prælatus patrem fratribus ſe debet exhibere compatiendo infirmis. Quis infirmatur, & ego non infirmor? De bono patre legitur: Pro animabus filiorum ſuorum colligabit vulnera ſua. Vulnera enim pro ipſis excipiet: & ſuper omnem vocẽ turbabũtur viſcera eius. Prælatus non ſolum patrem, ſed etiam matrem ſe debet exhibere fratribus: qui patrem & matrem reliquerunt, & ei adhæſerunt. E conuerſo verò multi pręlati ſe habent ad fratres ſuos, ſicut ſtruthio ad filios ſuos Durabitur ad filios quaſi nõ ſint ſui. Hoc dicitur de ſtructione. Ad habendum curam de infirmis inuitamur exemplo filij Dei, qui

2.Cor.11.
Eccl.30.

qui humanum genus in infirmitate poſitum perſonaliter viſitare voluit & curare:& hoc cum magnis expenſis. Infirmis etiã corporaliter magnã humanitatem exhibuit.Eos enim virtute ſua curauit.Leproſum etiã,cuius infirmitas contagioſa eſt, non abhorruit:imò voluit eum tangere & curare.Inter opera miſericordiæ videtur excellere illud quod circa infirmos exercetur.In vitis patrũ legitur,quòd quidã frater interrogauit quẽdã ſenẽ dicens:Duo fratres ſunt, quorũ vnus ieiunat ſex diebus multum laborans: alius verò ſeruit ægrotantibus:cuius opus magis eſt gratũ Deo?Reſpõdit ſenex: Si frater qui ſex diebus ieiunat laborans, appendat ſe per nares, non poteſt eſſe æqualis illi,qui infirmantibus ſeruit. Negligentia circa infirmos in multis monaſteriis vicium proprietatis introducit,vicium nequiſſimum ſecundum iudicium B.

Matt.8.

In ſe. parte in lib de charit. circa mediũ.

Bene

Cap. 33. in prin.

Benedicti:& pręcipuè à monaſterio radicitus amputandum. Multi enim videntes quod fratribus in ſuis infirmitatibus de communi non prouidetur,non intelligentes quod maius eſſet periculum malè viuendi quàm cito moriendi,proprium voluerunt habere: vt de proprio poſſent ſibi in ſuis infirmitatibus prouidere. Multis vero in infirmitate proprium non fuit:imo econtrario infirmitati occaſionem dedit,vt cito incurreretur,vel difficile ſanaretur: ſicut accidit cuidam hortulano, de quo habetur in vitis patrum: qui omnia dabat in eleemoſynas, quæ de labore ſuo acquirebat pręter tenuem victum. Tandem ſuggeſtũ eſt ei ſuggeſtione maligni ſpiritus, vt colligeret aliquam pecuniam:quam cum ſeneſceret, vel ægrotaret,poſſet expendere. Et fecit ſic,Contigit autem eum infirmari in pede: & pependit quicquid habebat

In 2. parte in li. quòd monachus nihil debet pſſidere, paulo à fine.

in medi

in medicos,& curari non potuit. Et tandem vnus expertus medicus dixit eum non poſſe ſanari & curari, niſi per pedis abſciſſionem. Et cum quadam die medicus eſſet allaturus inſtrumenta ſua ad pedem abſcindendum, nocte præcedenti hortulanus ille pœnituit de nummis collectis:& quod nõ dederat eos pauperibus. Et ſtatim angelus Domini aſtitit ei dicens: Vbi ſunt nummi quos collegiſti:& vbi eſt pes quem tractaſti? Qui cum pœniteret, & miſericordiam pe teret, angelus Domini tetigit pedem eius,& ſanatus eſt. Mane verò medicus veniens inuenit hortulanum in agro ſanatum atque operantem: & laudauit Deum.

Quòd prælatus debet ſpiritualia temporalibus præponere.

CAPVT IX.

QVi præeſt in congregatione, ſpiritualia tẽporalibus debet præ-

Cap. 2. de eligendo ad finem. ponere. Beatus Benedictus in regula ſua: Non plus gerat abbas ſollicitudinem de rebus tranſitoriis & terrenis, quam de ſalute animarum. Valde reprehenſibile eſt, quod prælatus animas vilipendat: qui eius vices gerit, qui animas ſpecialiter amat. *Sap. 11.* Parcis omnibus quia tua ſunt Domine qui amas animas. Freq̃ueter eſſent ei appendẽdæ animæ, ex pretio quod Saluator pro eis dedit ne ſibi vileſcerẽt. Frequenter cogitãdum eſſet ei quod Saluator animam ſuam poſuit pro eis: & ſanguine ſuo eas acquiſiuit. Negligẽtia prælati circa ſpiritualia cum diligentia circa temporalia in aliquibus monaſteriis, in quibus omnia honeſtè ſecundum ordinem fieri deberent, tantã inordinationẽ induxit, vt in eis terra ſit ſurſum, & cœlum deorſum. Terrena ibi cœleſtibus præponuntur. Pedes ſunt ibi ſupra caput. Viri enim ſpirituales ibi deſpiciũtur homi

homines verò terrena ſapiẽtes, ad regimẽ tẽporale vtiles in honore habẽtur. Pes eſt ille qui ſollicitudine, & amore, & miniſterio terrã tangit: qui frequẽter lęditur & maculatur. Et licet videatur eſſe neceſſarius, quia ſuſtinet & portat corpus: tamen ſi ſcãdalizat, eſt amputandus, ſecũdum illud: Si pes tuus ſcãdalizat te, amputa illũ. Facies eſt retro: quia in operibus quæ videntur bona, potius intẽditur vtilitas terrena, quã merces æterna. Interiora effuſa ſunt extra cùm bona æterna negligantur, & exteriora diligantur. Dicitur de auaro, quod in vita ſua proiecit intima ſua. Deus ibi cõculcatur: & terra deificatur. Deficit enim ibi charitas, & regnat auaritia vel cupiditas: quæ eſt idolorũ ſeruitus diabolus ibi honorificè recipitur: & Deus contumeliosè repellitur, vel ignominiosè ſuſcipitur. Raptores enim vel vſurarij qui ſunt mẽbra dia-

Mat 10.

Eccle. 10.

Ephe 5.

boli, libenter & cum magno honore ibi recipiuntur, & cum expenſis ibi procurantur: boni verò pauperes, vel repulſam patiuntur: vel malè procurantur, in quibus Deus vel recipitur vel repellitur. Quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Signa quibus perpendi poteſt, quòd prælatus ſalutem animarū paruipendeat, & plus de rebus tranſitoriis, quam de animabus curam gerat: hæc ſunt. Si in propria perſona terrenis negotiis intendit: & in ſpiritualibus vicarium ponit. Si non timet fratres ſuos periculo exponere, vt temporalia bona ſeruare valeat & augere. Vt cùm fratres iuuenes & leues ponit in officiis exterioribus: vel paucos fratres in paruis prioratibus. Itē cum magnis expenſis muros erigit, & mores negligit. Si quotidianas expenſas frequenter computat: animarum verò detrimenta vel profectus ignorat.

Mat. 25.

ignorat. Si quando fratres veniunt ad capitula, de rerum temporalium conſeruatione vel multiplicatione eſt tractatus primus: de ordinis verò reformatione vltimus vel nullus. Item ſi ſollicitè prouidentur quæ neceſſaria ſunt corporibus: de his verò nõ curat quæ ſunt neceſſaria animabus. Primum, ſcilicet, prælatus quantum ad ſpiritualia, vicarium imponat, & relicto grege temporalibus intendat, valde reprehenſibile eſt: & multum longe à conſilio quod Ietro Moyſi: Eſto, inquit, cum populo in his quæ ad Deum pertinent. Prælatus ad intendendum temporalibus alium decet ſubſtituere: ipſe verò orationi & doctrinæ debet intendere. Ipſe debet eſſe quaſi medius inter Deum & populum. Aliquando debet loqui Deo pro ſubditis ipſum orando, aliquando ſubditis pro Deo ipſos inſtruendo. Quod autem non ſit tutum vi- *Exo. 18.*

carium ponere &gregem deſerere pa
tet ex primo vicario ſynagogæ. Moy
ſes enim aſcenſurus ad Dominum ad
regimen populi meliorem vicarium
poſuit quem inuenit: & tamen po-
pulus quem recedens fidelem reli-
quit, elapſo modico tempore ipſo re
deunte inuentus eſt infidelis. Secun-
dum, ſcilicet, pro rebus tēporalibus,
periculis fratres exponere, perſonas
minus ſecuras in exterioribus officiis
ponendo: vel per prioratus paruos
eos diſpergendo, multum eſt repre-
henſibile. Cùm enim boni paſtoris
ſit animam ponere pro ouibus ſuis:
lōgè videtur eſſe à bonitate paſtoris,
pro temporalibus rebus eos expo-
nere lupis. Lupi infernalis eſt oues
Ioan.10. diſpergere, ſecundum illud: Lupus
rapit & diſpergit oues. Saluatoris ve-
rò & boni paſtoris eſt oues collige-
Matt.12. re. Qui non congregat mecum, di-
Ioan.10. ſpergit. Et: Alias oues habeo, quæ
non

nō ſunt ex hoc ouili, illas oportet me adducere: vt fiat vnum ouile & vnus paſtor. Viſitabo oues meas, & libera- *Ezech. 34.*
bo eas omnibus locis, in quib⁹ diſper-
ſæ fuerant: in die nubis & caliginis.
Mādato Pharaonis, diſperſus eſt populus Iſrael per vniuerſam terrā Aegypti: ad colligendas paleas. Et procuratione Pharaonis infernalis viri *Exod. 5.*
religioſi de monaſteriis magnis per paruos prioratus videntur fuiſſe diſperſi: vt temporalia bona acquirerent vel conſeruarent: Diſperſi ſunt *Tre. 4*
lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. Cùm Saluator diſperſos *Iſai. 11.*
Iſrael congregare venerit, indiſcretè videntur feciſſe, qui vices eius gerebant, quando congregatos diſperſerūt. Item cùm Dauid qui ſuper ſenes intellexit, dixerit: Ecce quàm bonū & quā iocūdum habitare fratres in vnū. Temerariè egiſſe vidētur qui eos qui elegerant viuere in congregatione

Ioan.20. poſuerũt in diſperſione. Thomæ exiſtenti in cõgregatione apparuit Dominus: ſeparato verò ab ea non apparuit.
Gen.49. Filij Iacob congregati benedictionem
Act.2. patris receperunt. Et ſuper diſcipulos congregatos Spiritus ſanctus deſcendit. In paruis prioratibus religio adnihilatur: ibi vitio proprietatis appropinquatur: meritum obedientiæ minuitur: continentia facile periclitatur. Qui ſolus eſt in prioratu, vel cum vno ſocio, vt frequenter ferè eſt proprietarius, quæ habet, pro maiori parte habet ſibi. Obedientia ipſius minus meretur, cui nullus aliquid iubet: & ideo facit quod facere libet. Continentia etiam facile periclitatur: quia oportunitas
Epiſto 112. circa finẽ. peccandi habetur. Bern. cuidam moniali volenti deſerere congregationem. Audi me filia, audi fidele conſilium. Noli te ſeparare à grege, nequando lupus rapiat: & non ſit qui eripiat:

eripiat: Diſperſæ ſunt oues meæ, &c. Eze. 34.
& factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri.

Quod prælatus debet maiora bona minoribus præponere.

CAPVT X.

QVi congregationi præeſt, maiora bona minorib⁹ debet pręponere. Cuius contrarium aliquibus monaſteriis multum nocuit: vbi magnis expenſis aqua fontis de longe adducebatur, de aqua verò ſapientiæ Saluatoris non curabatur. Altaria auro & argento & lapidibus precioſis operiebantur: corpora ſanctorum qui dum in hoc mundo viuerent, áurum & argentum contennebant, in vaſis aureis & argenteis reponebantur, parietes tam eccleſiarum quam clauſtrorum depingebantur: monachi cappis ſerecis in miſſis & proceſſionibus induebantur: cultus verò &

ornatus interior qui viros ſpirituales maximè decet, & Deo maxime placet, negligebatur. Corpora, procurabantur ſplēdidè: & non curabatur de animarum refectione. Si amittebatur aſina, quærebatur, ſi peribat anima, non reputabatur. Hanc inordinationem reprehēdit Ber. his verbis. O vanitas vanitatū, ſed non vanior quā inſanior. Fulget eccleſia in parietibus: & in pauperib⁹ eget: Suos lapides auro induit, & ſuos filios nudos deſerit. De ſumptibus egenorum ſeruitur oculis diuitum. Inueniunt curioſi quo delectentur: & non inueniunt miſeri vnde ſuſtententur. Idem: In clauſtris coram legētibus fratribus, quid facit illa ridiculoſa mōſtruoſitas, mira deformis formoſitas, aut formoſa deformitas? Quid ibi immundæ ſimię, quid feri leones: quid mōſtruoſi centauri, quid ſemi homines, quid maculoſæ tigrides: q̃d milites pugnātes, quid

In apolog. ad Gulielmum abbatem ca. vl. in princip.
In apolog. ad Gulielmum abbatem, cap. vlt,

quid venatores tibi cinantes? Videas ſub vno capite multa corpora,& rurſus in vno corpore multa capita. Tã multa denique tanquã mira diuerſarum formarũ apparet vbique varietas,vt magis libeat legere in marmoribus quàm in codicibus: totamq́ue diem occupare ſingula iſta admirando,quàm in lege Dei meditãdo. Proh dolor ſi non pudet ineptiarum, curæ non piget expenſarum. idem: Oratoriorum immenſæ altitudines, immoderatæ longitudines, ſuperuacuæ latitudines,ſumptuoſę depolitiones, curioſæ depictiones,dum in ſe orantium retorquent aſpectum, impediunt & affectum.

In eadẽ apol. iam dicto ca. penult. decli. ad finem.

Quòd prælatus non debet diſpenſationes leuiter facere.

CAPVT XI.

MVltum cauendæ ſunt leues diſpenſationes illi qui congregationi pręeſt. Ber. in li. de pręcepto &

diſpen

diſpenſatione: Noluit fidelis ſeruus & prudens quem conſtituit Dominu. ſuper familiam ſuam, ibi tantum vſurpare diſpenſationem, vbi bonam poſſit habere recompenſationem. In eodem: Remiſſio voti abſque neceſſitate, non diſpenſatio, ſed præuaricatio eſt. Idem in lib. de conſideratione: Non ſum tam rudis vt ignorem nos poſitos diſpenſatores in ædificationem: non in deſtructionem. Denique quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Vbi neceſſitas vrget, excuſabilis diſpẽſatio eſt. Vbi vtilitas prouocat, diſpẽſatio laudabilis eſt: vtilitas dico communis non propria. Nam cùm nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio: ſed diſſipatio crudelis eſt. Ad diſpenſationem duo requiruntur, ſcilicet auctoritas, & cauſa. Altero horum deficiente, non eſt diſpenſatio. Chriſtus cruci ſuæ non adhęſit leuiter, ſed

Poſt 1 fol. à princip. libri numer. Lib 3. ad quantulum ante finem.

affixus

affixus fuit fortiter. Sic clauſtralis cruci religionis affixus debet eſſe fortiter, nec facilè ab ea recedere. Gal. 5. Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt. Ber. In cruce ſalus noſtra eſt: tantum ei viriliter inhæreamus. Idem: Si pœnitentia noſtra crudeli miſeratione minuitur: paulatim gemmis corona noſtra priuatur.

Quòd prælatus debet vniuerſa tēperare.

CAPVT XII.

QVi monaſterio præeſt, vniuerſa temperare debet. Vnde Bern. in regula: Abbas opera quæ iniungit, diſcernat & temperet. Item: Abbas ſic omnia temperet, vt ſit quod fortes cupiant, & infirmi non refugiant. Temperātia iſta experientiam requirit. Sicut enim vinum non bene temperatur, niſi prægustatione virtus eius ſentiatur: Sic prælati qui in conuentu nunquam iacent, vel comedunt, vel diuinum officium audiunt, onus quod

Ca. 64 parũ à fine.
Eod. m ca. circa finē.

quod conuentus ſuſtinet, temperare neſciunt. Vnde non exhibent ſe patres vel prælatos, ſed potius exactores, quales fuerũt exactores Pharaonis, qui à populo Dei conſuetum numerum laterum exigebant: tamen paleas & quod conſuetum erat eis, miniſtrare nolebant. Exod. 5. Si tales prælati & vltra regulam fratres onerant: & tamen eis neceſſaria non miniſtrant: Tales ſunt imitatores Balaam, non parcentes aſinæ: ſed eam cedentes vſque ad querimoniam. Numeri 22. Congregationem enim quæ vt iumentum apud eos facta eſt à Deo ſtimulant, vt eam murmurare compellant. Prælatus timere debet gregi ſuo; exemplo Iacob Geneſ. 33. Si greges meos plus in ambulando fecero laborare: morientur vna die cuncti greges. Et notandum quòd ſicut prælatus temperare debet quæ ſunt aliorum, ſic & quę ipſius ſunt,

ſunt. Bona monaſterij ſunt pauperum Chriſti: ideo cùm in eccleſia tot pauperes egeant, non ſunt bona illa prodigè expendenda. Vnde dicit beatus Benedictus in regula ſua de cellario monaſterij: Quod non ſit prodigus aut extirpator ſubſtantię monaſterij: ſed omnia menſuratè faciat. Prælatus non debet in faſtu huic ſęculo ſe conformare. Pauperem enim ſe debet reputare, cùm in bonis monaſterij non habeat dominationem, ſed diſpenſationem: de qua diſtrictam rationem eum reddere oportebit. Sapiens: Pauper vbi cæpit diuitem imitari, perit. Monaſteria depauperantur, cùm in faſtu principes imitantur. Quem faſtum Bernardus reprehendit his verbir: Quod, vt cętera taceam, ſpeculum humilitatis eſt, cum tanta pompa comitatus incedere, tantis hominum circuitorum ſtipari obſequiis,

Cap. 31. circa mediū.

In apolog. ad Gulielmum abbatem ca. penult. à medio.

obſequiis, quatenus duobus epiſcopis vnius abbatis ſufficiat multitudo. Mentior, ſi non vidi abbatem ſexaginta equos,& amplius, in ſuo ducere comitatu. Dicas ſi videas tranſeuntes non patres eſſe monaſteriorum, ſed dominos caſtrorum: nec rectores animarum, ſed principes prouinciarum. Illas expenſas debet prælatus libenter facere, quę valent ad conſeruationem religionis & quibus vitatur occaſio diſſolutionis. Aliquando pro defectu qui pro modico poſſet ſuppleri: euacuato refectorio, coguntur replere. Prouidere debet prælatus quantum poteſt ne dentur diuitibus, vel conſanguineis vel aliis: quę ſunt dāda Chriſti pauperibus. Panis enim egentium, vita pauperis eſt. Qui defraudat illū homo ſanguinis eſt. Eccl. 34. Item prouidere debet ne furētur infideles miniſtri, vnde viuere debent ſerui Chriſti: & ne egeant domeſtici, vnde

vnde luxuriantur extranei. Cogitare debet futuram cōputationē: vt in diſpēſando habeat diſcretionem. Ideo aliqui bona ſibi commiſſa diſſipant: quia de reddenda ratione non cogitant, Prou. 28. Viri mali non cogitant iudicium: qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia.

Incipit ſecunda pars, in qua oſtenditur quomodo ſe debeat habere qui ſubditus eſt.

OStēſum eſt, quomodo ſe debeat habere qui cōgregationi pręeſt, nunc oſtendendum eſt quomodo ſe debeat habere, qui eſt ſubditus, qui inobedientiam ſpecialiter debet timere & cauere. Vnde vna de duodecim abuſionibus clauſtri enumeratur diſcipulus inobediēs. Vnde obedientiam ſpecialiter amplecti debet, qui in ſtatu ſubiectionis eſt. Hæc primo commendabitur. Secūdo eius

gradus diſtinguentur. Tertiò tangetur de his quæ eam iuuant. Quarto de his quæ ei aduerſantur. Quinto de eius partibus.

De commendátione obedientiæ, & dãnis inobedientiæ.

CAPVT XIII.

OBedientia dignum vitæ eſt his qui reprehenderint eam: & qui tenuerit eam, beatus. Simonẽ, id eſt, obedientem beatificat ſaluator. Ecõtrario inobedientia, lignum mortis eſt. Fuit enim homini, cauſa mortis. Et qui per viam inobediẽtiæ incedit, miſer eſt & maledictus. Hæc patent Deut. 28. Ex benedictionibus quæ fiunt his qui legi obediunt: & maledictionibus quæ fiunt his qui legi non obediunt: Bern. Inobedientiam cauſam mortis omnes experimur: omnes morimur propter eam. Obedientia ſcala eſt quam Iacob vidit. Gen. 28. Scala illa ſuper terram ſtabat

bat, & cacumen eius cœlum tangebat:& angeli aſcendebãt & deſcẽdebant per eam,& Dominus erat innixus ſcalæ. Stare debet obedientia ſuper terrã per cæleſtẽ intẽtionem: cacumen cœlum tangit, quantũ ad cœli peruentionem. Perfecta obedientia immediatè ſe habet ad cœlũ. Parum enim vel nihil morantur perfectè obedientes in purgatorio: quia magni lucri eſt obedientia. Vnde ſufficit hic ſoluere debita ſua. Et quia in perfectè obediẽte Chriſtus viuit & operatur. Gal. 2. Viuo ego, iã nõ ego, viuit verò in me Chriſtus. Nec eſt veriſimile quod in futuro Deus ſit eorum vltor, quorum eſt hic actor. Inobediẽtia hominem expulit de paradiſo terreſtri: obedientia verò perducit ad cæleſtem. Angeli aſcendũt & deſcendũnt per hanc ſcalam. Siue enim nobis miniſtrent, ſiue Deo aſſiſtant, per viam obedientiæ incedunt: cuius

voluntatem agere intendunt. Dominus innixus eſt huic ſcalæ. Per viam enim obedientiæ inceſſit, & in mundum veniens, & in mundo viuens, & de mundo tranſiens. De primo legitur Ioan. 6. Deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, ſed volũtatem eius qui miſit me. De ſecundo Ioan. 4. Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me. De tertio Mat. 26. Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Ioan. 14. Sicut mãdatum dedit mihi pater, ſic facio. Bern. Mementote fratres: Chriſtus ne perderet obedientiam, perdidit vitam. Et in ſignum quòd obediendo mandato patris, mortuus eſt, & inclinato capite emiſit ſpiritum.

De gradibus obedientiæ.

CAPVT XIIII.

In ſer. de virtute obedientiæ & eius gradibus.

ET notandum quod Bern. tangit ſeptem gradus obediẽtiæ. Quorũ primus eſt obedire libenter, quem gra

gradum, vt ipſe ait, nõ poteſt aſcendere, niſi qui voluntatem præcipientis ſuam fecerit. Voluntas verò præcipientis ſubditi non efficitur, niſi voluntas ſubditi prius abſcindatur. Sicut cum fit inſertio in arbore, ramus minus nobilis prius abſcinditur, & poſt, nobilior ramus inſeritur: ſic volũtas propria prius abſcindenda eſt, poſt voluntas eius qui loco Dei eſt, recipi poteſt, quæ pro Dei volũtate habẽda eſt. Bern. Quicquid vice Dei præcipit homo, quod nõ ſit tamen certũ diſplicere Deo: haud aliter accipiẽdũ eſt, quàm ſi præciperet Deus. Quid enim intereſt, vtrum per ſe, aut ſuos miniſtros, ſiue homines, ſiue angelos, notum faciat beneplacitum Deus? Idem. Ipſum quem pro Deo habemus, tanquã Deum in his quæ non ſunt apertè contra Deũ, audire debemus. Multi ſunt qui multis annis in religione fuerunt: qui non-

Simile.

In lib. de diſpenſ. & præcept. ante med.

In eodem lib. liquã-tulum ante mediũ.

dum primum gradum huius ſcalæ aſcenderunt. Et notandum quod libenter obedire, præcipuè laudabile eſt,cum grauia iniungũtur. Vnde ſuper illud Regum.19. Melior eſt obedientia quam victimæ &c. dicit gloſſa Gregorij. Sciendũ quòd obedientia aliquando nulla eſt, ſi de ſuo aliquid habet,aliquando minima eſt, ſi ſuum aliquid non habet. Cùm enim locus ſuperior imperatur, obediẽtiæ virtutem ſibi euacuat: qui ad hunc proprio deſiderio anhelat. Cùm verò probra & contumeliæ imperãtur,niſi hoc ex ſemetipſo animus appetat, obedientiæ ſibi minuit meritum,qui ad hoc inuitus deſcendit. Hic Moyſes principatum populi humiliter recuſat: Paulus autem audacter dicit. Ego nõ ſolùm ligari in Hieruſalem, ſed & mori paratus ſum. Secundus gradus eſt obtemperare ſimpliciter. Multos enim videmus ſecũdum verbum

bum Bernard. poſt præcipientis imperium multas facere quæſtiones, quare ſæpius ingeminare, vnde hoc venit? quis hoc inuenit conſilium? Inde murmuratio, excuſatio, ſimulatio impoſſibilitatis, aduocatio amicorum. In Pſalm. In auditu auris obediuit mihi. Gloſſ. Vt oſtenderet vno eodemque momento proceſſiſſe, & præcipientis imperium, & obedientis obſequium. Bernard. in lib. de conſiderat. Omnibus nobis in conuerſionis initio nulla virtus magis neceſſaria, quàm ſimplicitas humilis obedientiæ, & grauitas verecunda. Idem in ſermonibus. Rara auis in terra diſcretio: ideò diſcretionis locum fratres, in nobis ſuppleat virtus obedientiæ, vt nihil plus, nihil minus, nihil aliter quam imperatum ſit faciatis. Idem. Non te moueat imperitus magiſter, indiſcreta poteſtas: ſed memento quia non eſt poteſtas

In ſer. de virtute obedientia, & eius gradibus parum ante med.

Serm. 3. in Epiph. Domin. non procul à fine.

In ſerm. de virt. obed. & eius gradib. ante med.

niſi à Deo: & qui poteſtati reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit. Ouinā ſimplicitatē debet habere, ſubditi obedientia. In Pſalm. Qui deducis velut ouem Ioſeph. Ad hāc ſimplicitatem experiendam, antiqui patres in principio non præcipiebant fratribus recta. Vnde in vitis patrum dixit quidā Abbati Paſtori. Patres ſeniores non loquuntur ab initio fratribus recta, ſed magis diſtorta: & ſi viderint, quia ea quæ diſtorta ſunt, faciunt, iam eis non loquuntur, niſi quod expedit, agnoſcentes quoniam in omnibus obedientes ſunt. Tertius gradus, eſt hilariter obedire, 2. Corinth. nono. Hilarem datorem diligit Deus. Bernard. Serenitas in vultu, dulcedo in ſermone: multum colorant obedientiam obſequentis. Nubiloſa corporis compoſitio, & facies tenebris triſtitiæ obfuſcata: deuotionem ab animo receſsiſſe ſignificant. Eccleſ. 35. In

In ſer. de virtute obedientia & eius gradibus circa medium.

In omni dato hilarem fac vultum tuum. Qui eum murmure obediunt, cum praua ſalſa Deum paſcere volunt. In Pſalmo: Dederunt in eſcam meam fel. Tales ſunt, vt magni lapides, qui moueri non poſſunt, ſine afflictione mouentis, Eccleſiaſt. decimo: Qui transfert lapides, affligetur in eis. Tales ſunt, vt rotæ carri, non ſolùm in hoc quòd præ defectu vnctionis murmurant: ſed quia vnus alterum præcedere non vult, dicentes: Quare potius mihi iniungitis quàm alteri. Eccleſiaſt. 33. Præcordia fatui quaſi rota carri. Tales ſunt, vt imagines in ædificiis, quæ ſuſtinent columnas: in facie triſtitiam oſtendentes. Prælatus cuius ſubditi cum triſtitia & murmure obediunt, ſimilis eſt illi, qui habet omnia membra infirma, quæ neceſſario haberet mouere, & nullũ mouere poſſet ſine dolore, qui in magna miſeria

Simile.

Eccl. 10.

Simile.

Simile.

eſſet. Prælatus talis imperat iſti, & ille affligitur & contriſtatur, & ipſe cum eo, & ſic de aliis: & ita qui obſequi debuerant, offendunt. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris, vt hoc faciant cum gaudio & non gementes. Hoc enim non expedit vobis. Quartus gradus eſt velociter obedire. Dictum eſt Zacheo. Feſtinans deſcēde. Dicitur de Petro & Andrea à Domino vocatis. Illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum. Et ſimiliter ſubditur de Iacobo & Ioanne. Illi ſtatim relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eū. Hier. Perfecta obediētia eſt, ſua imperfecta relinquere. Manus illius tornatiles. In vitis patrū. Abbas Siluanus habebat. 12. diſcipulos, vni eorū nomē Marcus, quem diligebat præ cæteris propter bonū obediētiæ quod erat in eo. Cumque quidā dicerent

Heb. 13. *Luc. 14. & 19.* *Mat 4.* *In ſecunda part. c. 133*

cerent ei, quòd alij diſcipuli contri-ſtarētur ex hoc, ipſe pulſauit ad oſtiū vniuſcuiuſque vocans eos: & nullus exire voluit, Tandem vocauit Marcū, qui ſtatim exiuit, & inuenit in caterno quod ille ſcribebat tēpore vocationis, literā vltimam imperfectam, quam poſt vocationem propter bonum obedientiæ cōplere noluit. Tūc illi iudicauerunt eum eſſe magis diligendum, eò quòd magis diligeretur à Deo propter bonum obedientiæ. Valde gratum eſſe ſolet principibus, cùm præcepta eorum velociter adimplentur. Vidiſti virum velocem in opere ſuo, coram regibus ſtabit, nec erit ante ignobiles. Quintus gradus eſt viriliter adimplere mandatum. Bern. Manum tuam miſiſti ad fortia: agendum eſt inſtanter, & conſtanter obediendum: nec inter aſperitatem verborum, tam regalis eſt ſemita relinquenda. Loquitur de ſemita obe

Prou. 22.

In ſerm. de virt. obed. & eius gradib. à med.

ta obediẽtiæ. Chriſtus hanc ſemitam pro morte ignominioſa relinquere noluit. Factus eſt obediens vſque ad mortem, &c. Bern. Putas obedientiæ fructum cùm ſubditus audit obedientiam, quam multis expetierat votis, quando ei præcipitur, quòd redoleat dignitatem? Ecõtrario meritum aſſigna tunc illi obediẽtiæ, quę terret animum audientis: grauis ad audiendum, grauior ad implendum, grauiſſima ad tenendum. Sextus gradus eſt humiliter obedire. Et ſubdit Ber. Magna virtus humilitas, ſine cuius obtentu virtus fortitudinis non ſolùm virtus non ſit: ſed etiam in ſuperbiam erumpit. Luc. 17. Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus. Quod debuimus facere, fecimus. Septimus gradus eſt indeſinenter obedire. Et ſubdit Ber. Perſeuerentia, ſingularis filia eſt ſummi regis. Idẽ. Quid currere

Philip. 2.

Eodem loco nunc proximè citato.

In ſer. de virtute obedientiæ & eius gradibus à med.

rere prodeſt: & ante metam curſus deficere: Sic currite, vt comprehendatis.

Eodem loco nunc citato.

De his quæ ad obedientiam iuuant.

CAPVT XV.

ITem notãdum quod quinque ſunt quæ ſolent valere ad hoc, quod aliquid ſit magis tractabile vel flexibile: & ſimilia his valent ad hoc, quod cor alicuius ſit magis obediens. Primum eſt ſeparatio rei ab aliqua re minus flexibili cui adhæret: vt patet in corio adhærenti ligno, quod flecti non poteſt niſi à ligno ſeparetur. Sic oportet quod aliquis perfectè obediẽs voluntatẽ ſuam ſeparet ab omni re tẽporali, & eã recolligat: vt habeat eam paratam quando mandatũ ſuperioris venerit. In pſal. Paratus ſum, & non ſum turbatus. Item Paratum cor meum Deus, paratũ cor meũ. Bern. Paratum ad ſublimia: paratum ad vniuerſa quæcunque præceperis. Idem.

Simile.

In meditat cap. 4.

In ſerm. de virt. obed. & eius gradib. à med. Idem. Verus obediens mandatum non procraſtinat: ſed parat aures auditui: linguam voci, manus operi, pedes itineri, & ſic ſe totum intra ſe recolligit: vt mandatum peragat imperantis. Vt Abraham, qui vt magis eſſet obediens Deo, Dominus voluit eum ſeparari ab omni re temporali, dans ei tria præcepta: in quorum primò, voluit eum ſeparare ab his à quibus ortum duxerat. *Gen. 12.* Egredere de terra tua, & cognatione tua, & de domo patris tui. Secundo à ſeipſo quãtum ad carnalia deſideria. Circũcidetur ex *Gen. 17.* vobis omne maſculinum. Circũciſio in carne facta monebat ad reſecatione ſuperfluorũ deſideriorũ carnaliũ: ideo fiebat in mẽbro in quo maximè *Gen. 22.* concupiſcẽtia ſeuiebat. Tertio ab eo quòd ortũ duxerat ab ipſo: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac. Secundũ valẽs ad tractabilitatem eſt exilitas, vt patet in virga quæ pro

propter exilitatem flexibilis eſt:etiã *Simile.* ferrum ſi ſit tenue vel exile,flecti poteſt. Sic exilitas humilitatis multum valet ad obedientiam. Ideo Apoſtolus loquens de obedientia Chriſti, *Phil. 2.* *lib. 14. c 13. circa med.* præmittit de eius humilitate,dicens: Humiliauit ſemetipſum pro nobis factus obediens, &c. Aug. 14. libro de ciuitate Dei. Obedientia niſi humilium eſſe non poteſt.Cùm humilitas ſit proprij ſenſus vacuitas: humilis habet vbi alienum ſenſum recipiat, tanquam qui vacuus eſt à ſuo.Et qui ſenſum alienũ recipit, niſi ſit apertè malus,recipit alienam volũtatem: & ſic fit obediẽs. Superbus prius exhibet de ſenſu ſuo, quã recipiat ſenſum alienum,vel alienam voluntatem: & fiat verè obediens. Vidiſti hominem *Prou. 26.* ſapiẽtem ſibi videri, magis illo ſpem habebit inſipiens. Cibus in quo nimis eſt de ſale,quaſi perditus eſt. Fa- *Simile.* cilius ſal cibo additur, quã ſubtrahitur.

tur. Sic ille in quo proprius ſenſus nimis abundat,non eſt aptus religioni. Facilius homo ſimplex religioſus efficitur, quàm ille. Tertium eſt alicu-
Simile. ius liquoris admixtio. Vt pellis dura vngitur, vt ſit tractabilior: Et terræ duræ aqua miſcetur. Similiter vnctio gratiæ neceſſaria eſt: vt cor magis rractabile fiat. Ideo qui in religione eſt,frequenter Deo debet ſupplicare in oratione, vt obediendi ei gratiam tribuat:& prælato ſuo beneplacitum ſuum de eo inſpiret. Auguſtin. in lib.
Lib 10. ca. 29. T. m 1. confeſ. Domine continentiam iubes da quod iubes:& iube quod vis. A ſimili dicere debet religioſus Deo. Obedientiam iubes, da quod iubes:
Simile. & iube quod vis. Quartum eſt calefactio vt patet in cera quæ calefacta tractabilior eſt: & in metallis, quæ ad ignẽ liquefacta formã rei cui infundũtur, faciliùs recipiunt. Sic accẽdẽdũ eſt cor hominis ad obediẽtiã vnctione

vnctione beneficiorum iam accepto rum,& generalium & ſpecialium. Itē oſtenſione beneficiorum promiſſorum. Immittendns eſt etiam ignis diuini amoris in cor viri religioſi, vt cogitet qualiter Deus pro nobis obedire voluit vſque ad mortem crucis: vt confundatur malè obediēs eſſe ad leuia, quæ ex parte ipſius ei iniungun tur. Ignem veni mittere in terram: & quid volo niſi vt accendatur? Valet etiam ad accenſionem conſideratio culparum cōmiſſarum; & pœnarum quæ pro his debentur. Bern. O ſi cognouiſſes quam multa, & quàm mul tis debes: videres quòd nihil eſt quod facis. Primo, debes Chriſto totam vi tam tuam: quia ipſe pro tua poſuit ſuam. Secundo, exigunt præterita peccata mea, totā vitam meam, vt faciam dignos fructus pœnitentiæ: & recogitē omnes annos meos in amaritudine animę meę: Quod ſi tertium

Luc. 2.

In ſer. de quadrupli ci debito.

debitorem oſtendam, qui eam vendi cet ſibi : puto quòd deſideres gloriã quam oculus non vidit.&c. Nóne ad hoc emendum totum te,& quicquid poteris,dare oportebit?Et cùm omnia cõpleueris,nõ ſunt condignæ paſ ſiones huius temporis ad gloriam futurã,quæ reuelabitur in nobis.Quarto,debitori debes quod es,à quo totũ habes,qui te fecit, & bene facit,& cuncta miniſtrat.Cui horũ proponis reddere quod debes? Itẽ valet ad accẽdendũ cor ad obediendũ miſera ſeruitus,in qua remanet qui nõ proficit: & libertas & conſolatio ad quæ peruenit, qui proficit. *Prou.12.* Manus fortiũ dominabitur:quæ autem remiſſa eſt,tributis ſeruiet.Hoſtes hominis remiſſi quotidie aliquid acquirũt ſuper eũ & ſic in duram ſeruitutem eũ ponũt. Homo remiſſus ſemper habet pugnã,& nunquam victoriam:nec promiſſam vincẽti lætitiã. *Apoc.2.* Vincẽti dabo manna

manna abſconditũ. Quintum, eſt aſſuefactio. Equus acquieſcit circunuolutionibus, vt facilius ad voluntatem aſſeſſoris flectatur. Religioſus qui in voluntate ſua nutritur, deſtruitur. In vitispatrum Anton. præcepit Paulo ſimplici hæremitę ſuere & diſſuere veſtimenta ſua, texere & frangere ſportulas: vt voluntatem eius flexibilem & obedientem faceret.

Libr. 1 in vita S. n-cti Pauli Simplicij circa med.

De his quæ obedientiæ aduerſantur.

CAPVT XVI.

OBedientiæ proprius ſenſus & propria voluntas ſpecialiter aduerſantur: Senſus proprius eſt, qui non eſt communis. Circa quem eſt reprehenſibilis, ſi ſociis non ſit ſuaſibilis: reprehenſibilius verò eſt, ſi non ſit ſubiectus ei qui tenet locum Dei: maximè autem reprehenſibile eſt, ſi Deo non ſit ſubiectus. Determinandus eſt potius reſpectu ſuperioris,

quàm reſpectu inferioris. Sicut enim non dicitur prælatus proprietarius, quantùm ad bona temporalia, ſi non diſponat de illis ad voluntatem eius qui inferior eſt: ſic nec dicendus eſt proprietarius quantum ad ſenſum: ſi ſenſus eius non ſit ſubiectus ſenſui inferioris. Proprius ſenſus valde periculoſus eſt ei qui in religione eſt. Bernar. in ſermone. Lepra proprij conſilij eo pernicioſior quo occulta: & quantò plus abundat in homine, tantò ſibi ſanior eſſe videtur. Hic illorũ eſt, qui zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam: ſequentes errorem ſuũ, & obſtinati in eo, ita vt nullis velint cõſiliis acquieſcere. Hi ſunt vnitatis diuiſores inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes ſibi, & magni in oculis ſuis: ignorãtes Dei iuſtitiam, & ſuam volentes conſtituere. Et quæ maior ſuperbia, quàm vt vnus homo toti congre

Ser. 3. in tẽpore reſurrectionis, & eſt de merſione Naaman circa med.

congregationi conſilium ſuum præferat: tanquã ipſe ſolus ſpiritum Dei habeat? Idolatriæ ſcelus eſt non acquieſcere: & quaſi peccatum ariolandi. Ecce nunc qui ſe faciunt religioſiores, qui non ſunt ſicut cæteri hominum, idolatræ & arioli facti ſunt. Nõ debet hominem regere in clauſtro proprius ſenſus, qui eum rexit in mũdo. Non debet eum habere pro duce, qui in tot foueas eum præcipitauit. Non facietis ibi quæ nos hic facimus hodie, ſinguli quod ſibi rectũ videtur. Proprius ſenſus eſt oculus veteris hominis, oculus inquam, caligans, ſicut oculi ſolent in ſenibus caligare. Oculus iſte eſt deſtruendus, ſicut & cætera membra veteris hominis. Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram. Itẽ Proprius ſenſus eſt oculus ſcandalizans & ideo eruendus. Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs

Deut. 12.
Exod. 3.
Matt. 5.

te. Sicut equus videns nõ eſt idoneus circuire ad molam: ſic qui in religione eſt, non eſt aptus volubilitati obedientiæ, niſi oculus proprij ſenſus ei erutus fuerit: Proprius ſenſus eſt conſiliarius infidelis: de quo non eſt confidendum: eo quod nimis coniũctus

Eccle. 37. eſt carni. Noli conſiliari cum ſocero tuo. Item iudex eſt qui merito ſuſpectus habetur, eo quod inordinato amore, vel odio, vel timore peruertatur. Bern. in libro de conſide. Amor vel odium veritatis neſcit iudicium.

In tract. de gradib. humilitatis cap. inquirimus circa med.

Et notandum quod vna ratio, quare aliquis religionẽ ingreditur, eſt hæc vt Deus plenius in eo dominetur. Cũ aliquis vult recuperare caſtrum amiſſum, vbi ſunt multæ portæ per quas oportet eum intrare: primo oportet eum habere ingreſſum primæ portæ. Si non habet eius ingreſſum, non habet ingreſſum ſecundæ. Velut prima porta eſt ſenſus. Si non habet

bet Deus ſenſum hominis: non habet eius voluntatem,nec perfectè ei dominatur.Obedientiæ multum aduerſatur propria volũtas De qua Bernar.Voluntatẽ dico propriã quę non eſt cõmunis Deo & hominibus: ſed omni caſu quod volumus, non ad honorem Dei vel proximi profectũ,ſed propter nosipſos facimus propriis ſatisfaciẽdo affectibus. Hæc in viro religioſo multum diſplicet Deo, placet diabolo,& religioni multum nocet.Non mirum ſi Deo multũ diſplicet, cùm dominium ſuum ei aufert. Gregor. de ſuperbo. Quaſi à ſe iugũ dominationis conditoris excutit,cui per inobedientiã ſubeſſe contemnit. Bern. Propria voluntas, recta fronte contraria eſt charitati, qua Deus eſt aduerſus huiuſmodi exercẽs inimicitias.Quid enim odit Deus vel punit, niſi propriam voluntatem? Ceſſet propria volũtas:& infernus non erit.

In ſer. de merſione Naaman in Iordane.

Eodem loco proxime citato in eodem Bernard.

Eccle. 18 Diabolo multum placet. A voluntate tua auertere. Si præſtes animæ tuę concupiſcentias eis, faciet te in gaudium inimicis tuis. Propria voluntas multum nocet & ei in quo eſt, & cæteris qui in congregatione ſunt. Cæteris nocet ſcandalizando eos. Bern. *In ſer. de ſubiectione propria voluntatis à medio.* Vnde ſcandala: niſi quòd ſequendo voluntatem propriam, & quòd apud nos temere diffinimus: ſi quomodo prohiberi contingat vel impediri, ſtatim in murmur & ſcandalum prorumpimus? Sibi in quo eſt, multum nocet. Primo Dei beneficia ſubtrahẽdo. Gregorius. Dignũ eſt, vt ab eius beneficiis ſit quilibet extraneus, qui eius iuſſionibus non vult eſſe ſubiectus. Secundo meritum eius euacuando. *Iſa. 58.* Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti: Et ſubditur. Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur volũtas veſtra. *Serm 71. ſuper can-* Bern. Grande malum propria voluntas qua fit vt bona tua, bona non ſint:

ſint: quia non ſapit Deo ieiunium, *tic.in med.*
quod non ſapit obedientiam: ſed viciuni propriæ volũtatis. Ego autem in ſilentio & in omni obſeruantia regulari idipſum ſentio. Tertio eum confundit. Confundetur Iſrael in vo- *Oſea 10.*
luntate ſua. In hoc confundetur, qui propriam voluntatem ſequitur: quia contrarium ei accidit eius quod intendit. Quęrit alicubi cõſolationem, & ex hoc poſtea maiorem habet deſolationem: vel in remorſione conſcientiæ, vel in punitione penitentię, vel in infirmitate quæ quandoque ex hoc ſequitur. Qui plus vult facere voluntatem ſuam in religione, plus cogitur facere contra eam. Cùm enim talis non habeat gratiam illam apud Deum vel homines, quam habet verus obediens: multa non conceduntur ſibi, quæ conceduntur verè obedienti. Ionas qui effugere voluit, vt Dei voluntatem non impleret: im-

pleuit eam inuitus. Gregorius. Ecce
Li.6. mor. cap. 13. in prin. Ionam fugitiuum Dei tempeſtas inuenit, ſors ligat, mare ſuſcipit: & quia actoris voci obedire renititur: ad locum quo miſſus fuerat, ſuo carcere reus portatur. Quartò hominem in afflictione ponit, vnde Saul inobedientem, malignus ſpiritus exagitat. 1. Regum. 16.

De partibus obedientiæ.

CAPVT XVII.

DE partibus obedientię notandũ, quòd eſt obedientia reprehẽſibilis, & eſt obedientia commendabilis. Obedientia reprehẽſibilis triplex eſt. Prima eſt, cũ aliquis obedit creaturæ inferiori homine, vt pecuniæ.
Eccle. 10. Pecunię obediũt omnia. Secũda eſt, cùm ex remiſſione ſuperioris, & ceruicoſitate inferioris accidit, quòd ille obedit qui debet imperare, & mẽbrum inferius eſt ſuper verticẽ: & qui

debuit

debuit eſſe ſupra, eſt infra. Per tria mouetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere: per ſeruum cùm regnauerit. Tertia eſt, cùm aliquis ſuo ſuperiori in malo obedit. Gre.in moral. Nunquã per obedientiã malũ licet fieri. Aliquando autẽ dicitur bonũ quod agitur, per obedientiã intermitti. Idem. Caueant ſubditi, ne plus quàm expedit ſint ſubiecti: ne dum plus quam expedit ſtudẽt ſubiici, ſuperiorum compellantur vicia venerari. Aug. Sic modus obedientiæ tenẽdus eſt, vt bonis in malo non conſentias: malis in bono nõ cõtradicas. Obediẽtia cõmendabilis duplex eſt. Quædam ſufficiens, quædã abundãs. Sufficiens eſt voluntas implẽdi præceptũ vel mãdatum ſuperioris: iuxta modũ profeſſionis. Et intellige præceptum, vbi eſt coactio imperij: mãdatũ verò vbi nõ eſt. Ber. Modus obeditionis eſt tenor profeſſionis. Nec ſe valet

Prou.30.

Li.35.mor. cap.13. in principio.

In lib. de diſpenſ. & præcepto inter prin. & med.

Eodem loco nunc citato.

valet extendere poteſtas imperantis: niſi quantum attingit votum obedientis. Idem. Nil mihi prȩlatus prohibeat eorum quæ promiſi, nec plus exigat. Vota mea nec augeat ſine mea voluntate: nec minuat ſine neceſſitate. Idem. Eſt quidam obedientiæ limes ſecũdum tempus, ipſa temporis extremitas, vt is ſit finis obedientiæ, qui eſt vitæ. Abundans obedientia eſt, cum aliquis obedit in his, ad quæ ex voto profeſſionis non tenetur. Ber. Subiectus huiuſmodi obedientiam, quȩ finibus cohibetur, nouerit imperfectam. Nam perfecta obedientia legem neſcit, terminis non arctatur, neque contenta anguſtiis profeſſionis largiori fertur voluntate in altitudinem charitatis: & ad omne quod iniungitur ſpontanea vigore liberalis, alacriſque animi, modum non conſyderans in infirmitatem extendiiur. Et notandum quòd ad perfectio

Eodem li. inter princip. & medium.

In libr de diſpen. & precep. inter prin & med.

fectionem obedientiæ pertinet: non ſolum facere quod iubetur: ſed ſicut iubetur. Dicitur de Abraham, quod circuncidit carnem pręputij eorum, ſtatim ipſa die ſicut præceperat ei Dominus. dicitur de Ioſeph, quod fecit, ſicut præcepit ei angelus. Et ſicut mãdatum dedit mihi pater, ſic facio. Et notandum quod Bern. tres gradus obedientiæ diſtinguit his verbis. Bonus obedientiæ gradus eſt, ſi propter metum gehennæ ſeu propter profeſſionem factam, quis obediat: Melior cũ ex Dei amore obeditur. Illa quippe neceſſitatis eſt: iſta charitatis. Illum autem optimum obedientiæ dixerim gradum, cum eodem animo recipitur, quo iniũgitur: vt ſcilicet plus velit qui exequitur, quàm vult ille à quo iubetur. Idem. Nouit verus obediens & minima non contemnere: & maxima maximè curare. Et notandum quod religio, vbi ſola ſeruantur præce

Gen. 17.

Matt. 1.

In libr. de diſpenſ. & præcep. inter princi. & med.

pręcepta, multum eſt dehoneſtata. Auris enim obedientię in maiori parte in ea eſt mutilata, cùm in religione bene ordinata plura mandata contineantur in regula & conſtitutionibus quam præcepta: & plura mandentur à ſuperioribus quàm pręcipiantur. Qui ſic obedit, magnam partẽ cẽſus vel ſeruitij domino debiti, retinet infideliter: & quaſi furatur: Eſt ſimilis furi in primo furto deprehenſo: cui pars auriculæ eſt amputata. Talis obedientia parum videtur eſſe grata Deo. Quis enim eſt dominus terrenus, qui velit habere ſeruientem, qui nihil pro eo faciat, niſi quod præcipiat ei titione eleuato, vel gladio euaginato? Sic iubet, qui dicit præcipio. Tale enim eſt, quaſi diceret: Si nó feceris, mortis ęternę gladio occideris. Itẽ parum eſt obediens, qui ad plura eſt obediens. In iure enim diuino, & in iure poſitiuo, & in ſtatutis religionum,

Simile.

num, quę bene ſunt inſtitutę plura mandantur: quàm pręcipiantur. Item parum eſt gratus domino ſeruus, qui non poteſt induci ad eundum ad locum, ad quem à domino mittitur: niſi prius ligetur. Pręceptum eſt vinculum quo malè obediens ligatur. Item infirmus eſt moleſtus medicanti & cuſtodiẽti: quem oportet ligari. Item compediri pręcepti violentia non pertinet ad bonum filium, vel etiam ad ſeruum beneuolum: ſed ad maleuolum: Seruo maleuolo, tortura & compedes. *Eccle. 33.* Cùm voluntas ſit radix merendi, magis voluntarium videtur eſſe magis meritoriũ: & obſequium quod minus gratis exhibetur, minus gratum habetur. Parum eſt voluntarium, quod violentia pręcepti à ſubdito extorquetur.

Incipit

Incipit tertia pars, continens vnum capitulum, in quo agitur de miniſtris.

CAPVT I.

OStenſum eſt, quomodo ſubditi in religione debeant ſe habere: nunc tãgẽdum eſt aliquid de miniſtris, qui bona temporalia habent diſpenſare. Circa quos ſpecialiter eſt cauendum, ne indiſcretè multiplicentur.
Cap. 31. in prin. Secundum B. Benedict. in regula: Vnus debet eſſe cellarius, qui omni congregationi ſit ſicut pater: & curam gerat de omnibus. Quod Abbas iuſſerit, debet facere: quod prohibuerit, non debet pręſumere. Si congregatio fuerit maior, ad ſolatium debent ei dari, qui eum adiuuent: vt ipſe æquo animo impleat officium ſibi commiſſum. Non eſt ſecundum regulam, vt multi ſint principales, bona monaſterij diſpenſantes, ſed vnus.

Ille

Ille non ſolum conuentus, ſed infirmorum, pauperũ & hoſpitum curam debet gerere. In multis tamen monaſteriis occaſione infirmorum, pauperum & hoſpitũ, & eorũ quæ ad eccleſias pertinent, aliquibus perſonis nõ ſolũ bonorũ tẽporaliũ diſpẽſatio, ſed etiã donatio data eſt vel permiſſa: vt bona illa diſpẽſent, nõ ſecũdum prælati iuſſionẽ, ſed ſecũdũ ſuã volũtatẽ: vt nõ ſolũ de illis officiũ ſibi iniũctũ impleãt, ſed etiã ſibi prouideãt, & quæ abundãt, vel prodigè aliis diſtribuãt, vel auarè ſibi cuſtodiant. In congregatione cui Chriſtus præfuit, vnus fuit diſpẽſator: & ille fuit latro: dicitur de illo, quod fur erat, & loculos habẽs ea quæ mittebantur portabat. In multis verò monaſteriis multiplicati ſunt bonorũ temporaliũ diſpẽſatores, & multiplicati ſunt latrones. Sicut enim Iudas ea quæ danda erãt pauperibus, dabat vxori & filiis; *Ioan. 10.*

ſic tales quæ dãda eſſent Chriſti pauperibus, dant attinentibus ſibi. Et ſicut ſunt ſimiles Iudæ in culpa: ſic frequenter fiũt ſimiles ei in pœna. Iudas occaſione huius peccati in maius peccatum incidit, vt deum venderet: & deſperans laqueo ſe ſuſpenderet. Sic tales poſtquam defraudando pauperes Chriſti peccauerũt in proximum, indignè celebrando, vel ſimoniam committendo peccant in Deum: & ſine pœnitentia morientes, infernale incurrũt ſupplicium. Qui in religione fratribus miniſtrant, ſolliciti debent eſſe, vt miniſtrando, Deo placeant: cuius ſunt bona quæ diſpenſant, & familiæ cui illa diſpenſant. Nõ debẽt ea, nec auarè retinere: nec prodigè expendere. Cauere debẽt à perſonarum acceptione. Auguſtinus in regula ſua: Diſtribuatur vnicuique veſtrum à præpoſito veſtro victus & tegumentum: non æqualiter omnibus,

In reg. 3. circ. princ.

bus, quia nõ ęqualiter valetis omnes: ſed potius vnicuique ſicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apoſtolorum, quia erant illis omnia communia: & diſtribuebatur vnicuique ſicut cuique opus erat. Sine murmure debẽt miniſtri fratribus ſeruire: & ſine dilatione ea quibus indigẽt, dare. Auguſtinus in regula: Siue qui cellario, ſiue qui codicibus, ſiue qui veſtibus præponuntur: ſine murmure ſeruiant fratribus ſuis. Idẽ: Veſtimenta & calceamenta quando fuerint neceſſaria: dare non differant, ſub quorum cuſtodia ſunt quæ poſcuntur. Idem: Maledictus diſpenſator auarus, cuius largus eſt dominus. Item: Miniſtri monaſterij ne indignentur, vel ex conditione iubentis, vel ex conditione miniſterium ſuſcipientis: Attendere debent iuſſionem prælati, iuſſionem eſſe Dei, ſecundum illud: Qui vos audit, *Luc. 10.*

In 3 reg. c. 34. to 10.
Ibid. c. 35.

me audit. Item attendere debent, miniſterium quod exhibetur minimo fratri, Chriſto exhiberi: ſecundum il-
Ma 25. lud: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Et miniſtrare nulli eſt dedecus, ſed honor magnus: cùm ille, quo inter natos mulierũ maior non ſurrexit, dicat ſe dignum non eſſe, vt ſoluat corrigiã calciamẽti eius. Item attendere debent dominũ indigno humile miniſterium exhibuiſſe, ſcilicet proditori ſuo Iudæ: Attendere etiam debent quod angeli hominibus quantũcunque vilibus non de-
Matt. 18. dignantur miniſterium exhibere. Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis. Angeli enim eorum ſemper vident faciem patris mei, qui in cælis eſt. Item attendere debent gloriam præmij quam habebunt, ex humili-
Iob 22. tate miniſterij. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.

Inci

Incipit quarta pars, in qua oſtenditur, quomodo ſe debent habere, qui fuerunt diuites in ſæculo, & qui fuerunt pauperes.

CAPVT I.

Onſequenter oſtendendum eſt, quomodo ſe debeant habere in monaſterio, & qui in ſæculo fuerunt diuites: & qui fuerunt pauperes. Quod oſtendit Auguſtinus in regula ſua his verbis: Qui aliquid habebant in ſæculo, quãdo ingreſſi ſunt monaſterium: libenter velint illud eſſe commune: qui autem non habebant, non ea quærant in monaſterio, quæ nec foris habere potuerunt. Sed tamen eorum infirmitati quod opus eſt tribuatur, etiam ſi paupertas eorum quando foris erant, nec ipſa neceſſaria poterat inuenire. Non ta- *Parum a prin. reg. 3.*

men ideo putent ſe eſſe fœlices,quia inuenerunt victum & tegumentum, quale foris inuenire non potuerunt: nec erigant ceruicem, quia ſociantur eis ad quos foris accedere non audebant:ſed ſurſum cor habeant, & terrena vana non quærant: nec incipiant monaſteria eſſe diuitibus vtilia non pauperibus:ſi diuites illic humiliantur,& pauperes inflantur.Rurſum illi qui aliquid videbantur eſſe in ſæculo, non habeant faſtidio fratres ſuos:qui ad illam ſanctam ſocietatem ex paupertate venerunt. Magis autem ſtudeant non de parentum diuitum dignitate, ſed de pauperum fratrum ſocietate gloriari. Nec extollantur, ſi communi vitæ aliquid de facultatibus ſuis contulerunt, nec de ſuis diuitiis magis ſuperbiant, ſi eas monaſterio partiuntur: quam ſi eis in ſæculo fruerentur. Alia quippe quæcunque iniquitas in malis

lis operibus exercetur, vt fiant: ſuperbia verò bonis operibus inſidiatur, vt pereant. Idem: Qui infirmi ſunt ex priſtina conſuetudine ſi aliter tractãtur in victu, non debet moleſtum eſſe, nec iniuſtum videri eis, quos fecit aliqua conſuetudo fortiores. Nec illos fœliciores putent, quia ſumunt quod non ſumunt ipſi: ſed ſibi potius gratulentur, quia valent quod non valent illi. Et ſi eis qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monaſterium, aliquid alimentorum, veſtimẽtorum, operimẽtorúmve datur, quod aliis fortioribus, & ideo fœlicioribus, nõ datur, cogitare debẽt quibus nõ datur, quantũ de ſua ſæculari vita illi ad iſtã deſcenderint: quãuis vſque ad aliorum qui ſunt corpore fortiores, frugalitatem peruenire non potuerũt. Nec debẽt velle omnes quod paucos vident amplius, non quia honorãtur, ſed quia tollerantur accipe-

In 3 reg. cap. 14.

re,ne contingat deteſtanda peruerſitas, vt in monaſterio, vbi quantum poteſt fiunt diuites laborioſi, fiunt pauperes delicati. In quibuſdam tamen monaſteriis multa circa hæc peruerſitas inuenitur: vt ſcilicet aliqui ibi velint habere abundantiam, qui in ſæculo habuerunt penuriam. Aliqui enim iuxta verbũ Hier. ditiores ſunt monachi, quã fuerint ſæculares: & poſſident opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete diabolo non habuerant. Aliqui etiam delicata ibi quęrũt, qui vix in ſæculo panẽ ſufficienter habebant pro quibus dicit Hier. Natus in paupere domo, in tugurio ruſticano, qui vix milio cibario pane vẽtrẽ rugientẽ ſaciare poterant: nunc ſimilam & mella faſtidiũt. Ibi etiam aliqui volunt honori haberi: qui in ſæculo fuerũt deſpecti. Bernard. Plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui: qui in ſua non

non niſi contemptibiles eſſe potuerunt. Ibi etiam aliqui volunt ſibi nomen facere, qui in ſæculo nullius nominis fuerunt. Bern. Qui antea in ſuo oppido vix cogniti fuerũt, modò circũeuntes prouincias, curias frequentãtes, regũ notitias, & principũ familiaritates conſecuti ſunt. Item aliqui qui in ſæculo ducebant vitã laborioſam, contra conſuetudinẽ ſuã, volunt ducere vitã otioſam, quod nõ ſolum animabus, ſed etiã corporibus eſt nociuum. Vnde medici mittũt ægrotãtes ad conſueta. Miniſtrãda ſunt neceſſaria etiã his qui in ſæculo pauperes fuerunt. Primò vt periculũ acceptionis perſonarũ caueatur, quod peccatũ diſſuadetur. Fratres mei nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Secundò vt murmur & ſcandalum puſillorum vitetur: quod multum timendum eſt. Quicunque ſcandaliza-

Hem 4 ſuper miſſus eſt à med. *Hom. 4 ſuper miſſus eſt. à med.*

Iacob. 2.

Matt. 18. uerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt: expedit vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius. Tertiò propter honorem Chriſti: qui ſibi reputat fieri quod fit pauperi. *Matt. 25.* Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Ad honorem cæleſtis regis facit, quod miniſtris eius ſufficiẽter neceſſaria miniſtrentur. Quartò quia maius eſt meritum in his quæ pauperibus miniſtrantur, quam in his quæ diuitibus miniſtrantur, quia Deus ſolus ad hoc mouet, in his verò quæ miniſtrãtur diuitibus, frequẽter mouet aliud. Vltimò quia bona monaſterij pauperũ ſunt, etiam antequam monaſterium ingrediantur: quanto magis poſtquam ingreſſi ſunt, & in domo Domini laborant? *Luc. 10.* Dignus eſt enim operarius mercede ſua.

Inci

Incipit quinta pars, in qua agitur de infirmis.

CAPVT I.

VLtimò in hoc quinto libro oſtendendum eſt, qualiter ſe debent habere infirmi. Multa verò ſunt quæ ad infirmitatem pertinent, de quibus.XII.tangere ſufficiat.Primum eſt vt attendat, à quo infirmitas detur. II. eſt vt attendat, ad quid datur. III. eſt vt aduertat, quantum donum Dei fuit ſanitas quam prius habuit.IIII.eſt vt cogitet, quanta eſt vtilitas infirmitatis. V. eſt,vt Deo & miniſtrantibus ſibi propter Deum valde gratus exiſtat. VI. vt ſi quem defectum temporalium habet, patienter ſuſtineat. VII. eſt vt expedientia infirmitatis ſuæ potius, quàm delectantia appetat. VIII. vt exempla ſanctorum ad ſui conſolationem

tionem ad memoriam reuocet. IX. vt ſpe euaſionis maiorum malorum & ſpe æternorum bonorum afflictionem ſuam alleuiet. X. vt timorem Domini cordi ſuo infigere ſtudeat. XI. vt aliis comparari addiſcat. XII. vt ſi ei in infirmaria deeſt neceſſitas, habeat in patientia: vitam verò communem in deſiderio habeat, & ceſſante neceſſitate ad eam lætus redeat. Attēdere debet infirmitatem datam eſſe à patre luminū & miſericordiarum, qui nō daret filiis ſuis, niſi quod ſcit eis expedire, & ideo gratāter debet recipere. Ad quod monemur exemplo Saluatoris: Calicem quem

Ioan. 18. dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? Attēdere debet ad quid datur, & ad minus hoc debet intelligere, quòd iumentum videtur cognoſcere cum percutitur, quòd ſcilicet percutitur, vel quia extra viam eſt, & ad viam redit: vel quia nimis lentè incedit,

dit,& greſſum ſuum accelerat. Scrutari debet cõſcientiã ſuã, quẽ Dominus infirmitate percutit, & ſi extra viã paradiſi ſe inuenit, cõpũgi & cõfiteri: ſi verò non inuenit ſe extra viã paradiſi, cogitare debet quòd piger erat ad bene operandũ: & proponere quòd ad bonũ feruẽtior erit. In Pſal. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorũ: poſtea accelerauerũt. Attendere debet quid ei Deus dedit, cum dedit ſanitatẽ: intelligere facit infirmitas, quid valet ſanitas. Qui nunquam fuit infirmus, neſcit quid habet, cùm ſanitatem habeat: ideo nec Deum pro ea debito modo diligit, nec ei gratus exiſtit. Cogitare etiã debet, quãta ſit infirmitatis vtilitas. Illa hoſtem domeſticum debilitat: & ſic hominem interiorem roborat. Bern. Quid mirum ſi hoſte debilitato tu fortior efficeris? Infirmitas corporis infirmitatẽ periculoſiorem ſanat, ſcilicet infirmita

Serm. 29. in Cant. à medio.

firmitatem mentis. Eccl. 21. Infirmitas grauis, ſobriam facit animã. Dicit beatus Gregor. de B. Benedicto, qui propter tentationem carnis poſuit ſe in ſpinis, quòd vulnere carnis, ſanauit vulnera mentis. Idem: Quis neſciat quòd multo melius eſt ardere flammis febrium quàm igne vitiorum? Et tamen cùm febre corripimur, quia vitiorum æſtum qui occupare nos poterat, conſiderare negligimus: de perſecutione murmuramus. Idem: Durum non æſtimes eſſe quod pateris: externis cruciatibus ab interna paſſione liberaris. Item infirmitas virtutem perficit, ſecundum illud: Virtus in infirmitate perficitur. Infirmitas etiã hominem probat. Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tẽtatio probaret te. Probauit me quaſi aurũ quod per ignẽ trãſit. Senec. Nõ in mari tantum, aut in prælio vir fortis apparet: exhibetur etiam & in lectulo

Li. 1. dialog. 2. in med. l. 5. 34 mor. c. 23. circ. med.

1. Cor. 12.

Tob. 12.

Iob 23.

Ex epiſ. 79. à med.

ctulo virtus. Multum etiam eſt vtilis infirmitas. Vnde in vitis patrũ, cùm quidam peteret à Ioanne Heremita, vt ſanaret eum à tertiana. Reſpondit: Rem tibi neceſſariam cupis abiicere. Vt enim corpora ferro à vitio, ita anima languoribus & caſtigationibus purificatur. Et quidam ſenex infirmanti diſcipulo dixit: Ne contriſteris ex infirmitate vel plaga corporis. Si enim ferrum es, rubiginem per ignem amittis: ſi verò aurum es, per ignem probaris, & ad maiora proueheris. Et cùm quidam miles rogaret quēdam virum ſanctum, vt à morbo liberaret eum precibus ſuis. Vir ſanctus audito ab eo, quòd melior eſſet in ægritudine & deuotior, quàm in ſanitate, dixit: Oro Deum vt ſeruet te in quo melior es. Frater multum debet eſſe gratus Deo, & miniſtranti ſibi propter Deum. In monaſterio enim ordinato homines gratis recipiun

T. P. In vita de S. Ioan Aegyptio Heremita.

Simile.

Simile.

cipiuntur, & gratis eis miniſtratur. Non enim qui eis miniſtrat, ab eis miniſterij mercedē expectat: & quaſi ſine merito eorū eis miniſtrat. Etenim ſi laborant, pro æternis eſt labor ille: non pro terrenis. Vnde valde gratum debent habere: quòd Deus gratis fecit eis prouideri. Non eſt principale quod miniſtratur, ſed adiicitur. Hæc omnia adiicietur vobis. *Matt.6.* Victu magis tenui debet eſſe cōtentus, qui expectat mercedem magnā: quam qui expectat nullam. Et ſi aliquem defectum ſuſtineant, patienter debent illud ſuſtinere: cùm Deus ſit monaſterij prouiſor: & illum defectum, medicinalem ſubtractionem debent reparare. Aug. Scit cæleſtis medicus, quid nobis daturus ſit ad conſolationem: & quid ſubtracturus ad exercitationem. Non enim homo ſine cauſa iumento ſuo cibaria detrahit. Non debet ibi eſſe mur-

mur,

mur, quia contra Deum eſſet, qui
prouiſor eſt. Non cõtra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum. *Exo.16*
Vſquequo multitudo hæc peſſima *Nu.14.*
murmurat contra me? Cor debet eſſe
firmum, vt non diſſoluatur abundantia: nec murmuret penuria. Optimũ *He.vlt.*
eſt gratia ſtabilire cor, non eſcis quæ
non profuerũt ambulantibus in eis.
Multum eſt cauendum à murmure
in clauſtro. Murmuratio vna eſt de
duodecim abuſionibus clauſtri. In
vitis patrum dicit abbas paſtor. Qui
queruloſus eſt, monachus nõ eſt. Expedientia magis quã delectantia debet velle. Vnde Aug. in regula ſua: Si *In 3 regul.*
velit, & fortè non expedit: ſuæ cupiditati non eſt obediendum. Idem: *cap 31.*
Vtrum ſanando dolori quod delectat expediat: ſi nõ eſt certũ, medicus
conſulatur. Exemplis ſanctorũ debet
ſe conſolari. Hanc autem tentationẽ *Tob.2.*
ideo permiſit Dominus euenire illi,

vt poſteris daretur exemplum patien tiæ eius: ſicut & ſancti Iob. Et poſt: Non eſt contriſtatus contra Deum, quod plaga cæcitatis euenerit ei: ſed immobilis in Dei timore permanſit, agens gratias Deo omnibus diebus

Iacob. 5. vitæ ſuę. Sufferentiam Iob audiſtis. Greg. Facta præcedentium patrum recolamus: & non erunt grauia quæ

Lib. 4. in lib. regum. in prin. ha bet aliquid tale. tolleramus. Spe euaſionis maiorum malorum debet afflictionem ſuam al leuiare. Magna miſericordia eſt, ꝙ Deus pro malis futuris quæ meruit homo, accipit infirmitates, vel alia mala præſentis vitæ. Tale eſt, ac ſi ille cui debentur marchæ auri & argenti reciperet pro eis fabas, vel lapillos, pro quibus cōputatio facta eſt. Plus enim eſt faba vna reſpectu marchæ argenti: quàm tribulatio præſens reſpectu pœnæ futuræ. Diem pro anno

Eze. 4. dedi tibi. Item conſolari debet magnitudine mercedis. Auguſt. Gaude

ſub

ſub flagellis: quia tibi ſeruatur hæreditas. Illis ad tempus parcit, quos in æternum damnabit. Idem: Non timeas flagellari, ſed exhæreditari. Gregorius: Niſi correctis Dominus dare diſponeret hæreditatem, erudire eos per moleſtias non curaret. Timorem Domini debet cordi ſuo infigere, vt per pœnam quam patitur, pœnam futuram intelligat. Gregor. Si tam aſperè Deus percutit vbi parcit, quàm aſperè percutiet, vbi non parcet? Cogitare debet quomodo poterit ignem ſuſtinere, qui non poteſt ſuſtinere modicum calorem febrilem. Febris enim eſt calor, nō ignis. Item qui non poteſt ſuſtinere ignem in vno digito, quomodo poterit ſuſtinere quòd corpus & anima ſunt in igne grauiori. Item qui non poteſt ſuſtinere ignem ad momentum, quomodo poterit illum ſuſtinere in æternū? Compaſſionem addiſcere debet. Ne-

ſcit infirmus compati, qui infirmitatem paſſus non eſt. Qui omnium habebat notitiam, compaſſionem voluit addiſcere per experientiam. Non enim habemus pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris tentatum autem per omnia. Ceſſante neceſſitate ad communem vitam libenter debet redire. Vnde Aug. in regula ſua dicit de infirmis: Cùm vires priſtinas reparauerint, redeant ad fœliciorem cõſuetudinem ſuam, quę famulos Dei tantò amplius decet, quantò minus indigent: ne cibi eos teneat voluptas, iam vegetatos, quos neceſſitas leuarat infirmos.

Heb. 4.

Paulo ante med.

Finit quintus liber.

Incipit ſextus liber: in quo agitur de quiete mentis.

VLtimò in hoc opere agendum eſt de quiete mentis in Deo: quod eſt excellentiſſimum bonũ in populo Dei: relinquitur ſabbatiſmus populo Dei: Et primò oſtendetur quòd non eſt vera quies mentis extra Deum. Secundò tangetur de multiplici quiete mentis in Deo. Tertiò oſtendentur ea quæ hãc quietem impediunt. Quartò agetur de his quæ ad hanc quietem faciunt. *Heb 4.*

Quòd vera quies mentis non eſt in mundo, ſed ſolum in Deo.

CAPVT I.

CIrca primum notandũ, quòd vera quies mentis non eſt in mũdo: ſed ſolum in Deo. Aug. in lib. confeſ. Domine feciſti nos ad te, & inquietũ

eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. In mundo preſſuram habebitis: in me autem pacem. Non quieſcit mēs in bonis terrenis. Aut enim bonum ſequitur quod non aſſequitur: & ſic non habet requiem. Aut bonum fugiens habet quod retinere vellet, & non valet, vnde non quieſcit. Aut habet bonum ſibi inſufficiens, bonum, ſcilicet contemptibile, vel minimum vnde in eo non quieſcit: ſed ad maius bonum tendit, vel per multa bona diſcurrit. Ber. Ineſt homini ratione vtenti naturaliter pro ſua ęſtimatione appetere potiora: & nullo eſſe contentum, cui illud quod deeſt iudicet præferendum. Idem: Anima ad imaginem Dei facta, cęteris occupari poteſt, impleri nō poteſt. Capacē Dei, quicquid Deo minus eſt, non implebit. Vnde eſt quod naturali deſiderio homo ſummum appetit bonum, nullam niſi eo adepto requiem habiturus.

Ioan. 16.

In libro de diligendo Deo, cap. 3. Super illud Matt. 19. ecce nos reliquimus omnia, &c. parum ante mediū.

turus. Item aliquando habet bonum malo permixtum,bonum noxiũ ſibi, quod poſſeſſum onerat:& maiori bono impedimentum prętat : amatum inquinat:amiſſibile vel amiſſum cruciat : amiſſibile timore, amiſſum dolore. Item aliquãdo bonum quod habet ab alio appetitur : & ſuper eo lis vel bellum mouetur. Rixa enim eſt inter competitores,iuxta verbum Senecæ,ſcilicet inter illos,qui idem terrenum appetunt. Vera quies mentis eſt in Deo qui eſt ſummum bonum, habens omnes conditiones nobiles boni. Eſt etiam bonum honorabiliſſimum ſummè neceſſariũ,vnde menti ſufficientiſsimum , habenti ſuauiſſimum,quod non finitur,nec habenti tollitur : ideo mens in eo quieſcit, nihil vltra quęrens.

Epiſtola 14. circa medium il lius.

Incipit ſecunda pars .De multiplici quiete mentis in Deo.

CAPVT II.

CIrca ſecũdum notãd. quòd multiplex eſt quies mẽtis in Deo: vna pertinet ad vitam futuram: altera ad vitã præſentẽ. Et eſt facilis tranſitus ab vna quiete, ad alterã. Erat ſabbatum ex ſabbato. Ex quiete mẽtis pertinẽte ad ſtatum gratiæ, erit trãſitus ad quietem pertinentem ad ſtatũ gloriæ. Quies verò pertinens ad vitam præſentem, multiplex eſt: quædam eſt purgatæ mentis ſpei magnitudinem, & dilectionis perfectionem habentis. De qua Ber. ſuper Cant. Eſt locus inter timorem & ſecuritatem, mediam ſpes: in quo ſuppoſito molli charitatis ſtratu, mens ſuauiter requieſcit. Etenim cùm mens ipſa formidine pœnæ ſeruiliter præmitur, parum habens de ſpe, de timore plurimũ non eſt pax neque requies: quia timor pœnã habet. Cęterũ ſi paulatim creſcẽte gratia cœperit deficere timor, & proficere ſpes: cùm demũ ad hoc

Iſa 66.

Ser. 51 declinãdo ad finem.

ad hoc ventũ fuerit, vt perfecta charitas foras mittit timorẽ: nónne huiuſmodi anima ſingulariter in ſpe cóſtituta, videbitur hac in pace inidipſum dormire & requieſcere? Menti perfectè Deum timenti, amãti, & multum in eo ſperãti: non deeſt oleum ſuauitatis, ſcilicet, lætitiæ. Ber. loquẽs de vita beata: Non ſolum ipſa vita, ſed & promiſſio vitæ æternæ, & expectatio iuſtorum lętitia eſt: & tãta lætitia, vt omne quod nunc cócupiſcitur, ei nó valet cóparari. Idẽ: Sola ſpes apud te Domine miſerationis obtinet locũ: nec oleum miſericordiæ, niſi in vaſe fiduciæ ponis. Alia eſt quies mẽtis in Deum, quæ paucorum eſt virorũ, ſcilicet contẽplatiuorum, qui in vita có templatiua profecerunt: qui ſibi eripiũtur, & ad ſuperna rapiũtur: & aquilino intuitu diuina cótemplantes, & cœleſtem dulcedinẽ prægustãtes, habent quietem valde ſuáuis tranquil-

Serm 4. ſuper Pſalm. qui hab. ſtratũ ante medium.

Serm. 3. in annuntiation. Domin. ante medium.

litatis, & arram futuræ beatitudinis.

Incipit tertia pars.
De octo quæ impediunt quietem mentis in Deo.

CAPVT III.

CIrca tertium notandũ, quòd octo ſunt quæ quietem mẽtis in Deo impediunt. Primum eſt negotiorum exteriorũ multitudo. Vnde dictũ eſt Marthæ: Turbaris erga plurima. Ait
Luc.10. *Exo.18.* Ietro ad Moyſen: Stulto labore conſumeris: vltra vires tuas eſt negotiũ.
Gloſſa ordin. ibid. *Hi.49.* Gloſ. Aug. vbi videtur mihi ſignificari nimis intẽtum humanis actibus animum Deo, quodammodo vacuari. Secundum eſt ſollicitudo mũdana.
Eccle.34. Præ ſollicitudine quieſcere non potuit. Tertiũ eſt deſideriũ terrenorum. Quaſi qui apprehẽdit vmbrã & perſequitur ventum: ſic qui attendit ad viſa mendacia. Greg. Quid quietius, quàm nihil in hoc mundo appetere: quid

quid laborioſius quam terrenis deſideriis æſtuare? Hinc eſt quòd Iſrael ſabbatum accepit in munere: Aegyptus percutitur muſcarum multitudine. Quartum eſt ſtimulus peccati. Nobilitas mentis naturaliter refugit immunditiam peccati: vnde mens cum ea non quieſcit. Non eſt quies mentis, in ſpinis vitiorum. Non habet quietem anima preſſa onere peccatorum. Non eſt quies mentis, vbi eſt vermis conſcientiæ remordentis: Non eſt pax impiis dicit Dominus *Iſa.57.*
Deus: Impij quaſi mare feruẽs, quod *Ibid.*
quieſcere non poteſt. Quintum eſt timor mali tranſitorij imminentis. Non quieſcit, qui malũ pœnale fugit quod aduenit. Sicut ſecuritas facit ad lætitiã, iuxta illud: Secura mens quaſi *Pro.15.*
iuge conuiuium. Sic timiditas mali pœnalis, facit ad triſtitiam. Sexum eſt impatientia mali pœnalis pręſentis. Non quieſcunt, qui ſuſtinent malum

lum quod odiũt. Aliter eſt de illo qui malum pœnale intelligit eſſe bonum expediens ſibi, quod a ſummo bono venit, & ad ſummum bonum ducit,

Libr. 26. mor. cap. 9. ad ſenſum.

iuxta illud Gregorij: Mala quæ nos hic præmunt, ad Deum nos ire compellunt. Et ideo non ſolum patienter ſed etiam libenter & lætanter illud accipit & ſuſtinet: tanquam donum ſalubre à patre miſericordiarum ſibi miſſum, exemplo illius, qui dicit Petro: Calicem quem dedit mihi Pater,

Ioan. 18.

non vis vt bibam illum? In tali, malum pœnale mentis quietem non impedit. Septimum eſt immoderatus timor cadendi in peccatum: qui impedit ſpem, & per conſequens ſubuentionem & adiutorium diuinum. Sicut ſpem comitatur Dei adiutorium & lætitia: ſic eius contrarium, defectus diuini adiutorij & moleſtia.

Ser. 9. ſuper Pſal.

Bernardus: Quando in ſe ſperanti deſit illa maieſtas, quæ tã ſtudioſe hortatur

tatur in ſe ſperare? Planè non derelinquet ſperantes in ſe. Adiuuabit, inquit, eos & liberabit eos. Quare? Quibus meritis? Quia ſperauerunt in eo. Dulcis cauſa attamen efficax & irrefragabilis. Octauum eſt timor immoderatus dãnationis, qui ſpem gloriæ impendit: quæ ſpes requies eſt amicorum Dei in præſenti. Bernardus: In ſpe viuimus, ne deficiamus in tribulatione præſenti, qui in expectatione ſumus indefectibilium gaudiorum. Neque enim vana nobis expectatio, vel dubia ſpes veſtra innixi æternæ promiſſionibus veritatis.

qui habitat à med.

Ser. 7. ſup. Pſal. qui habitat. in princip.

Incipit quarta pars, in qua agitur de his quæ faciunt quietem mentis in Deo.

Quòd

Quòd ſex ad dictam quietem diſponunt.

CAPVT I.

CIrca quartum notandum quod eadem via eſt ad quietem mentis in Deo, quæ ad pacem. Vnde illa
Mat. 5. quæ Saluator docet, Diſponentia ad pacem pectoris: diſponunt etiam ad quietem mentis. Ad eundem enim ſtatum pertinent pax, & quies mentis. Cùm enim mens naturaliter malum fugiat, & bonum appetat, quando malum euaſit, & bonum optatum ſibi ſufficiens obtinuit, pacem & quietem habet. Pacem, quia non habet repugnans. Super Matth. 5. dicit
Gloſ. ordi. ibi. gloſſa: Vera pax eſt, vbi nihil repugnat. Quietem, quia habet bonum quod optauit, vltra quod nihil quærit: vnde in eo quieſcit. Primum ergo diſponens ad pacem, & quietem mentis eſt paupertas ſpiritus: quæ

quæ eſt temperantia concupiſcibilis reſpectu boni contemptibilis. Poſſeſſor & amator terrenorum non habet pacem pectoris, nec quietē mentis. Sonitus enim terroris ſemper in auribus illius: & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur: Auarus etiam non implebitur pecunia. Secundum eſt, manſuetudo, quę eſt temperantia iraſcibilis reſpectu mali. Vnde in Pſal. dicitur de manſuetis: Delectabuntur in multitudine pacis. *Iob 15.* *Eccle. 5.*

Tertium eſt gratia lugendi, qua homo malum culpę diluit, & malum pœnæ ſalubrè eligit & diligit: & per ipſum malum culpæ deſtruit. Et hęc tria pertinent ad euacuationem mentis à bono minimo, maioris boni impeditiuo, & à malo: quam euacuationem ſequitur verorum bonorum repletio. Poſtquam enim mēs purgata eſt, & ſanata, rectè appetit, & rectè afficitur. Vnde vera bona diligit, & malis

proximi compatitur,& per hoc in operibus actiuè exercetur, & ſic ad opera contemplatiuè diſponitur. Iſidorus in lib. de ſummo bono, loquens de vita actiua ait: Qui prius in hac vita proficit: bene ad contemplationē aſcendit. Gregorius: Qui ad arcē contēplationis aſcendere deſiderat, prius neceſſe eſt, vt in campo actionis ſe exerceat. Prius introducta eſt Lya ad Iacob, quam Rachael: licet Iacob aliter ſperaret. Gen. 29. Quartum eſt eſuries iuſtitiæ: & Quintū miſericordia. Sextum verò eſt munditia cordis, qua quis omnem inquinationem abhorret & fugit: & puritatem ſtudioſe & diligenter cuſtodit. Aliud enim eſt efficere, aliud tenere puritatem, vt ait Auguſt. Poſtquam homo habet cordis munditiam, intellectus eius velut ſpeculum terſum & politum ſuſceptibilis eſt ſupernæ illuminationis: & affectus purgatus & ſanatus, in
Ho. 14. in Ezech. à med. & 6. mor. ca. 27. 28.

preſen

præſentia ſummi boni ſuauiter quieſcit.

De tribus quæ valent ad quietem mentis in Deo.

AD quietem mentis in Deo ſpecialiter valent tria opera ad vitam contemplatiuam pertinẽtia, ſcilicet oratio, lectio, & meditatio. Hęc tria amorem Dei, cui contemplatiua intendit, nutriũt: & ad perfectionem perducunt. In libro de vita ſolitaria. Amorem Dei in homine ex gratia genitũ lectio lactat, meditatio paſcit, oratio confortat & illuminat. De his per ordinem agetur. Et primo de oratione. Circa quam primo oſtẽdetur, quòd ad quietem mentis in Deo valeat. Secundo commẽdabitur: Deinde oſtendetur, quando & vbi, & quomodo ſit orandum. Vltimo tangetur de ſpeciebus orationis.

Poſt mediam lib. & habetur apud Ber.

Quòd oratio ad quietem mentis in Deo valeat.

CAPVT II.

CIrca primum notandum, quòd oratione, Spiritus ſanctus inuocatur, qui intellectum ad diuina illuminat: & affectum in Deum inflammat. In Pſal. Os meum aperui, & attraxi ſpiritum. Intellectus verò illuminatus quieſcit in prima veritate: affectus inflammatus in ſumma bonitate. *1 mor. c. 3. hab ur aliquid.* Item cum ſecundum Gregor. opus quod agimus, oratione præuenire debeamus: maxime opera excellentia oratione ſunt præuenienda: vt eſt diuinorum ſpeculatio, & futuræ dulcedinis prægustatio. Item cum ſummum bonum ſupra nos ſit, non poteſt homo eo frui, niſi ſupra ſe mẽtaliter aſcẽdat: ſupra ſe verò non poteſt aſcendere, niſi per virtutem ſuperiorem eum eleuantem. Vnde neceſſaria eſt ad hoc oratio, qua auxilium diui

diuinum imploretur, & impetretur. Ideo Pſalmiſta: Spiritus ſancti ſecretarius à Deo in ſpeculatione diuinorũ frequẽter adiutus, dicit: Beatus vir cuius eſt aux liũ abs te: aſcẽſionis in corde ſuo diſpoſuit, &c. Secundum Ioannẽ Damaſcenũ. Oratio eſt aſcẽſus intellectus ad Deum. Intellectus ſpeculatiuus ad Deũ aſcendit, cum à cõſideratione humanorũ defectuum ad conſideratione boni ſufficientiſſimi & potentiſſimi ſupra illos defectus trãſit. Qui vult orare, primò defectus ſuos debet cõſiderare: deinde ad Dei liberalitatem aſcendere, quæ illos poteſt ſupplere. Intellectus practicus aſcendit deſiderio, & ſperãdo ſcilicet deſiderium ſuum à Dei liberalitate impleri. Oratione mens tranquillatur: Si diluculo conſurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus, ſi mundus & rectus inceſſeris, ſtatim euigilabit ad Lib. 3. c. 24 Iob 8.

te, & pacatum reddet habitaculum iuſtitiæ tuæ. Conſolationes diuinæ in oratione dantur. Qui adorat Deũ, in oblectatione ſuſcipietur: Ieſu orãte apertum eſt cœlum: Aſcendit Ieſus in montem vt oraret. Et facta eſt dum oraret, ſpecies vultus eius altera, & veſtitus eius albus & refulgens.

Eccl. 35. *Luc. 3.* *Luc. 9.*

De commendatione orationis.

CAPVT III.

SEquitur de commendatione orationis, ad quam poſſe ſufficere videtur, quod Saluator ad orandũ tantum monuit: & circa orationem tam diligenter inſtruxit. Etiam ipſemet orationi frequẽter intentus fuit. Ammonitiones ipſius ad orandum multas habemus in Euangelio: Petite, & dabitur vobis. Vigilate in omni tempore, orantes: Vigilate & orate. Petite & accipietis. Apoſtoli etiam diuinitus

Luc. 11. & 21. *Mat 26.* *Ioan. 16.*

nitùs edocti multum monebant ad orandum: Orationibus inſtantes: Sine intermiſſione orate. Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo. Triſtatur aliquis veſtrum, oret. Vigilate in orationibus. Circa orationem Saluator diligenter inſtruxit. Vix eſt aliquod opus, ad quod ita diligenter inſtruxerit. Docuit enim quid orandum, quando, & vbi, & qua neceſſitate, & quo fine. Quid orandum. Primum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius. Item cum Dominicã orationem docuit: Quando orãdum: dicebat & parabolam ad illos: quo modo oportet ſemper orare, & non deficere. Vbi orandum: Cum oraueris, intra in cubiculum tuũ: & clauſo oſtio, ora patrẽ tuũ in abſcõdito: Qua neceſſitate orandum: Orate ne intretis in tentationem. Quo fine: Cùm oratis, non eritis ſicut hypocritæ. Noluit Saluator nos negligenter ad-

Rom. 12. 1. Theſ. vlt. Iac. 1. & 5. 1. Pet. 4.

Mat. 6.

Ibid. Luc. 11. & 18. Matt. 6.

Luc. 22. Matth. 6.

diſcere: quod adeò voluit diligenter docere. Verecundum eſt diſcipulis Chriſti ignorare, quod magiſter eorum diligentiſſimè docuit: Ipſe Saluator frequenter orationi intentus

Matt. 14. & 26. fuit. De eius oratione habes: Dimiſ-
Matt. 1 ſa turba aſcendit in montem ſolus
Luc. 6. & 22 & 23. orare: Sedete hic, donec vadam illuc & orē. Diluculo valde ſurgens, egreſſus abiit in deſertum locum, ibiq́ue orabat. In illis diebus exiit in mōtem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Factus in agonia, prolixius ora-
Ioan 12. bat: Pater dimitte illis, &c. Pater ſal-
Ioan 17. uifica me in hac hora. Item: multum habetur de eius oratione. Apoſtoli etiam ab eo edocti multum inſtite-
Act. 1. & 6. runt orationi. Erant omnes perſeuerantes in oratione. Item dixerunt Apoſtoli: Nos orationi inſtantes erimus. Legitur de Iacobo Alphæi, quòd ex aſſiduitate orandi contraxerat in genibus ſuis duritiem camelorum.

rum. Bartholomęus centies in die, & centies in nocte ante Deum genua flectebat. Verecundum eſt diſcipulis Chriſti illud opus raro facere, quod magiſter eorum tantum frequentauit. Paulus etiam non contentus propriis orationibus, alios pro ſe orare rogabat: Obſecro vos fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, & per charitatem ſancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me ad Deũ. Ipſe in orationibus aliorum multam ſpem habebat: Scio quod hoc mihi proueniet ad ſalutẽ, per veſtram orationẽ. Item ad commendationem orationis facit, quod ipſa his qui ſunt in iſta valle miſeriæ valde eſt neceſſaria: Deo & cæleſti curiæ valde accepta, operatio eſt omnibus communis, valde nobilis, & magnæ virtutis. Neceſſaria eſt valde & competens loco in quo ſumus: vbi pugnã habemus cum eo, de quo

Rom 15.

Phil. 1.

Iob 41. ſcriptum eſt: Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei. Ideo frequenter habemus neceſſe orando, Dei auxilium inuocare. Cum ſimus in valle miſeriæ, neceſſe habemus ad Dei miſericordiam orando frequenter recurrere. Tria ſolent eſſe cauſa clamandi hominibus, ſcilicet ignis, aqua, & hoſtes. Hæc tria quaſi ſingulis diebus incitare nos debent, vt ad Deum in oratione clamemus. Vix eſt dies, in quo domus conſcientiæ noſtræ non ſuccendatur igne infernali, ſcilicet igne concupiſcentiæ prauæ. Vnde neceſſe habemus ad aquam diuinæ gratiæ, & ad aquã lachrymarũ recurrere. Ignis iſte aliquãdo cùm ex vna parte extinguitur, ex altera accenditur. Et ipſa enim aqua lachrymarum, vnde extingui debuit, quandoque vires ſumit: vt cùm aliquis vanè gloriatur de hoc quod pro peccatis ſuis lachrymatur. Item vix eſt dies

in

in qua homines non ſentiant fluctus malarum cogitationum ſuper caput cordis, vt propter hoc neceſſe habeãt clamare illud. Domine ſalua nos, perimus. *Matth. 8.* Vix eſt etiam dies, in qua hoſtes ſuos nõn videant ad portam caſtri ſui, vt cùm verba mala in ore habent: vel fatuas mulieres vident. Valde grata eſt oratio deuota cæleſti curiæ: quam quaſi quædam redolentia delectat, iuxta illud: Habebant phialas aureas plenas odoramentorum, *Apoc. 5.* quæ ſunt orationes ſanctorum. Operatio iſta omnibus communis eſt: nullus ab ea poteſt ſe excuſare. Si dicatur alicui quod det eleemoſynam, poteſt excuſare ſe, cùm non ſemper habeat homo argentum in burſa. Si dicatur alicui quod ieiunet, poteſt excuſare ſe: cùm multi propter debilitatẽ capitis ieiunare nõ poſſint. Sed nõ ſic eſt de oratione: cũ quilibet poſ ſit habere orationẽ, ſaltẽ mentalem,

etiam ſi ſit mutus. vnde Dauid: Apud me oratio. Et ſuper illud Pſal. Iuſtus autem miſeretur & tribuet. dicit Gl. Semper eſt aliquid iuſto quod det: ſaltem orationem. Chryſoſtomus: Solam orationem quaſi tributum offert anima Deo de ſuis viſceribus. Valde nobile opus eſt oratio. Multa ſunt opera quæ aliquibus cederent in dedecus, vt arare vel fodere: ſed orare Deum nulli quantumcunque nobili cedit ad dedecus, quia cum oramus, ipſi cum Deo loquimur, quod ſine dubio honor eſt. Iſid. Qui vult cum Deo frequenter eſſe, oret & legat. Nam cùm oramus, ipſi cum Deo loquimur, cùm verò legimus, Deus nobiſcum loquitur. Ad nobilitatē huius operis facit, quod orationes noſtræ ab angelis Deo offeruntur: imò quod plus eſt, Chriſtus qui inquantum homo eſt, ſummus ſacerdos illas offert Deo patri, quæ præſen

Gloſ. interlin.

ſentatio multũ facit eas valere. Quomodo enim à Deo cõtẽnetur, quod à tãto mediatore ei præſentatur: Quãdo orabas cum lachrymis: ego obtuli orationẽ tuã Domino. Ad nobilitatẽ etiã ipſius facit, quod ipſa eſt reſpectu eius quod ſupra nos eſt. Vnde dignior eſt quã ieiuniũ & eleemoſyna: quæ ſũt reſpectu eius quod eſt iuxta nos, vel infra nos. Ei ieiuniũ & eleemoſyna ſeruire vidẽtur. Sũt enim duæ alæ ipſius. Vnde Iſidorus: Qui vult orationẽ volare ad Dominũ, faciat illi duas alas, ieiuniũ & eleemoſynã. Tobiæ 12. Bona eſt oratio cum eleemoſyna, & ieiunio. Magnæ virtutis eſt oratio: quæ non ſolum poteſt in terra, ſed etiam in cælo. Greg. Magna virtus orationis, quæ effuſa in terra, in cælo operatur. Vnde ſuper illud Pſal. Intret oratio mea in conſpectu tuo Domine: dicit Gloſſ. Magna virtus puræ orationis hic notatura

Tob. 12.

Gloſſ. ord. ibi in Pſal. 87.

tatur:quæ quaſi perſona quædam ad Deum intrat: & mandatum peragit, quo caro peruenire nequit.Bern. Eſt oratio nuncius fideliſſimus,notus regi,& toti curiæ:qui in ſecreto noctis ſilentio,per occultas ſemitas,arcana cæli penetrare, & miſerabili ſupplicatione veri regis animum flectere, & laborantibus opem ferre ſolitus eſt.Oratio cælum claudit & aperit:vt patet in oratione Heliæ:Multũ enim

3.Reg 17. *Iac.vlt.* valet deprecatio iuſti aſſidua. Helias homo erat ſimilis nobis paſſibilis, & oratione orauit,&c.Oratio in Deum poteſt. Ipſa eſt vt ſcutum ab ira Dei

Sap.18. protegens,& iræ eius reſiſtens. Properans homo ſine querela deprecari pro populis,proferens ſeruitutis ſuæ ſcutum orationem: & per incenſum deprecationem allegans reſtitit iræ.

Hier.7. Noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem & orationem, & non obſiſtas mihi. Oratio quodam

dammodo tenet Deum. Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos. Non eſt qui inuocet nomen tuum: qui cõſurgat & teneat te. Oratio poteſt in diabolum, eum fugando & cruciando. Hoc genus dæmoniorum non eiicitur niſi per orationem & ieiunium. In vita. B. Bart. legitur, quòd clamabat quidam dæmonio plenus: Bartholomæe apoſtole Dei, incendunt me orationes tuæ. Oratio in bello corporali & in ſpirituali triumphat. Cum leuaret manus Moyſes, Iſrael vincebat. Memores eſtote Moyſi ſerui Domini: qui Amalech nõ ferro pugnãdo, ſed precibus ſanctis orãdo deiecit. Gloſ. Plus valet vnus ſanctus orãdo: quã innumeri peccatores præliando. Oratio ſancti cælũ penetrat: quomodo hoſtes in terra non vincat? Iſid. Hoc eſt remedium eius qui viciorum tentamentis æſtuat, vt quoties quolibet tangitur vitio, toties

Exod. 32. *Iſai. 64.* *Matth. 17. & 9.* *Exod. 17.* *Iudic. 4.*

ties ſe ad orationem ſubdat: quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit. Oratione ſanantur non ſolũ morbi corporales: ſed etiam

Iac. vlt. ſpirituales, quod maius eſt. Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros eccleſiæ, & orẽt ſuper eũ. Et ſi in peccatis eſt, dimittentur ei. Hier. Ieiunio ſanantur peſtes corporis: oratione peſtes mentis. Vltimò refugiũ

Par. 20. eſt oratio. Cum alia remedia deſunt, remediũ orationis nõ deeſt. Cũ ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolũ habemus reſidui, vt oculos noſtros ad te dirigamus. Virtus orationis valet omni tempore, & omni loco & omni ſtatu. Orare enim poſſumus & hyeme & æſtate, in ſereno & pluuiali tempore, nocte & die, feſtiuis diebus & nõ feſtiuis. In infirmitate, & ſanitate: in iuuẽtute, & in ſenectute: ſtãdo & eundo: in domo, & extra domum. Multũ eſt amãdum tale officiũ, quod

non

non recipit impedimentum. Bern. Oro vos fratres, vt ſemper habeatis ad manum tutiſſimũ orationis refugium. Nemo veſtrũ parui pẽdat orationem ſuam: vt ipſe ad quem oratis, non paruipẽdat eam. Prius quã exeat de ore veſtro, ſcribi eam iubet in libro ſuo: & vnum ex duobus indubitanter ſperare poſſumus : quòd vel dabit quod petimus, vel quod nobis nouit vtilius. Nos enim quid oremus ſicut oportet, neſcimus, ſed miſeretur ille ſuper ignorantia noſtra, & orationem benignè ſuſcipiens, quod omnino nobis non eſt vtile, aut non tam cito dare neceſſe eſt, minimè tribuit. Oratio tamen infructuoſa non erit, quandoquidem de te tanta cura eſt Deo tuo, vt quoties quæris quod tibi inutile eſt, non te audiat, ſed mutet illud vtiliori dono. *In med.c.5 in die.*

Quando ſit orandum.

CAPVT IIII.

Con

COnſequenter oſtendendum eſt, quando orandum ſit. Oſtendit autem ipſa veritas, quòd ſemper orare oporteat. Oportet ſemper orare, & non deficere. Vigilate omni tempore orantes. Idem oſtendit apoſtolus: Sine intermiſſione orate. Nõ debet miles Chriſti ſcutum deponere, dum bellum durat. Bellũ durat, dum durat vita præſens: quia militia eſt vita hominis ſuper terrã. Item: Dum durat periculum, neceſſarium eſt Dei adiutorium: & ideo in oratione eſt inuocãdũ. Dum durat miſeria, orãdo inuocãda eſt Dei miſericordia. Si fieri poſſet, ſẽper eſſet orandũ. Sed quia alia negotia hoc nõ permittunt, præmittẽda eſt oratio operibus noſtris, & etiam intermiſcẽda. Hier. ad Paul. In principio cuiuſlibet operis præmitte Dominicam orationem: & ſignũ crucis in frõte. In lib. de vita ſol. Hauriendus eſt ſæpè delectationis ſuæ

Luc 18. & 21.

1. Theſſ 5.

Aliquantulum ante medium libri, apud Bern.

ſuæ affectus: & formanda oratio quę lectionē interrumpat. Hiero. Orationi lectio: lectioni oratio ſuccedat. Breue videbitur tēpus, quod tantis tēporum varietatibus occupatur. Magnam partem fidelium vitæ oratio & gratiarum actio deberent occupare. Oratio deberet præcedere opera: gratiarum actio ſequi. Cùm vidētur mala in te, vel in alio, eſt orandum: cum videntur bona, gratiarum actio debet perſonare. Vnde pòſt illud: Sine intermiſſione orate. Subdit apoſtolus: In omnibus gratias agite. In lib. de vita ſol. Charitas tot modis vel in oratione, vel in gratiarum actione in Deum ſe iugiter effundit: quod in ſuis vel neceſſitatibus, vel cōſolationibus proximi, etiā vel compaſſionibus, vel gratulationibus, cauſales ad hoc materias inuenit pius affectus. Orationi præcipuè intēdendū eſt, vel cum maior eſt neceſſitas, vel maior

Poſt medium libr. habetur apud Bern.

T

opportunitas. Maior neceſſitas eſt, vt cum aliquam gratiam à Deo accepimus. Tunc enim inſtandum eſt apud eum qui dedit, vt eam nobis conſeruet. Quia, vt ait Gre. Cito bonum amittitur, niſi à largiente cuſtodiatur. Quantò aliquis plus habet quod poſſit amittere: tātò magis ſollicitus debet eſſe de conſeruatione, & pro eo
Luc. 3. orare. Ad inſinuandum hoc Saluator poſt ſuſceptionem baptiſmi, orationi ſe dedit. Itē neceſſitas orādi eſt, cū aliqua ardua opera facturi ſumus: i-
Luc. 6. deo Domin⁹ lectur⁹ Apoſtolos, orationē pręmiſit. Neceſſitas etiā orādi eſt alicui, cū imminet tribulatio, vel ſibi vel proximo. Vnde Domin⁹ imminēte paſſione ſua, ter orauit, & ora-
Mat 26. Luc 22. tionē multū protēdit. Factus in ago-
Mat 14. nia, prolixius orabat. Et legitur, quòd aſcēdit in mōtē orare. Et innuitur cauſa illius orationis, cū ſubditur. Nauicula autem in medio mari iactabatur
fluctibus.

fluctibus. Circa opportunitatē orādi notandū, quòd in lib. de vita ſol. Oſtē-
Aliquantulum ante med. lib. apud Ber.
dūtur tres horæ multū opportunæ orationi, his verbis: Extra illas horas de quib⁹ ait propheta, Septies in die laudē dixi tibi, &c. matutinum, ac veſpertinū ſacrificium, ac mediç noctis maximè eſt obſeruandū. Non enim fruſtra ait propheta: Mane aſtabo tibi & videbo, ſcilicet quia tunc à curis ſæcularibus ſumus ieiuni. Et dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Eleuatio manuum mearū ſacrificium veſpertinum, quia tunc ab huius mundi impedimentis iam quodammodo ſumus digeſti. Qui etiā in nocturnis vigiliis noſtris, quibus media nocte ſurgimus ad confitendum nomini tuo Domine: confeſſionis eiuſdem ordinem contexens: In die, inquit tribulationis meæ, Deum exquiſiui manibus meis nocte coram eo. Et alibi: Media

noƈte ſurgebã ad confitendũ tibi. Ad orandum mane monemur exemplo
Matt 1. Chriſti: Diluculo valde ſurgẽs Ieſus, egreſſus abiit in deſertum locum, ibique oraba:. Ad orãdum veſpere. Vbi
Mat. 14. ſic legitur: Dimiſſa turba aſcendit in montem ſolus orare. Veſpere autem facto, ſolus erat ibi. Ad orandum no-
Luc. 6. cturno tempore. Vbi legitur, quod erat pernoctans in oratione Dei.

De ſeptem horis canonicis.

CAPVT V.

ITem notandum quòd ſecundũ conſuetudinẽ aliquarum religionum, octo ſunt horæ canonicæ: in quibus ſpecialiter laudi diuinæ & orationi vacandum eſt, ſcilicet, matutinæ laudes, quæ diuiſim ab aliis in principio auroræ ab eis dicuntur. Hanc diſtin-
Cap. 16. ctionẽ horarum tradit B. Benedictus in regul. ſua, oſtendens ſic faciendum eſſe, exemplo Dauid dicentis: Media

noƈte

noćte ſurgebam ad confitendum tibi. Et hoc quantum ad matutinas primas. Et iterum: Septies in die laudem dixi tibi: quantum ad alias ſeptem horas. Secundum vſum cõmunem ambæ matutinæ ſimul dicuntur, & pertinent ad vnam horam, & ſic ſunt 7. horæ canonicæ in die naturali. Vna in nocte & ſex in die: His horis leguntur ſancti laudi diuinæ & orationi vacaſſe. Vnde Dauid: Media nocte ſurgebã, &c. Ecce hora matutina. Idem: Veſpere, & mane & meridie narrabo & annuntiabo, &c. Ecce aliæ tres horæ, veſpere, prima, & ſexta. In tertia verò orabant apoſtoli, cum ſpiritum ſanctum receperunt. Petrus verò & Ioannes aſcendebãt in templũ ad horam orationis nonam. Circa ſeptimam horam quæ dicitur completoriũ, dicitur Chriſtus oraſſe ad Patrem in die cœnæ. Horę iſtę inſignitę ſunt quibuſdam operibus excellentibus, *Act. 2.* *Act. 3.* *Ioan. 17.*

ad redemptionem noſtram pertinentibus. Nocte natus eſt Saluator: prima hora diei ſurrexit: & circa tertiam ſpiritum ſanctum miſit: circa ſextam cœlum aſcendit: circa nonam mortuus eſt in cruce: circa vndecimam, id eſt, veſpere, corpus ſuũ & ſanguinem

Matth. 20. diſcipulis in ſacramento tradidit. Sex horæ diei oſtenduntur nobis. Vbi legitur quòd paterfamilias miſit operarios primo mane: & tertia, & ſexta, & nona hora: ſimiliter vndecima, id eſt, veſperæ. Duodecima verò hora ad mercedem vocauit ſeruos: quod pertinet ad completorium. Et licet in omnibus horis inſtandum ſit laudi diuinæ & orationi: tamen ſpecialius in tribus, ſcilicet, in matutinis, prima & completorio.

Quòd valde laudabile eſt libẽter ad matutinum ſurgere. CAP. VI.

VAlde laudabile eſt ad matutinũ ſurgere: & de nocte diuinę laudi inten

intendere. Ad hoc monemur exẽplo ſanctorum animalium, quæ non habent requiem die ac nocte, dicentia: Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus omnipotens. Dicitur de custodibus. Tota die & nocte perpetuo non tacebunt laudare nomen Domini. Item: Conſurge, id eſt cum aliis ſurge, lauda in nocte. Dauid occupationibus regiis intentus, non dimittebat quin media nocte ſurgeret ad confitẽdum Domino. Legitur quòd Paulus & Silas media nocte adorantes laudabãt Dominũ. Artifices pro lucro tẽporali & terreno laborantes, magna parte noctis vigilant, iuxta illud: Omnis faber & architectus noctem tanquam diem tranſigit. Vnde valde verecundum eſt, cum aliquis piger eſt ad nocturnas vigilias ſuſtinẽdas pro ęterna mercede. Refert Hier. Demoſthenem dixiſſe ſe omnes artifices vigiliis pręueniſſe. Ad vigilias

Apoc. 4. *Iſa. 62.* *Tren. 2.* *Act. 16.* *Eccle. 38.* *2. Cor. 6.*

incitat nos Paulus.dicens:In omnib⁹ exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros in vigiliis. Valde cõueniẽs eſt, vt nocturno tempore, quando Deum inhonorant mali, boni Deum glorificent & laudent. Tẽpus nocturnum opportunum eſt operibus contẽplatiuè, ſecundum illud Pſal. In die mãdauit Dominus miſericordiã ſuã, id eſt, opera actiuè, & nocte cãticum eius, id eſt, opera contẽplatiuè. In nocte recipiuntur conſolationes diuinę ſecundũ illud: Qui dedit carmina in nocte. Ad benedicẽdũ Deũ in nocte, monet Dauid, dicens: In noctib⁹ extollite man⁹ veſtras in ſancta: & benedicite Dominum. Benedicite noctes & dies domino. Ad ſanitatem etiam corporalem valere poteſt, quod aliquis ad matutinas ſurgit. Occaſio eſt enim vt natura purgetur.

Iob 35.

Dan. 3.

Quòd valde reprehẽſibile eſt non ſurgere ad primam. CAP. VII.

Item

ITem valde reprehenſibile eſt, non ſurgere ad primam,cum aliquis ex pigritia prima hora diei laudi diuinę & orationi non intẽdit. Surgunt ſcelerati mane:vt ſcelera ſua perpetrent, ſecundum illud:Mane primo conſurgit homicida: Item præueniunt aues ortum ſolis cantu ſuo. Valde ergo verecundum eſt ſeruis Dei, ſi pigritia eos detineat: vt diuinę laudi prima hora diei non intendant. Amb. de officiis: Quis Chriſtianus non erubeſcat ſine pſalmorũ modulatione diẽ tranſigere:cùm minutiſſimę aues ortum diei prȩueniunt. Surgebat Dauid ad Dei laudem cum inſtrumentis muſcis in mane,vnde dicebat:Exurge pſalterium & cythara:exurgam diluculo. In prȩcordiis meis mane vigilabo ad te. Saluatorꝫ mane ibat ad locum orationis. Diluculo iterum venit in templum. Hora illa opportuna eſt deſtructioni viciorũ. Iam

Iob 24.

Iſa. 26.

Ioan. 8.

Exo. 14.
Figura.

aduenerat vigilia matutina: & ecce reſpiciēs Dominus ſuper caſtra Aegyptiorum, interfecit exercitum eorum. Hora illa attendendum eſt, quātum peccatum diſplicet Deo: & quātum periculum ſit manere in eo. Dauid. Mane aſtabo tibi, & videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Hoc apparet, ſi pœnę conſiderentur propter peccatum inflictæ. Item illa hora opportuna eſt diuinæ

Prou 8. eruditioni. Qui mane vigilauerint ad me: inuenient me, dicit ſapientia:

Iſa. 50. Mane erigit mihi autem, vt audiam eum quaſi miniſtrum. Item hora iſta

Iob 8. eſt opportuna exauditioni. Si diluculo conſurrexeris ad Deum, & omnipotentem deprecatus fueris, ſtatim

Eccle. 39. euigilabit ad te. Iuſtus cor ſuum tradidit ad vigilandum diluculo: & in cōſpectu altiſſimi deprecabitur. Pſal. Mane exaudies vocem meam. Idem: Mane oratio mea præueniet te. Con

ſueue

ſueuerunt diuites eleemoſynam dare pauperi, qui primo eis mane occurrit: Oportet præuenire ſolem ad benedictionem tuam: & ad ortum lucis te adorare. Itẽ illa opportuna eſt contemplationi: Mane videbitis gloriam Domini. Illa hora dulcedo Spiritus ſancti impetratur. Filij Iſrael mane colligebant manna. *Sap. 16.* *Exo. 16.* *Exod 16. Figura.*

Quòd vtile ſit intereſſe completorio.

CAPVT VIII.

ITem multum cauendum eſt ſeruo Dei, qui eſt in religione, ne abſque neceſſitate deſit à cõpletorio. Hora illa tranſeundum eſt ab operibus actiuè, quę habẽt turbationem, ſecundum illud dictum Marthę: Turbaris erga plurima: ad opera cõtemplatiuè quę habent pacem & trãquillitatem. Vnde tunc cãtatur illud: Nunc dimittis ſeruũ tuum Domine ſecundũ verbũ tuũ in Pace. Hic trãſit⁹ gratus dẽt eſſe

eſſe ſeruo Dei:nec debet prolongare quæ ſunt actiuè & differre & dimi-nuere quę ſunt contemplatiuè.In iſta hora dimittenda eſt collocutio humana pro locutione diuina.Hora iſta inchoandum eſt ſilentium: quod vir religioſus debet habere in deſiderio. Auguſt. Loquela ſit in neceſſitate:
Eccle 3. taciturnitas in iocunditate. Tempus tacendi & tempus loquendi. Hac hora reuocandus eſt ſpiritus ab exterioribus ad interiora. Vnde in principio completorij dicitur: Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, ab exterioribus ſcilicet ad interiora. Sicut reprehenſibile eſt in viro religioſo, ſine neceſſitate tempore completorij in villa morari, & tardè ad domum ſuam corporalem redire: Sic reprehenſibile eſt in eo, ſpiritum ipſius nimis tardè ad domum ſpiritualem venire:Hac hora pręparandus eſt locus: in quo ſpiritus cum Deo quieſcat,

ſcat, ſcilicet pax & trãquillitas: Si dedero ſomnum oculis meis: & palpebris meis dormitationẽ. Et requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. In pace factus eſt locus eius. Reprehenſibilis eſt, qui regi gloriæ negligit vel nimis differt lectum pręparare. Sapienter ſe debet habere vir religioſus hora iſta, quę eſt finis diei. Tunc enim corrigenda ſunt: ſi quę in die inſipienter facta ſunt. Reprehenſibilis eſt ſpecialiter inſipientia in fine diei: ſicut & in fine vitæ, quæ multum periculoſa eſt. Vnde hac inſipientia auari ſpecialiter loquitur, dicens: In nouiſſimo ſuo erit inſipiens. Seruus Dei in fine diei debet cogitare de fine vitæ ſuæ: qui ſibi incertus eſt. Forſitan finis diei erit finis vitæ: quia in nocte mori poterit. Ideo debet videre, an ad finem vitæ ſuæ ſit paratus: ad quem ſemper paratus

Pſal. 4.

Hier. 17.

ratus debet eſſe, ſecūdum illud: Eſto-
Luc. 12. te parati, quia qua hora non putatis,
filius hominis veniet. Secūdum Aug.
Si Deus promittat homini peccato-
rum remiſſionem: nō tamen promit-
tit ei craſtinum diem. In iſta hora de-
bet ſe ſeruus Dei præmunire contra
inſultum diaboli. Vnde ante comple
torium legitur illud: Vigilate, quia
aduerſarius veſter diabolus, tāquā leo
rugiens circuit quærens quem deuo-
ret. Et in fine cōpletorij dicitur in o-
ratione. Viſita quęſum⁹ Domine ha-
bitationē iſtā, & omnes inſidias ini-
mici ab ea lōge repelle. Diabol⁹ enim
de nocte ſeruos Dei acri⁹ impugnat.
Aliquādo etiā ſpecialia fiūt in cōple-
torio: quę ad cuſtodiā ſeruorum Dei
valent. Tunc enim recipitur ſpiritua-
lis patris benedictio, quæ ad conſer-
uationē valet. Benedictio patris fir-
Eccle. 3. mat domos filiorum. Fit aquæ bene-
dictæ aſperſio: quę hoſtes inuiſibiles
iugat.

iugat. Et in aliquibus religionibus fit ſolennis recõmendatio fratrum beatæ virgini. In quadam religione videbat quidã vir religioſus, quando fratres dicebant: Eya ergo aduocata noſtra, beatam virginem flexis genibus recõmendantem filio ſuo ordinem. Qui inordinatè remanet de completorio, frequenter amittit ſecretas orationes. quæ poſt completorium fieri ſolent: & vix ante dormitionem habet conſciẽtiam pacatam, vt tantam habeat fiduciam in oratione ad Deũ, quantam habuiſſet, ſi completorio interfuiſſet. Fiducia multum valet ad impetrandum in oratione: defectus verò fiduciæ, multum impedit effectũ orationis. Quãdo aliquod caſtrũ habet guerram, & hoſtes propinqui ſunt, de die claudũtur portæ: & multum periculoſa eſſet dilatio clauſionis. Cũ ergo cõtinuè in guerra ſimus, & hoſtes inuiſibiles ſint, propinqui

porta

porta oris tẽpore opportuno eſt clau denda: & hora completorij ceſſandum eſt ab omni collocutione humana: Memento belli, nec vltra addas loqui. Ex hoc quod aliquis inordinatè deeſt completorio, ſequi ſolet & conuentus inquietatio & ſcandalum, & vtrunque multum eſt timendum. Primum patet ex verbis Greg. in lib. dialog. dicentis: Cum vir ſanctus ad iraſcendum trahitur: quis alius ad iraſcendum niſi eius inhabitator excitatur? Secundum patet ex verbo Domini, dicentis: Qui ſcandalizauerit ex his puſillis qui in me credunt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Et ſi ita eſt de ſcandalo vnius, quid erit de ſcandalo totius conuentus?

Iob 40.

Hom. 9. in Eze. à medio id habet.

Mat. 18.

Quòd religioſi debent amplius orare quàm alij.

CAPVT IX.

Item

ITem notandum, quod licet omnes frequenter debeant orationi intẽdere, tamen religioſi amplius, iuxta illud quod legitur: Cornelius vir religioſus deprecans Deum. Semper habent religioſi & magnam orãdi neceſſitatem, & magnã opportunitatẽ. Magnam neceſſitatẽ, quia vehementius tentantur: ideo vigilare & orare debent, ne per conſenſum intrent in tentationem. Item maiora bona habent, ideo largitorem debent rogare pro eorũ cuſtodia. Cito enim amitterentur: niſi ab eo cuſtodirentur. Itẽ arduum eſt valde quod habent facere, ſcilicet, ſemitam tenere, & vſque ad mortem in ea perſeuerare. Difficilius eſt tenere ſemitam quam viam publicam. Vnde viro religioſo multum eſt neceſſarium Dei adiutorium & frequenter in oratione implorandum. Frequenter debet dicere illud Pſalm. Perfice greſſus meos in ſemi- Act. 10.

V

tis tuis, vt non moueantur veſtigia mea. Præterea religioſus qui non habet proprium, corporales eleemoſynas nó poteſt facere ſicut diues. Ideo ſicuti diues qui non poteſt multum orare, eleemoſynis hoc recompẽſat: ſic religioſus defectus eleemoſynarum corporalium orationibus debet recompenſare, vt ſic impleat illud,
Luc.6. Omni petẽti te tribue. Item de eleemoſynis viuũt religioſi, & orationes eorum multum petuntur, & in ſuffragiis eorum magna fiducia habetur, ideo oportet eos multum orare, ne ab eis homines decipiantur. Item habent magnam opportunitatem orãdi: quia à negociis ſæcularibus magis ſunt expediti: & propter loci congruitatem, & propter ſanctam ſocietatem.

Vbi ſit orandum. CAPVT X.

Con

COnſequenter videndum eſt, vbi ſit orandum. Notandum ergo, quod vbique eſt orandum: quia vbique eſt periculum, & vbique Dei auxilium eſt neceſſariū: Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationē animæ hominum & in muſcipulam pedibus inſipientiū. Volo viros orare in omni loco: leuantes puras manus. Specialiter locus ſecretus eſt locus idoneus ad orandum. Iſidorus de ſum. bo. Oratio priuatis locis, opportunius funditur. Matth. 6. Cum oraueris, intra in cubiculum tuum. Bern. Orare volentes iubemur intrare cubiculum ſecreti gratia. Id quidem ad cautelam, ne coram hominibus orantibus laus humana orationis furetur fructum, fruſtretur effectum. Ad orādum ſecreto monemur Chriſti exemplo, qui dimiſſa turba aſcendit in montem ſolus orare. Et dicitur, quòd abiit in deſertum locum,

Sap. 14. *1 Ti. 2.* *Ser. 86. ſup. Cano. circ. med.* *Matth. 14 & 1.* *Luc. 22.*

ibique orabat. Et legitur: quod auulſus eſt à diſcipulis ſuis, quantum iactus eſt lapidis: & poſitis genibus orabat. Item locus idoneus ad orandum eſt templum materiale dedicatum: Sanctificaui domum hanc, &c. & erunt oculi mei & cor meũm ibi cunctis diebus. Oculi mei erũt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius: qui orauerit in loco iſto.

3 Re. 9.

2 Pa 7.

Quomodo ſit orandum.

CAPVT XI.

Onſequenter oſtendendum eſt quomodo ſit orandum. Circa quod notandum, quod qui vult orare, primo præparationi animi debet intendere. Ante orationem præpara animam tuam. Præparatio multũ valet ad hoc quod oratio exaudiatur. Pſal. Præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Ad præparationem tria pertinent, ſcilicet cordis reuocatio, puritatis prouiſio, & attentio.

Eccl. 18.

Reuo

Reuocare debet cor ſuum, qui vult orare:ait Dauid:Inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret te. Si cor deſit, non eſt vbi gratia poſſit infundi: vnde ridiculoſa eſt petitio.Ber. Omnes cauſamur nobis gratiam deeſſe: ſed iuſtius gratia ipſa conqueritur,nonnullos ſibi deeſſe. Potius orandum eſt corde quam ore: Anna loquebatur in corde ſuo:& vox illius penitus non audiebatur.Prouidenda eſt puritas cordis: ad quam multum valet compunctio:Si quis cognouerit plagam cordis ſui, & extenderit manus ſuas in domo hac:tu exaudies in cælo.Iſidorus: Peccatorum recordatio mœrorem gignit: luctus verò mentem puriorem reddit. Idem: Cum Deo aſſiſtimus, gemere, & flere debemus reminiſcentes quam grauia ſunt quæ commiſimus:& quam dura ſunt inferni ſupplicia quæ timemus. Dicebat quidam quòd latrones &

2.Re.7. *1.Re.1.* *3.Re.8.*

trutanni docuerunt eum orare. Latro attendẽs quid fecit, & quod ſibi tormentum paratum: ſic inter duo hæc cum multis lachrymis miſericordiã petit. Trutãni verò quæ eis ſana ſunt, abſcondunt, & quæ ſunt in eis miſerabiliora; improbiſſimè oſtendunt, vt magnitudo miſeriæ ad miſerandũ excitet. Multum valet puritas cordis ad hoc, vt oratio exaudiatur. Auguſt. Munda cubiculum cordis: & intus eſt qui exaudiat. Et ſuper illud Pſal. Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo non exaudiet Dominus. dicit Gloſſ. Puritas orationis auditur. Attentam etiam oportet eſſe animam. In lib. de vita ſolita. dicitur de proficiẽte. Ammonẽdus eſt, quanta poteſt puritate cordis, intẽdere in eum cui ſacrificiũ orationis offert, ſeipſum intendere qui offert: intelligere quid offert. Quantum enim videt vel intelligit ille cui offert, tantum ei in affectu eſt.

Gloſſ. ord. ibi. A med. lib. habetur apud Ber.

eſt. Secundum ligna ſyluæ ſic exardeſcet ignis. Aug. Dignior ſequitur effectus, quem feruentior præcedit affectus. Bern. Nonnullos arbitror experiri interdum in orationé quandam mentis ariditatem & hebetudinem: vt ſolum orantes labiis non ſatis attendant, quid vel cui loquantur: pro eo quòd ex quadam conſuetudine minus digna reuerentia acceſſerũt. In cũctis igitur actibus noſtris multa opus eſt animi vigilantia: ſed præcipuè in oratione. Licet enim ſemper à Deo videamur: in oratione tamen ei præſentamur, & oſtendimus nos quaſi facie ad faciem cum Deo loquentes. Et quamuis vbique ſit Deus in cælo, tamen orandus ẻſt: ibique orationis tẽpore cogitãdus. Sic ergo oportet vt ſe habeat quicũque orat, tãquã pręſẽtatus Domino maieſtatis. Animo ad adorãdũ præparato, orãdũ

Eccl. 28. In ſer. de quatuor modis orandi à med. illius.

eſt cum magnitudine deſiderij. Cum quæſieris Dominum Deum tuum, inuenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris. Cùm quæſieritis me in toto corde veſtro, inueniar à vobis. Magnitudo deſiderij clamor eſt quem Dominus exaudit. De quo clamore: Quid clamas ad me? ait Dominus ad Moyſen. Et Dan. 13. Exclamauit voce magna Suſanna. Ber. In Dei auribus deſiderium vehemens, clamor magnus remiſſa intẽtio, vox ſubmiſſa. Ad cordis enim vocẽ potius quàm corporis, aures eius. Greg. in Mora. Æternam vitam ſi ore petimus, nec tamen corde deſideramus: clamantes tacemus. In Pſal. Tacui cum clamarẽ tota die. Dilatio deſiderij, eſt quaſi præparatio cordis: vt ſit capax eius quod petitur. Aug. Cur petere, quærere, pulſare nos compellit, qui nouit quid nobis neceſſariũ priuſquã petamus: niſi quia voluit exerceri noſtrũ deſide

Deut. 4.

Hier. 29.

Ser. 16. ſuper Pſal. qui habitat. parum à princip.

Lib. 22. mor. ca. 18. à med.

deſideriũ in orationibus, quo poſſimus capere quod præparat dare? Idẽ Aug. Si aliquãdo domnius tardius dat: cõmendat dona: nõ negat. Diu deſiderata dulcius obtinẽtur: cito autem data vileſcũt. Seruat tibi Deus, quod nõ vult cito dare: vt & tu diſcas magna magnè deſiderare. Itẽ orãdũ eſt cũ lachrymis & gemitu. Audiuit gemitũ eorũ. Cũ eſſet Anna amaro animo: orauit Dominũ flẽs largiter. Pſ. Auribus percipe lachrymas meas. Gl. Quæ lachrymæ violentæ ſunt in precibus. Eccleſ. 35. Non deſpiciet preces pupilli, nec viduam ſi effundat loquelã gemitus. Et ſubditur: A maxilla aſcendũt vſque ad cælũ. Audiui orationẽ tuã, & vidi lachrymas tuas. Oſeæ 12. dicitur de Iacobo luctante cum angelo. Fleuit & rogauit eum. Et Indulgentiam illius, fuſis lachrymis poſtulemus. Hebr. 5. Preces ſupplicationeſque cum clamore

Serm. 5. de verb. Domin. ante med.

Exod. 2.
1. Rom. 1.

Gloſſ. ord. ibi. Pſal 38

Iſai. 38.

Iudit. 8.

validido & lachrymis offerens:exauditus eſt pro ſua reuerentia. Humilitas etiã multũ valet in oratiõe. Oratio hũ-
Eccl 35. miliantis ſe nubes penetrat. Pſal. Reſpexit in orationem humilium,& nõ
Iudit. 9. ſpreuit preces eorum. Humilium & manſuetorum ſemper placuit tibi deprecatio. Humilitate obtinuit Chananea à Chriſto, quod voluit, catello ſe comparans,cùm Dominus eam cani cõparaſſet. Habetur quod
Mat. 15. & 7. Chriſtus ei dixit: Propter hunc ſermonem exiuit dæmonium de filia
Mat. 8. tua. Poſt illud verbum humile Centurionis,Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: dictum eſt ei à Chriſto: Sicut credidiſti, fiat ti-
Luc 15. bi. Item: Poſtquam filius prodigus dixit: Non ſum dignus vocari filius tuus: pater occurrens cecidit ſuper collum eius. Fiducia etiam multum valet in oratione. In Pſalm. Miſerere mei, quoniam in te confidit anima

mea.

mea. Voluit Dominus orantes attendere eum qui oratur, patrem eſſe: vt maiorem fiduciam haberet impetrandi. Cum oratis dicite Pater noſter. Si vos cum ſitis mali: noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis pater veſter cæleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? Item perſeuerantia multum valet in oratione, vt oſtendit Dominus, Exemplo amici qui panes neceſſarios accommodauit, improbitate amici deprecantis deuictus. Et exemplo iudicis iniqui Deum non timentis, & homines non reuerentis: qui improbitate viduæ victus vindictam fecit ei de aduerſario ipſius. Apoſtoli perſeuerantes in oratione ſpiritum ſanctum receperunt. Pſal. Benedictus Deus qui non amouit orationem meam, & miſericordiã ſuam à me. Aug. ſi non eſt amota oratio: ſecurus eſto quòd nec miſericordia. Multũ etiã valet ad hoc

Luc. 11. *Ibidem.* *Luc. 11.* *Luc. 18.* *Act. 2.*

hoc quòd oratio alicuius exaudiatur: ſi mandata Dei ab ipſo impleantur. Iſid. Si quod Deus præcepit, facimus: id quod petimus, ſine dubio obtinemus.

1 Ioan. 3. Si cor noſtrum non reprehenderit, fiduciā habemus ad Deum, & quicquid petierimus accipiemus ab eo, quoniā mandata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita corā eo, facimus. Aug. in lib. de opere monachorum: Citius exauditur vna oratio obediētis: quā decē milia cōtēptoris. Oportet ꝙ operatio orationē iuuet, ad quod inſinuādū orantes manus in

Tren. 3. oratione leuare monentur. Leuemus corda noſtra cū manibus ad Dominū. Pſal. Eleuatio manuū mearū ſacrificiū veſpertinum, quod erat dignius. Moyſes orationibus pugnans contra

Exod. 17. Amalech, habebat manus lèuatas ad

Tim. 2. Dominū. Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus: ſpecialiter iuuat orationē impletio mādatorum

rum

rum ad miſericordiam pertinẽtium: vt dare eleemoſynam, vel remittere peccanti in ſe. Concl. de eleemoſynã in ſinu pauperis:& hæc orabit pro te. *Eccl.29.* Frãge eſuriẽti panẽ tuũ,&c. Tunc inuocabis,& ipſe exaudiet. *Iſai.58.* Relinque proximo tuo nocenti:& tunc deprecãti tibi peccata ſoluentur. *Eccl.28.* Cùm ſtabitis ad orandum,dimitte ſi quid habetis aduerſus aliquẽ, vt & pater veſter qui in cælis eſt, dimittat vobis peccata veſtra. *Mar.11.* Trãſgreſſio verò mãdatorum multũ impedit orationem. Qui declinat aures ſuas,ne audiat legẽ,oratio eius erit execrabilis. *Prou.28.* Vnus orans,& vnus maledicens: cuius vocem exaudiet Deus? Qui Deum offendit,quaſi ſibi maledicit: quia ſibi malum procurat. *Eccl 34.* Cùm multiplicaueritis orationem,non exaudiam. Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. *Iſai.1.* Immiſericordia etiam multùm impedit orationem. Qui obturat aurem

ſuam

Prou.21. ſuam ad clamorem pauperis: & ipſe clamabit,& non exaudietur.

De ſpeciebus orationis.

CAPVT XII.

SEquitur de ſpeciebus orationis. Notandum ergo quòd oratio diuidi poteſt in orationem fructuoſam & infructuoſam. Bern.oſtendit quæ oratio ſit fructuoſa his verbis:Oratio quanto efficacior eſt ſi fiat vt debet: tanto callidius impedire ſolet, quandoque à puſillanimitate ſpiritus, & timore immoderato: quando ſic cogitat homo indignitatem ſuam, vt non conuertat oculos ad Dei benignitatem. Sed ſicut periculum eſt,ſi fuerit oratio timida:ſic, imò grauius eſt, ſi fuerit temeraria: vt is in cuius conſcientia peccatum adhuc regnat, ambulet in magnis & mirabilibus ſuper ſe. Tertium quoque periculũ eſt, ſi fuerit tepida,& nõ ex viua affectione

Serm.4 in 40.parum à med.

ne procedens. Timida cælum non penetrat, immoderato timore conſtricta. Tepida in aſcenſu langueſcit, eò quòd non habeat vigorem: temeraria ſiquidem aſcendit, ſed reſilit. Reſiſtitur enim ei, nec tantum non obtinet gratiam, ſed meretur offenſam. Quod ſi fidelis, humilis, & feruens fuerit, cælos penetrabit: & certum eſt, quòd vacua redire non poſſit. Item Bern. oſtendit diuerſas ſpecies orationis, his verbis: Quatuor mihi videtur modos orandi apoſtolus dicere: Volo primo fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones. Sunt enim quos adhuc peccati conſcientia terret & cruciat, quos in cœno peccati iacentes, ſpiritus veritatis irradians excitat, erubeſcere faciens & timere gehennæ incendium: propter immanitatem criminum & defectum meritorum. Dumque timent ante Deum *In ſerm. de quatuor modis orãdi in princ.*

vacui

vacui apparere, non audentes per ſe accedere, ſtudent per alios ſupplicare, vt dicimus: Sancte Petre ora pro nobis: & huiuſmodi. Maxime autem illud eſt obſecratio manifeſta, per paſſionem tuam libera nos Domine. Alius verò accepta continendi virtute: ſecutus accedit veniam quærẽs de præteritis. Eſt autem oratio quaſi oris ratio: quia iam ore ſuo loquitur cum Deo ſuo. Quod ſi miſericordiã ſuam conſecutus es, perſeuerans in lamentis pœnitentię, accepta fiducia indulgentiæ, accede iam ad poſtulationes: vt ſecurè tanquam receptus in gratiã Domini, tibi & conſeruis tuis audeas petere quòd oportet. Tãtum caue, ne aut poſtules non poſtulãda, aut ea tepide quæras, quæ toto ſunt affectu & omni deſiderio poſtulãda. Porro ad quartum orationis genus, quòd eſt gratiarũ actio, paucos attingere credo: quòd quãto rarius tanto

prę cioſius. Multam enim gratiā inuenit apud Deum, qui exaudit quandoque antequam inuocetur, & teſtimonium perhibet ſpiritui hominis ſpiritus quē habet à Deo : quoniam exauditum eſt deſiderium eius, ita vt certus iā non orare, ſed gratias agere poſſit. Prima igitur quæ eſt obſecratio, verecundo fiat affectu : ſecunda quæ propriè dicitur oratio, puro affectu. Tertia, ſcilicet poſtulatio cum ampla fiduciæ latitudine. Nam quarta deuotione debet eſſe plena & deliciis affluēs. Itē notandū quòd quatuor ſpecies orationis pri⁹ nominatę quas tāgit apoſtolus, determinātur in lib. de vita ſolit. his verbis: Poſtulatio eſt circa obtinēda tēporalia & neceſſaria vitæ hui⁹ in qua Deus approbās bonā volūtatē, facit tamē ꝙ meli⁹ iudicat, & dat libēter ſe his qui poſtulāt. Ad poſtulationē pertinet petere trāquillitatē pacis, ſanitatē corporis,

1 Ti. 2. Ali quantulū à medio li habentur apud Ber.

temperiem aëris,& ſimilia. Obſecratio eſt in exercitiis ſpiritualibus anxia ad Deum inſtantia. Oratio eſt hominis Deo adhęrentis affectio, & familiaris quædam & pia locutio. Gratiarum actio eſt intellectú & cognitione gratiæ Dei, bonæ voluntatis indeficiens & irreflexa intentio. In poſtulationibus piè ac fideliter eſt orandum, ſed non eſt illis pertinaciter inhærendum: quia nos neſcimus, ſed Pater noſter qui in cœlis eſt: ſi quid in temporalibus iſtis neceſſe eſt nobis. Obſecrationibus inſiſtendum eſt, ſed in omni humilitate & patientia: quia non afferunt fructum niſi in patientia. In eodem libro: Nonnunquam ſine labore petẽs accipit, quęrens inuenit, & pulſanti aperitur, & conſolationes ac ſuauitates orationis inuenire tandem meretur labor obſecrationis. Nonnunquam etiam puræ orationis affectus, & bona il-

Aliquãtulũ à medio lib. habetur apud Bern.

lius

lius affectionis ſuauitas non inuenitur: ſed inuenit eum petentem, & quaſi neſcientem gratia preuenit: & tanquam genus ſeruorum ſuſcipitur in menſa filiorum: cùm rudis & adhuc incipiens animus in eum aſſumit orandi affectum: qui pro merito ſanctitatis reddi ſolet meritis perfectorum. Quod cum fit, ideo agitur, vt velut in iudicium ſuum negligenti non liceat neſcire quid negligat: & vt prouocatio charitatis amorem in eo gratię vltro ſe offerentis accendat. In quo, proh dolor, multi falluntur: quia cùm paſcuntur pane filiorum, iam ſe eſſe filios arbitrantur: & deficientes, vnde proficere debuerant, ex viſitante gratia euaneſcunt à conſcientia ſua, arbitrantes ſe aliquid eſſe, cum nihil ſint. Item notandum quòd oratio diuidi poteſt ſecundum ea quæ in ipſa petuntur: quæ Bernardus determinat his verbis: Petitiones

Ser. in 40. derlinando ad fin.

cordis in tribus conſiſtunt, præter quæ non video, quid electus quiſque ſibi debeat poſtulare: bona ſcilicet corporis, & bona animæ in præſenti, & vita æterna. Nec mireris quia bona corporis à Deo eſſe quærenda dixi: quia eius ſunt corporalia omnia ſicut ſpiritualia. Ab eo ergo petendũ & ſperandum eſt nobis, vnde poſſimus in eo ſeruitio ſuſtentari, cùm pro neceſſitatibus animæ frequentius ſit orandum, & pro vita æterna, vbi & corporis & animę plena & perfecta eſt beatitudo. Et nota quòd in prima petitione ſolet eſſe ſuperfluitas: & in ſecunda impuritas: & elatio in tertia. Solent enim quæri temporalia ad ſuperfluitatem: virtutes ad oſtentationem: & vita æterna non humilitate, ſed ex confidentia meritorum. Nec hoc dico quin accepta gratia fiduciam det orandi, ſed non oportet, vt in ea quis fiduciam conſtituat

impe

impetrandi. Hoc ſolum conferunt prima dona, vt ab illa miſericordia quæ hæc dedit, ſperemus etiam ampliora. Et notandum quòd viris perfectis qui habent iuſtitiã regni in re, & regnũ in certa ſpe: non eſt neceſſe tẽporalia quærere. In ipſis enim ſpiritus dat teſtimonium ſpiritui eorum quòd ſunt filij Dei: filiis verò debetur prouiſio. Vnde ſuper illud Mat.6 Hæc omnia adiicientur vobis. dicit gloſſa, quia omnia ſunt filiorum, & ideo hæc omnia adiicientur etiam nõ quęrentibus: quibus ſi ſubtrahãtur ad probationem eſt, ſi dentur ad gratiarũ actionem. Quomodo temporalia quærenda ſint oſtendit gloſ. Aug. ſuper illud: Virtus in infirmitate perficitur: his verbis: Cum illa quę Deus laudat & promittit, ab eo petitis: ſecuri petite. Illa enim propicio Deo conceduntur. Qui autẽ tẽporalia petitis, cũ modo petite, & cum timore illi

Gloſſa ord. n. ibi.

2. Cor. 12.

committite: vt ſi proſint, det: ſi ſcit obeſſe, non det. Quid enim proſit vel obſit: medicus nouit non ęgrotus. Item quæ petenda ſunt, oſtenduntur in oratione Dominica. de qua Iſidorus in lib. de ſummo bono: Fidei ſymbolum & Dominica oratio pro tota lege paruulis eccleſiæ ad cœlorum regna ſufficit capeſcenda. Omnis enim latitudo ſcripturarum in eadem oratione Dominica, & ſymboli breuitate concluditur. Cuius orationis explanatio propter minus intelligentes ſubiungitur.

Dominica oratio explanatur.

CAP. XIII.

ET notãdum quod quinque ſunt à quibus Dominica oratio commendabilis eſt. Primum eſt authoris dignitas: quia ipſe Deus compoſuit eam. Vnde ei conuenit illud Eccl. 24. Ego ex ore altiſſimi prodij. Secundũ eſt

eſt breuitas. Vnde glo. Bedę. Orationem cõpoſuit breuibus verbis, vt ſit fiducia cito annuendi, quod breuiter vult rogari. Tertium eſt fœcunditas. Gloſſa: Nihil deeſt quod in ſeptem petitionibus non contineatur. Quartum eſt ſpiritualitas. Gloſſa: Nulla oratio magis ſpiritualis iſta. Quæ ex ore filij, qui eſt veritas, proceſſit.

Gloſſa ord. ex Beda ad illud Mat. 6. Pater noſter. Gloſſa ordin. ad illud ſanctificetur nomen tuum. Gloſſa ordin ad illud Pater noſter. Enchirid. 72. cap. to. 3.

Quintum eſt virtus eius quæ magna eſt. Eſt enim veriſimile quod Chriſtus petitiones quæ in eo ſunt non formaſſet: niſi eas exaudire vellet. De eius virtute dicit Auguſtinus: De quotidianis & leuibus peccatis & breuibus, ſine quibus hæc vita non ducitur: quotidiana oratio fidelium ſatisfacit. Eorum enim eſt dicere Pater noſter qui es in cœlis, &c. Delet omnino hęc oratio minuta quotidiana peccata, videlicet, illa à quibus vita fideliũ etiã ſceleratè geſta, ſed pœnitẽdo in meli⁹ cõmutata

diſcedit. Vt ſicut veraciter dicitur, dimitte nobis debita noſtra: ita veraciter dicatur, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Poſt Euchariſtiam Dominica oratio eſt ſummum & maximum remedium: vel vnum de maximis contra peccata venialia. Habet autē Dominica oratio duas partes, quarum prima pręparat orantem ad deuotè orandum: Secunda verò continet 7. petitiones. Ad orandum pręparat pars iſta. Pater noſter qui es in cœlis. Et eſt præparatio iſta in duobus, ſcilicet in lachrymoſitate & fiducia impetrandi. Excitat autem ad lachrymas dupliciter. Primò dum patrem Deum ad memoriam reducit: ei qui peccando viliter vixit. Secundò dum abſentiam amātiſſimam patris innuit dicens: Qui es in cœlis: & dulcem illam patriam à qua ipſe exulat. Ad primū pertinet illud quòd dicit Ber: Cogitāti quod patrem offende

ſenderim, eſt certum quod pudeat: & ſi non terreat. Quanam fronte attollo oculos ad vultum tam pij patris, tam malus filius? Pudet indigna geſſiſſe genitori meo: pudet tantò patri vixiſſe degenerem. Gloſſa ſuper hunc locum dicit: Cauendum eſt vni cuique à ſordibus, ne tanto patre ſit indignus. Ad ſecundum pertinere videtur illud pſal. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus. Primus fletus qui eſt pro peccatis, eſt irriguum inferius. Secundus qui eſt pro abſentia patris & dilatione patriæ, eſt irriguum ſuperius. Ad fiduciam impetrandi valet illud verbum dupliciter. Primo dum patrem nominat eum qui oratur. Huius patris amor ſuperat maternum amorem. Nũquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, e-

Gloſſa ord. ad illud. Pater no.

Iſa 49.

go tamen non obliuiſcar tui. Secundo dum dicit eum eſſe in cœlo, vbi eſt abundantia omnium bonorum. Quomodo enim pater miſericordiarum habens abundantiam omnium bonorum, non miſerebitur filij poſiti in valle miſeriæ, vbi eſt penuria omnium bonorum? Ad hoc pertinet quod dicit Bern. vbi iam illud quod apud antiquos tam terribiliter quàm frequenter intonare ſolebat, ego Dominus, ego Dominus? Mihi dicatur oratio, cuius principium dulce, nomine paterno ſequẽtiũ petitionum obtinẽdarum pręſtat fiduciam. Et gloſſa ſuper hoc nomen pater noſter. In hoc datur fiducia. Quid negabit filiis, qui iam dedit, quòd pater eſt? Si ergo vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: tanto magis pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? Quod autem lachrymæ valeant ad impetrandum,

Ser. 15. ſuper Cant. paulò à princ.

trandum, patet per hoc quod dicit Auguſtin. ſuper illud. Auribus percipe lachrymas. Lachrymę, inquit, violentæ ſunt in precibus. Quod etiam fiducia valeat, patet per hoc quod legitur. Si qui indiget ſapientia, poſtulet à Deo. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans. Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris qui à vento mouetur & circunfertur. Non ergo ęſtimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino. Secunda pars diuiditur in duas partes. Cùm enim duplex eſt vita ſpiritualis, vita gratiæ, ſcilicet & vita gloriæ: primo ponuntur tres petitiones pertinentes ad vitam glorię. Secundo quatuor pertinentes ad vitam gratiæ. Primum autem ponuntur petitiones pertinentes ad vitam gloriæ tanquam digniores: ſecundum illud. Primum querite regnum Dei & iuſtitiam eius, Regnũ Dei petitur in tribus primis petitionibus:

Pſal. 38. Gloſ. ord. ex Aug.

Iacc. 1.

Matth. 6.

iuſtitia

iuſtitia vero ducens ad regnum in quatuor ſequentibus. Et notandum quod ſicut ille qui mortem meruit apud iudicem terrenum, & neſcit iudicem ſibi adhuc placatum, primo petit vitam ſuã, vt parcatur ei à morte quam meruit: Sic qui mortaliter peccauit, cùm certus non ſit in hac vita, quod ſibi ſit dimiſſum, neceſſe habeat primo petere, vt parcatur ſibi à morte quam meruit. Ad quod pertinet illa petitio. Libera nos à malo. Malum ibi dicitur mortale peccatum quod eſt mors prima: & ſequela eius quod eſt mors æterna. Et debet proponi cum magno deſiderio hæc petitio, eo ſcilicet modo quo latro attendens, quid fecit, & quod tormentum ei paratum ſit, cum multis lachrymis petit vitam ſuam. Vita vero ſpiritualis contenta eſt in continua pugna. Iuxta illud. Militia eſt vita hominis ſuper terram, vel tentatio. Et

Simile.

Iob 7.

tio. Et propterea neceſſaria eſt alia petitio, quā petitur ne in tētationem cadere permittamur: quæ petitio etiam in magno deſiderio proponenda eſt. Sicut enim aliquis antequam intret bellum, cum magno deſiderio rogat Dominum, & rogari facit, vt ſibi det victoriam: & obtenta victoria Deo gratias agit: ſic quilibet fidelis debet in mane rogare Dominum, vt in illa die det ſibi victoriam de diabolo. Quàm cito enim ſurgit, intrat campum certaminis valde periculoſi. Ber. In mundo iſto tanquam in ſtadio certaminis poſiti ſumus: in quo Chriſtus mortuus eſt. Quiſquis hic non liuorem vel plagam ſuſceperit: in futuro iudicio miles inglorius apparebit. In veſpere vero ſi à caſu cauerit: debet ſequi gratiarum actio. Auguſt. Qui orandus eſt vt faciat: illi reddenda eſt gratiarum actio cùm fecerit. In quo multi peccant. Cùm *Simile.*

accepe

num, & ſciret ſe in graui carcere ponendum, niſi infra terminum redderet, & probabiliter ſe crederet non ſe ſufficere ad ſoluendum infra terminum: cum magno deſiderio peteret ſibi debitum remitti, ſi ſperaret obtinere: valde gratum haberet, ſi quis à tabulis creditoris eum deleri faceret, & ſeipſum ſcribi. Sic cum magno deſiderio petere debet ſibi debita remitti, qui credit ſe non poſſe ea ſoluere ante terminum mortis: cùm ſe ponẽdum ſciat, pro eo quod non ſoluerit in ignem purgatorij. De quo dicit Auguſt. Miro modo grauis eſt ignis ille: licet non ſit ęternus. Superat enim omnem pœnam, quam vnquam paſſus eſt aliquis in hac vita. Huic verò petitioni additur determinatio, cum dicitur: Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Specialiter valet ad impetrandũ remiſſionem à Deo: ſi remiſerimus

proxi

Eccle.28. proximo. Relinque proximo tuo no•
centi te: & tunc deprecanti tibi pec-
Eccle.13. cata ſoluentur. Si omne animal dili-
git ſimile ſibi. Et lupus lupo non no-
cet, nec leo leonem lædit, ſecundum
verbum Sene. Veriſimile eſt, quod
Dei miſericordia nihil ita amet in
homine, ſicut miſericordiam, quaſi
ſororem ſuam: & quod ei parcat, &
quod ei qui libenter dimittit proxi-
Eccle.28. mo, ei Deus libenter dimittat. E con-
trario vero non dimittenti, Deus ni-
hil dimittit. Qui vindicari vult, à Do-
mino inuenit vindictam. Vita etiam
ſpiritualis ex ſe deficiens eſt, & indi-
get cibo ſpirituali ſuſtentari: ſicut vi-
ta corporis alimonia ciborum ſuſten
tatur. Ideo in quarta petitione peti-
tur ſuſtẽtamentũ vitę ſpiritualis, cùm
dicitur. Panem noſtrũ quotidianum
da nobis hodie. Conſtat quod hoc
non ſolum intelligendũ de pane ma-
Mat.6. teriali, cùm illũ dicat Dominus eſſe
adiicien

adijciendum,non quærendum. Hæc omnia adiicientur vobis. Hæc petitio cum magno deſyderio eſt proponenda,cùm quotidie ſit panis neceſſarius,nec eum à nobis habere poſſumus,ſicut cum deſiderio elleemoſynam peteret,qui ſciret ſe fame moriturum, niſi eam mendicado obtineret. Vbi notandum quòd panis iſte quadruplex eſt,ſcilicet doctrina, exemplum,opera virtutum,& ſacramẽtum altatis. De pane doctrinæ legitur. Non in ſolo pane viuit homo & cæt. De pane, exemplum habetur. Paſce oues meas. De bonis operibus habetur.vbi dicitur in perſona virtutum, Panem noſtrum comedemus. Deficiunt virtutes,niſi ex eis bene operemur: ſicut viſus corporalis deficit,ſi homo in carcere diu maneat,vbi non videat. Sacramentum verò Euchariſtiæ multum valet,ad ſuſtentationem vitæ ſpiritualis. Ex prædi-

Simile.

Deut 8.

Ioan. vl.

Simile.

ctis verò ſatis poteſt eſſe manifeſtũ, quantum Deo indigeat vita præſens: quia pauper eſt adeò quòd neceſſe eſt mendicare. Aug. Qui panẽ quotidianũ petit, diues aut pauper eſt: Eſt pluſquã pauper, cùm multa debeat. Eſt etiam in magno periculo: vndique habens circa ſe laqueos & cauſas mortis. Circa verò tres alias petitiones notandum, quod ſicut homo factus eſt, vt ſeruiat Deo: ſic mundus factus eſt, vt ſeruiat homini: Et pro ſeruitio quod homo exhibet creatori, debuit habere dominium mundi in vita præſenti: tandem habiturus ipſum Deum, dum de paradiſo terreſtri transferretur in cœlum. Sed quia debitum ſeruitiũ Deo exhibere noluit, dominium mũdi iuſto Dei iudicio perdidit, & in ſeruitutẽ magnam incidit: ita quod à muſcis & aliis minimis creaturis non poſſit ſe defendere. Auguſt. Homo dicit tibi conuicium,

cium,& tumes & iratus es:pulicibus reſiſte vt dormias. In futuro verò ponetur homo in ſtatu debito, vt Deo perfectè ſubiectus ſit,& cęterę creaturæ ſint ſibi ſubiectæ, & etiã ipſum Deũ poſſideat, ſi ab eo prius poſſeſſus eſt. Deus enim,vt ait Auguſtinus nullius poſſeſſio erit, cuius poſſeſſor non fuerit. Ad primum pertinet illa petitio. Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra,id eſt,veniamus ad ſtatum illum, in quo voluntati tuæ voluntatem noſtram conformabimus omnino, vt nunc faciunt angeli. Ad ſecundum pertinet illa petitio. Adueniat regnum tuum, id eſt, veniat ſtatus ille,in quo regnabimus ab omni ſeruitute liberi. Ad tertium patet illa petitio. Sanctificetur nomen tuum, id eſt, confirmetur nomen illud, quo filij Dei vocamur: quod erit, cùm dulcedine diuina fruemur, iuxta illud. Iocunditatem & exultati- *Eccl. 15.*

onem theſaurizabit ſuper illũ, & nomine æterno hæreditabit illũ. Quãdo iocunditatem illam inæſtimabilẽ ſentiemus: tunc cõfirmati erimus ſicut angeli. Et notandum quod hæ tres petitiones cũ magno deſyderio proponendæ ſunt. Valde enim miſerabile eſt, quòd patrem miſericordiarum, à quo bona omnia recepimus, & multa maiora ſperamus, ita frequẽter offendimus, & volũtatem diaboli facimus ita frequenter: & valde deſyderandus eſt ſtatus ille, in quo voluntatem Dei in omnibus faciamus. Item valde deſyderãdus eſt ſtatus ille, in quo à viliſſima ſeruitute, in qua ſumus, liberemur. Valde enim graue eſt ſeruitutem ſuſtinere illi, ad quem pertinet regnare. Valde miſerabile etiam eſt, quod illi qui ſunt filij Dei, ita de facili poſſunt fieri filij diaboli. Vnde valde deſyderanda eſt confirmatio. Notãdum etiam quod in hoc

ver

verbo ſanctificetur, notatur apparentia huius honoris: vt ſit ſenſus. Sanctificetur, id eſt, ſanctum appareat. Tūc dicitur res fieri, quādo innoteſcit fieri. Nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Sed cùm apparuerit, ſcimus quoniam ſimiles ei erimus. Qui videt modò bonos pauperes, vix crederet eos eſſe filios Dei: niſi ſacra ſcriptura hoc diceret. Vadunt enim pedites: cùm ſerui diaboli eant equites: iuxta illud. Vidi ſeruos in equis, & principes ambulantes ſuper terram. Sed tūc quod ſcriptū eſt, erit manifeſtum in eis, quià vocabūtur filij Dei, iuxta illud: Qui vicerit, ſcribam ſuper eum nomen Dei mei. Gloſ. Erit quodammodo Deus, ſicut ferrum aliquod quando vehementer ignitum eſt, quaſi ignis eſt, ſic electi Dei erunt quodāmodo Deus, quando ei valde ſimiles erunt. In corporibus etiam glorificatis, quatuor do-

1. Ioan. 3

Eccl. 10.

Apoc. 3

Simile.

tibus quaſi quatuor literis ſcriptum erit, quòd ſunt filij Dei. Scriptura enim vocatur certa deſignatio. Certum autem erit, quòd ſint filij Dei ex corpore glorificato: ſicut in veſte præcioſa alicuius perpenditur, quod ipſe ſit princeps. Secundum hunc modum dicitur eſſe ſcriptum in femore. i. carne Chriſti: quod ipſe ſit Rex regum & Dominus dominantium.

Simile.

Apoc. 19.

De oratione infructuoſa.

CAPVT XIIII.

INfructuoſæ orationis poſsũt quinque ſpecies diſtingui. Quædam enim eſt ſimiatica: quæ ſolis labiis fit. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum lõgè eſt à me. Hæc parui valoris eſt. Auguſtinus. Quid prodeſt ſtrepitus labiorum, ſi mutũ eſt cor? Quæ eſt differẽtia inter pellẽ animalis & ipſum animal: hæc eſt inter ſonum vocalis orationis, & deuotionem

Mat. 15.

tionem

tionem cordis. Praui paſtores pro animali ſolam pellem reddunt: quibus ſimiles ſunt, qui tantum ſonum vocalis orationis habent. Deuotio eſt medulla holocauſtorum. Pſal. Holocauſta medullata offeram tibi. Sine deuotione holocauſta ſunt arida. Eſt autem deuotio feruor bonæ voluntatis: quem mens cohibere non valens, certis manifeſtat indiciis. Alia ſpecies orationis infructuoſæ, eſt oratio propria, qualis fuit oratio Helyæ prophetæ: qua petiit animæ ſuæ vt moreretur. Tertia eſt oratio ſaluti contraria, qualis fuit oratio Pauli petẽtis à ſe ſtimulum remoueri. Quarta eſt oratio præſumptuoſa, qualis fuit oratio filiorum Zebedęi: qui volebant peruenire ad regnum, non per calicis potum. Quibus dictum eſt: Neſcitis quid petatis. Quinta eſt oratio ridiculoſa, qualis eſt oratio hypocritarum: qui elati de multitudine

Simile. *1. Re. 19.* *2. Cor. 12.* *Mat. 20*

operum ſuorū, Deum quaſi irrident, dum manibus plenis eleemoſynam gratiæ ab eo petunt. Talis fuit oratio ſuperbi Phariſei dicentis: Ieiuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæ
Luc. 18. poſſideo. Vacuas oportet eſſe manus hominis per humilitatem: ad hoc vt eleemoſyna gratiæ ei à Deo detur. Item oratio hypocritarum in hoc ridiculoſa eſt, quod manus tendunt ad terram, cùm eleemoſynas petunt ab eo qui eſt in cælis. Terrenam enim mercedem quærunt in operibus ſuis.

De lectione quæ eſt via ad ſapientiam.

CAPVT XV.

DIcto de oratione, agendum eſt de lectione, quæ eſt via ad ſapientiam. Et quia ſapientia, & lectio, & doctrina à multis deſpiciuntur, cùm tamen multum deberent amari:

primo agetur de eorum deſpectione. Secũdo de eorũ amore. Tertio oſtendetur quomodo aliquis in lectione poſſit proficere. Circa primum verò primo oſtendetur, quare ſapientia & doctrina ab aliquibus deſpiciantur. Secundo quòd hæc deſpectio multũ habet ſtultitiæ. Tertio quòd hæc deſpectio reprehenſibilior ſit miniſtris Eccleſiæ. Quarto quòd maximè reprehenſibilis ſit deſpectio diuinæ ſapientiæ, & ſcripturæ ſacræ. Quinto oſtendetur quòd hæc deſpectio Deũ multum offendit. De hac deſpectione legitur. Sapientiam atque doctrinam ſtulti deſpiciunt. De hac deſpectione dicit Seneca. Ad ſapientiam quis accedit, quis dignã iudicat, niſi quam in tranſitu nouerit? Quis Philoſophum aut vllum liberale ſtudiũ reſpicit: niſi cùm aliquis pluuioſus interuenit dies, quem perdere libet? Itaque nihil inuenitur eorum quæ *Prou. 1.*

parum inueſtigata antiqui reliquerunt, ac ſi hîc iuuentus ſobria incumberet, hoc maiores docerent, minores addiſcerent: vix ad fundum veniretur, vbi veritas poſita eſt: quã nunc ſumma & leui manu quærimus.

Quadruplex cauſa deſpectionis ſapientiæ.

CAPVT XVI.

HVius deſpectionis aſſignari poteſt quadruplex cauſa. Prima eſt, ignorantia præcioſitatis ſapientiæ.
Simile. Sicut porcus lapides præcioſos non reputat, ſed conculcat, eò quòd ignoret virtutem eorum, nec reputat ſpecies aromaticas, quarum ſublimes ſapores non cognoſcit: ſed præponit eis glandes vel furfur. Sic qui ignorat præcioſitatem ſapientiæ, eam deſpicit.
Matt. 7. Neque mittatis margaritas ante porcos, ne fortè inculcent eas pedibus ſuis. Ber. ſuper Cant. Quomodo

do lux in caſſum circumfundit oculos cæcos & clauſos: ſic animalis homo non percipit quæ Dei ſunt. Secunda eſt præſumptio ſapientiæ. Sicut faſtidium cibi corporalis accidit ex ventoſa ſtomachi plenitudine: ſic homines inflati ſapientia mundi, ſapientiam Dei contemnunt. Tertia eſt infectio palati cordis de febre iniquitatis. Auguſt. Palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuauis. Idẽ. Palatum febricitantis habet, cui mel cœli inſipidum eſt. Ad iſtas tres cauſas pertinet verbum prius poſitum. Sapientiam atque doctrinam ſtulti deſpiciũt. Sunt enim tria genera ſtultorũ. Primi ſunt, qui habent ſimplicẽ ignorantiã: qui licet non ſunt docti, tamen ſunt docibiles: cùm ſint humiles, & non reputent ſe eſſe ſapientes. In libro de vita ſolita. Stultitia ſine ſuperbia nõnunquam ſimplicitas inuenitur: quæ ſi ignorat, forſitan doci

Simile.

Simile.

Lib. 7. cõf. Cap. 16.

Circa med. libri qui apud Bern. eſt. Ad fratres de mõte Dei.

aliquo eſt faſtidium, vel odium ſapientiæ, vel doctrinæ: ſicut ſignum eſt quòd candela habeat aquam, cùm igni accendi non poteſt. Econtrario amor ſapientiæ ſignum eſt, quod aliquis ſapiens ſit. Similitudo ad amorem pertinet. Cor ſapientis quæret doctrinam: & os ſtultorum paſcitur imperitia. Quàm aſpera eſt nimium ſapientia indoctis hominibus. Ideo ſapiẽtia eſt aſpera peccatoribus, quia vituperat quæ ipſi amant: & cõmendat quæ ipſi odiunt. Homines non libenter audiunt eos qui amicis ſuis detrahunt: vel inimicos extollunt. Quarta cauſa quare ſtulti doctrinam deſpiciunt, eſt, quia cor ſuum habent alibi. Vnde. Non permanebit in illa excors, qui ſcilicet cor ſuum non habet ſecum. Inter res huius mundi mirabiles, mirabilior eſt hominis animus. Seneca. Scitote præter animũ, nihil eſſe mirabile. Specialiter verò eſt

Simile.

Prou. 13.

Eccl. 6.

Simile.

Epiſt. 8, circa med.

eſt miſerabile in animo, quod eſt in duobus locis: in corpore ſcilicet quod viuificat, & in re quam amat. Et ſecundum Bernardum. non eſt minus in re quam amat: quam vbi animat. In illo ergo qui habet cor ſuum in diuitiis vel in deliciis: & corpus habet vbi traditur ſapientia & doctrina, ſeparatio eſt eorum quæ debent eſſe ſimul. Et talis ſeparatio eſt cauſa triſtitiæ, ſicut ſolutio continuitatis in corpore humano, vel ſeparatio animæ à corpore eſt doloris cauſa. Separatio enim eorum quæ naturaliter debent eſſe ſimul, dolorem inducit. Vnde qui intereſt doctrinæ, abbreuiari vellet ſpiritualem refectionem. vt citius veniret ad corporalem: & eſt quaſi mors ei eſſe ibi.

Quod deſpectio ſapientiæ multum habet ſtultitiæ. CAPVT XVII.

DEſpectio ſapientiæ multum habet ſtultitiæ. Quanto enim res ali

aliqua eſt prçcioſior, tantò deſpectio eius eſt reprehenſibilior. Sapientia verò eſt res præcioſiſſima. Huius ſignum eſt, quod ſapientes multū eam apprçciātur: ſicut ſtulti multum eam deſpiciunt. Multum eam apprçciatus eſt Salomon: qui eam cunctis rebus temporalibus prætulit, cùm Dominus dixiſſet ei. Poſtula quid vis: vt dem tibi. Prçcioſitatem etiam eius multum oſtendit in libris ſuis. Beatus homo qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia. Melior eſt acquiſitio eius negotiatione auri & argenti. Melior eſt ſapientia cunctis operibus præcioſiſſimis: & omne deſiderabile ei non poteſt comparari. Poſſide ſapientiam, quia auro melior eſt: & acquire prudentiam, quia præcioſior eſt argento.

3. Reg. 3. *Prou. 3.* *Ibid. 8.* *Ibid. 16.*

Sex conditiones ſapientiæ, quibus excedit diuitias.

CAPVT XVIII.

Ne

NOtandũ quod ſapientia ſex conditiones habet laudabiles : in quibus diuitias & cætera bona temporalia excedit. Prima eſt quòd ipſa eſt bonum internum, quod indubitanter prȩualet bono externo. Non poteſt ſapientia auferri homini ſicut diuitiȩ. Philoſophus. Sapiens intra ſe omne bonum ſeruabit. Secunda eſt, quòd ipſa eſt theſaurus nobilis. Diſtributa enim ſuſcipit incrementũ, & auarum dedignatur poſſeſſorem: niſi publicetur, elabitur. Non ſic eſt de pecunia, de qua Boetius. Tunc preciosa eſt pecunia: cum tranſlata in alios, largiendi vſu deſinit poſſideri. Idẽ. O anguſtas inopeſque diuitias, quas non habere totas pluribus licet: & ad quemlibet ſine cȩterorum paupertate non veniunt. Tertia eſt quòd ſapientia eſt adiutrix ſalutis, cùm diuitiȩ ſint impedimentũ ipſius. Diuitiȩ ſalutis ſapientia & ſcientia.

Iſaia 33. Mat. 19. Luc. 18.

Quàm difficile qui diuitias habent, regnum Dei poſſidebũt. Diuitię terrenæ ſunt diuitiæ perditionis: & quia perduntur, & quia ſunt occaſio, vt habens eas, perdatur. Bern. Vtinam tantum congregata perirent: & non congregator eorum. Tolerabilius eſſet inſudare labori perituro: quàm perempturo. Quarta eſt quòd ſapientia dat diuitias, & cætera bona terrena, & non econtrario: imò diuitiæ interdum ſunt occaſio, quòd ſapientia amittatur. Mecum ſunt diuitiæ & gloria. Salomon à Domino accepta ſapientia, abundantiſſimè habuit diuitias & gloriam. Quinta eſt, quod ſapientia facit, vt diuitiæ & alię res temporales ſint homini bonæ. Licet enim res temporales ſint bonæ in ſe: tamen non ſunt bonæ ſtulto eas habenti. Seneca. Nihil eſt homini bonum, ſine ſe bono. Prouer. 19. Vbi non eſt ſcientia animæ, non eſt bo-

In lib. de conuerſ. ad clericos Cap. 15.

Pro. 8.

Haberi poteſt ex Epiſt. 77.

num. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. In eodem dicitur de ſapiẽtia, quod bonorum omnium mater eſt. Sexta eſt quòd ipſius eſt regere & diſponere diuitias: & alia bona temporalia. Vnde ſicut anima prę cioſior eſt corpore, quod habet regere: & potentia videndi eſt nobilior organo ſuo: ſic ſapientia prę cioſior cunctis rebus terrenis, de quibus habet diſponere. Seneca. Stulto nulla re opus eſt: quia nulla re ſcit vti. Idem. Vnus dies eruditi viri plus placet: quam imperiti longiſſima ætas. Sapientiæ. 7. dicitur de ſapientia. Prę poſui illam regnis & ſedibus. Melior eſt ſapientia, quàm arma bellica.

Sap. 7.

Epiſt. 9. à medio.

Quòd maxime reprehenſibilis eſt deſpectio diuinæ ſapientiæ & ſcripturæ ſacræ in miniſtris Eccleſiæ.

CAPVT XIX.

Con

COntemptus ſapientiæ vel doctrinæ ſeu lectionis, reprehenſibilior eſt in miniſtris Eccleſię quàm in aliis, Ipſi enim ſunt oculus Eccleſiæ. Et notandum quod oculus corporis humani eſt membrum tenerum, non ſuſtinens duræ rei contactum: cuius officium vel puluere vel modico terræ impeditur. Hoc membrum valde eſt vtile cæteris membris: ſi officium ſuum bene fecerit. Vnde multum diligitur à membris: ita vt manus ſe opponat, ſi lęſio immineat. Et licet videatur nec fodere, nec arare, nec alia agere: opera tamen quodammodo omnia talia facit dirigendo cætera membra circa illa. Amorem magnum habet ad lumen: ſine quo non poteſt exercere officium ſuum. Vnde ſine illo eſſet inutile: & tandem ſi lumen non haberet, deſtrueretur. Diuturnis enim tenebris excæcaretur. In his oculus Eccle- *Simile.*

ſię corporali oculo aſſimilatur. Opera terrena vt fodere & arare, ad eum non pertinent. A tali labore exceptus eſt, vt ſapientiæ poſſit intendere. Modicum terrenæ ſollicitudinis & laboris eius officium impedit. Valde vtilis eſt corpori Eccleſiæ: ſi debito modo officium ſuum impleat. Opera enim aliorum dirigendo quodammodo facit. Si vero officium ſuum non impleat: magnum dam-
Mat. 9. num Eccleſia inde incurrit. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebroſum erit. Oculus iſte ad lumen ſapientiæ magnum
Pro. 14. amorem debet habere. Sine eo enim eſt inutile iuxta illud. Iracundiam eius inutilis ſuſtinebit. Inutilem miniſtrum vocat, non intelligentem. Si oculus iſte lumen ſapientiæ non habuerit, malè regit: Rex inſipiens perdet

perdet populum ſuum. Oculus etiam iſte ſi non habeat lumen ſapientiæ, perditur. Suſtentatio enim vitæ ſpiritualis eſt lumen ſapientiæ, ſecundum illud. Lignum vitæ eſt his qui apprehenderunt eam. *Eccle. 10.* *Pro. 3.*

Contemptus ſapientiæ diuinæ eſt valde reprehenſibilis.

CAP. XX.

CONtemptus ſapientiæ diuinæ & doctrinæ ſacræ, qui hodie maximus eſt, maximè reprehenſibilis eſt, cùm ſapientia diuina & doctrina ſacra excellant, & propter altitudinem materiæ, & propter auctoritatem doctorum, & propter vtilitatem. De Deo eſt doctrina ſacra. Deus ipſam docuit per homines magnæ ſanctitatis: & tãdem ipſe Deus factus homo eam docere voluit. Noluit nos negligenter addiſcere ea ad quæ docenda ipſe in mundum voluit venire. Secundum illam iudicabimur. Quis mihi *Iob. 31.*

tribuat auditorẽ, vt deſideriũ meum audiat omnipotens,& librum ſcribat ipſe qui iudicat: vt in humero portem illum. De auctoritate ſacræ ſcripturæ & eius vtilitate require in quarto libro, vbi agitur de ordinatione virtutum.

Quod deſpectio ſapientiæ Deum multum offendit.

CAPVT XXI.

MVltum offenditur Deus ex contemptu legis ſuæ. Abiecerunt
Iſai.5. legem Domini exercituum, & eloquium ſancti Iſrael blaſphemauerũt. Ideo iratus eſt furor Domini in po-
2. Paral. vlt. pulum ſuum. Paruipendebant ſermones Domini illudebantq́ue prophetis,donec adſcenderet furor Domini in populum eius,& eſſet nulla curatio. Tantum offenſus eſt Dominus hoc contemptu à multis miniſtris Eccleſiæ: quòd ipſe non re-
Prou.28. putat orationes eorum. Qui declinat au

nat aures ſuas ne audiat legem: oratio eius erit execrabilis. Nec mirum, ſi Deus multum offendatur de tanto contemptu legis ſuæ, quam tantum voluit amari, vt patet ex verbis ſacræ ſcripturæ quæ ſequuntur. Erunt verba hæc quę ego precipio tibi hodie, *Deut. 6.*
in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis: & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere: dormiens atque conſurgens. Ponite hæc verba *Ibid. 11.*
mea in cordibus & in animis veſtris: & ſuſpendite ea pro ſigno in manibus, & inter oculos veſtros collocate: docete filios veſtros, vt illa meditentur. Non recedat volumen legis *Ioſ. 1.*
huius ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus. Qui habet *Ioan 14.*
mandata mea & ſeruat ea: ille eſt qui diligit me. De malis quę proueniunt ex contemptu ſapientię & doctrinæ, quære in prologo huius libri.

De amore ſapientiæ & doctrinæ.

ſum,qui plures differentias rerum oſtendit. Vnde valde reprehēſibile eſt, ſi homo ſapientiam non diligit : ad cuius amorem natura trahit. Circa ſecundum notādum, quod ſcriptura ſacra multum commendat ſapientiā, & maximè libri Salomonis, de quo habitum eſt prius. Dicitur de ſapientia: Diuitias nihil eſſe dixi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem præcioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Circa tertium notandum, quod vniuerſitas creaturarum eſt quaſi quidam liber nos docens ſapientiam. Dicitur de ſapientia, quod Deus effudit eam ſuper omnia opera ſua. Etiam in formica ſapientia docetur. Vade piger ad formicam, & conſidera vias eius: & diſce ſapientiam. Interroga iumenta & docebunt te: &

Sap. 7. *Eccle. 10.* *Prou. 6.* *Iob 12.*

volatilia cœli,& indicabunt tibi. Salomon ſapientiam quęſiuit tam in herbis quàm in arboribus, & etiam in animalibus. Diſputauit enim ab yſopo vſque ad cedrum,& de omnibus generibus animalium proponẽs per ſingula parabolam. Ariſtotel. interrogatus à quo tot & tanta didicit: reſpõdit, à rebus quæ mẽtiri non norunt. Aug. de libero arb. Quocunque te verteris, veritas veſtigiis quibuſdã, quaſi operibus ſuis impreſſis loquitur tibi. Circa quartũ notãdum, quòd Deus multum amat ſapientiam in filiis ſuis.

Prou 10. Filius ſapiens lætificat patrẽ

Sap. 7. ſuum. Dicitur de ſapientia. Infinitus theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei. Adeo Deus amat ſapiẽtiã, quòd nullum diligit ſine ipſa. Neminẽ di-

Sap. 7. ligit Deus, niſi eum qui cum ſapien-

Iſa. 27. tia inhabitat. Non eſt populus ſapiẽs propterea non miſerebitur eius ; qui

fecit

ſecit eum. Eos verò qui diligunt ſapientiam, diligit Deus. Circa quintum notandum eſt, fructum ſapientię eſſe multiplicem. Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini. Quo introibit ſapientia, benedicet Deus. Primi & puriſſimi fructus eius. Primi, quia ſtipiti coæui, puriſſimi, quia triſtitiæ impermixti. Exiguum in ea laborabis, & cito edes de generationibus illius. Flores mei fructus honoris & honeſtatis. Flores intelligi poſſunt prima ſancta deſideria vel propoſita. Vnde fructus vnus ſapientiæ eſt vitę ſpiritualis ſuſtentatio, ſecundum illud: Lignum vitę eſt his qui apprehenderint eam. Quod lignum quod fuit in paradiſo terreſtri, faceret vitę corporali, hoc ſapientia facit vitę ſpirituali. Secundus fructus eſt defenſio. Sapientiam non vincit malicia. Nõ nocebunt, & non

Eccle 4. Eccle. 24. Eccle. 4. Pro. 5. Eccle. 6. Eccle 24. Pro. 3. Sap. 7. Iſa. 8.

non occident in vniuerſo monte ſan
cto meo: quia repleta eſt terra ſcien-
tia Domini. Loquitur de ſerpentibus
infernalibus. Alius fructus eſt con-
Sap. 8. ſolatio ſancta. Intrans in domũ meã,
conquieſcam cum illa. Non enim
habet amaritudinem conuerſatio il-
lius, nec tedium conuictus illius, ſed
Prou. 3. lætitiam & gaudium. Qui tenuerit
Sene. epiſt. eam, beatus. Sene. Nemo poteſt be-
16. in prin. ne viuere, nec tollerabiliter quidem.
ſine ſapientiæ ſtudio: & beata vita
perfecta ſapientia efficitur, cæterum
tollerabilis inchoata. Circa ſextum
notandum, quod valde periculoſus
eſt defectus ſapientię in mundo iſto
periculis pleno: à quibus iuſti libera-
Prou. 11. buntur ſcientia. Qui me oderunt, di-
Ibid. 8. ligunt mortem. Sicut corpus huma-
Simile. num ex omni parte ſenſu munitũ eſt,
ne in aliqua parte corporis homo
neſcius partiatur: ſic ſpiritum ſapien-
tia oportet eſſe munitum, ne pericli-
tetur.

tetur. Prudentia ſeruabit te. *Prou.2.*

De profectu lectionis.

CAPVT XXIII.

COnſequẽter agendum eſt de profectu lectionis. Et notandum, quod octo ſunt quæ multum poſſunt valere ad hoc quod aliquis in lectione proficiat. Primum eſt, vt homo bene viuat. Aug. Errat, quiſquis veritatem ſe cognoſcere poſſe putat: ſi adhuc nequiter viuat. Concupiſcens ſapientiam cõſerua iuſtitiam: & Deus præbebit illam tibi. *Eccle.1.* Volatilia ad ſibi ſimilia conueniunt: & veritas ad eos qui operantur illam, reuertetur. *Ibid.27.* Collirio iniunge oculos tuos vt videas. Gloſ. Collirio oculi, vt videamus, inunguntur, cùm ad cognoſcẽdam veri luminis claritatem, intellectus noſtri aciẽ medicamẽto bonæ operationis adiuuamus. *Apoc.3.* Qui malè viuũt, quaſi ſpurcitia manus ſuę lumen diuinę ſapientiæ

pientię à ſe prohibent. Secundum eſt vt oratio lectionem pręueniat. Cùm ſapientia donum Dei ſit, non debet aliquis attentare violentia ſtudij irre quiſito Deo eam acquirere. Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo.

Iac. 1.

Aug. Oratione melius ſoluuntur dubia, quam inquiſitione alia. Tertium eſt humilitas. Reuelaſti ea paruulis.

Matth. 11.

Bern. Superbo oculo veritas non videtur.

Ser. 62. ſuper cant. circa fin.

Specialiter humilitas neceſſaria eſt legenti ſcripturam ſacram, propter humilem modum loquendi quem habet qui à ſuperbis contemnitur. Auguſt. Scriptura ſacra inuitat omnes humili ſermone, quos non ſolum manifeſtata paſcit, ſed etiam ſecreta exercet veritate. Idem in libro Confeſ. Inſtitui animam intendere ſcripturis ſacris: ſed mihi viſa eſt ſcriptura ſacra indigna, quam Tullianę dignitati comparem. Timor enim meus fugiebat modum eius. Illa autē

Lib. 3. capite 5.

érat,

ego dedignabar eſſe paruulus, & tur-
gidus faſtu grandis mihi videbar.
Idem in eodem. Mira profunditas e- *Eod. libro & cap.*
loquiorum tuorum: quorum ecce ſu
perficies ante nos blandiens paruu-
lis:ſed mira profunditas Deus meus,
mira profunditas horror eſt inten-
denti in eam. Quartum eſt timor Do
mini. Timor Domini principium ſa- *Pro.1.*
pientię. Si ille qui ſcripturam ſacram
legit, timorem Domini habeat, facit
eum declinare à malo ſ. ab errore ac
ſciēdi pręſumptione: à ſiniſtra inten-
tione, & à negligentia implēdi quod
legit. Qui enim timet Deū, nihil ne- *Eccle.7.*
gligit. Sapiens timet & declinat à ma
lo. Si verò timor Domini deſit illi
qui ſcripturā ſacrā legit: id quod legi
tur, ad alios refert, & non ſtudet ſecū-
dum lectionē ſe diligere, ſed potius
alios. Prudēti verbum Domini lucer
na eſt pedibus propriis, ſecūdum il-
lud

lud pſal. Lucerna pedibus meis ver-
Prou 15. bum Domini. Non dicit alienis. Vir prudens dirigit greſſus ſuos: imprudens neglectis ſuis dirigit alienos.
Lib. 2. c. 7. in initio. Quintum eſt manſuetudo qua authoritati ſcripturæ ſacræ credatur. Aug. in li. de doct. Chriſti. Ante omnia opus eſt Dei timore ad cognoſcendum eius voluntatem: deinde miteſcere opus eſt pietate, neque contradicere diuinæ ſcripturæ: ſiue intellectæ, ſi aliqua vitia noſtra percutit, ſiue non intellectæ, quaſi nos ſapere melius & percipere poſſemus: ſed cogitare potius & credere, id eſſe melius & verius, quod ibi ſcriptum eſt, etiam ſi lateat, quàm id quod nos per
Lib. 2. c. 7. in prin. noſipſos ſapere poſſumus. Idem in eodem. In omnibus canonicis ſcripturis timentes Deũ, & pietate manſueti quærunt voluntatem Dei. Sextum eſt diligentia tam in correctione librorum: quàm in indagatione

ſcriptu

ſcripturarum. De primo dicit Aug. in lib. de doct. Chriſt. Codicibus emendandis primitus debet inuigilare ſolertia eorũ qui ſcripturas noſſe deſyderant. De ſecundo dicit Auguſtin. in eodem. Erit, inquit, diuinarum ſcripturarum ſolertiſſimus indagator, qui primo totas legerit, notaſque habuerit, & ſi nõdum intellectu, iam tamẽ lectione, duntaxat eas quæ vocantur canonicæ: nam cæteras ſecurius leget, fide veritatis inſtructus. Et infra. In ſcripturis quærẽtium voluntatem Dei prima obſeruatio eſt, noſſe canonicas ſcripturas, & ſi nondum ad intellectum, legendo tamen memoriæ mandare, vel omnino incognitas non habere. Deinde ea quę in eis apertè poſita ſunt, vel præcepta viuendi, vel regulæ credendi ſolertius diligentiuſque inueſtiganda ſunt, quæ tanto in eis quiſque plura inuenit, quanto eſt intelligentia ca-

Li. 2 c. 14. in fine.

Lib. 2. c. 8. in initio.

Lib 2. c. 9. in prin.

pacior. In his enim quę apertè in ſcripturis poſita ſunt, inueniũtur omnia illa quæ continent fidem, moreſque viuendi, ſpem ſcilicet & charitatem. Tunc verò ſancta quadam familiaritate cum ipſa lingua diuinarum ſcripturarũ, in ea quæ obſcura ſunt, aperienda & diſcutienda pergendum eſt. Ad diligentiam pertinet, vt caueatur nimia velocitas in tranſcurrendo. Nõ enim videt animus, tranſcurrendo latentẽ ſententiam. Sapiens. Nihil magnum, rerũ ipſa natura cito effici voluit: præpoſuitque pulcherrimo cuique operi difficultatẽ. Naſcẽdi quoque hanc legem fecit, vt maiora animalia viſceribus parentum diutius continerẽtur. Dicitur in libro de natura animalium, quod elephas femina pregnans eſt duobus annis, quæ eſt magnum animal. Septimum eſt, vt homo ſit aſſiduus in legẽdo. Hier. Diuinæ ſcripturæ ſemper in manibus,

bus,& iugiter in mente voluātur:nec ſufficere putes mandata memoria tenere, & operibus obliuiſci. Idem, Diuinas ſcripturas ſæpius lege: imò ſacra lectio nunquam de manibus tuis deponatur. Octauum eſt, vt de ſapientia à Deo accepta non ſit ei ingratus:ſed datorem ſuum glorificet. Danti mihi ſapientiā,dabo gloriam. Eccl.vlt.

De profectu meditationis.

CONſequenter agēdum eſt de meditatione. Circa quam hoc modo procedetur. Primo diſtinguetur meditatio à ſimplici cogitatione & contemplatione. Deinde oſtendetur quod in meditando magna diſcretio ſit habenda. Tertio ponentur ea quæ Doctores Eccleſiæ à Deo edocti, & circa hanc materiam experti:de conſyderatione & contemplatione ſcripſerunt.

Quomodo meditatio diſtinguitur à ſimplici cogitatione.

CAPVT XXIIII.

CIrca primum notandũ, quòd triplex eſt intuitus animæ, ſcilicet, ſimplicis cogitationis, meditationis, ſeu conſiderationis, & cõtẽplationis. De his ſic loquitur Richardus de ſancto Vict. Sciendum eſt, quòd eãdem materiam, aliter per meditationem rimamur, aliter per contemplationẽ miramur, aliter per cogitationẽ opinamur. Cogitatio per deuia lẽto gradu ſine reſpectu peruentionis, paſſim huc illucque vagatur. Meditatio per ardua viæ ſæpe & aſpera, ad directionis finem cum magna animi induſtria nititur. Contemplatio verò libero volatu, quocunque eum fert impetus ſpiritus, mira agilitate circũfertur. Idem prædicta deſcribit his verbis. Cõtemplatio eſt libera mentis perſpicacia in ſapientiæ ſpectacula cum admiratione ſuſpenſa. Vel cõtemplatio eſt perſpicax, & liber animi

mi intuitus in res perſpiciēdas vſquequaque diffuſus. Meditatio verò eſt ſtudioſa mentis intētio, circa aliquid inueſtigandum diligenter inſiſtens. Vel meditatio eſt prouidus animi intuitus in veritatis inquiſitione vehementer occupatus. Cogitatio autem eſt improuidus animi reſpectus ad euagationem pronus. Ricardus meditationem accipit pro cōſyderatione, conuenienter tamen poſſet ſumi meditatio communius, vt contineret conſyderationē & cōtemplationem. Bern. in lib. de conſyderat. diſtinguit cōſyderationem & contemplationē his verbis. Conſyderationem non idem per omnia quod cōtemplationem intelligi volo: quòd contemplatio ad rerum certitudinem, cōſyderatio ad inquiſitionē magis ſe habeat. Iuxta quē ſenſum poteſt contemplatio diffiniri, verus certuſque animi intuitus de quacunque re: ſiue non du-

Lib. 2. inter prin. & med.

bia apprehenſio veri. Conſyderatio autem, intenta ad inueſtigandum cogitatio, vel intētio animi inueſtigantis verum, quandam ſoleant indifferenter pro inuicem vſurpari.

Quod magna diſcretio habenda eſt in meditatione.

CAPVT XXV.

Circa ſecundum notandum quod tria ſunt quæ requirūt vt in meditando magna diſcretio habeatur. Primū eſt hoc quòd meditatio ſit in conſpectu Dei, ſecundum illud Pſal. Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. Auferte malū cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Secundum eſt quod potentia, cuius eſt actus meditandi, os animæ eſt: ſecundum illud Pſal. Os iuſti meditabitur iuſtitiam. Iuſtus reputat os ſuum: os animæ, ſcilicet, intellectum. Iniuſtus verò reputat os ſuum os iumenti ſui, ſcilicet os corporis. In ore fatuorum

Iſai. 1.

Eccl 21.

cor

cor illorum: & in corde ſapientum os illorum. Tria pertinent ad os corporis,ſcilicet, loqui, cibum ſumere, & oſculari. Similia pertinent ad os animæ. Vnde meditatio eſt animæ ad Deum locutio:ideo oportet quod in ea magna habeatur diſcretio.Frequenter etiam meditatio eſt Dei locutio ad animam ſecũdum illud.Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Bernardus ſuper cantic. Sunt quædã verba Dei ad nos,noſtrę meditationes, de ipſo & eius gloria, & elegantia, potẽtia & maieſtate.Item meditatiõe paſcitur anima:ideo multum cauendum eſt,ne meditetur immũda. Sapientiã & verba ſacræ ſcripturæ meditari debet tanquã ſpecies aromaticas ore ſpirituali maſticans. Sicut cynamomum & balſamũ aromatizans odorem dedi. Tales erant meditationes Dauid, qui fuit vir ſecũdum cor Dei.Vnde dicebãt:Quo-

Serm.31. ant.med.

Eccl.24

modo dilexi legem tuam Domine: tota die meditatio mea eſt. Item meditabor in mandatis tuis,quæ dilexi. Et in deſcriptione beati viri dicitur. In lege Domini meditabitur die ac nocte.Meditatio iuſti etiã debet eſſe circa virtutes. Mens iuſti meditabitur obediẽtiam, Beatus vir,qui in ſapientia morabitur: & qui in iuſtitia meditabitur. Non decet in ore cordis ſpiritualem immundiciam verſari:ſicut nec immundiciã corporalem in ore corporis,cum os animæ ſit nobilius ore corporis, & immunditia ſpiritualis maior ſit quàm corporalis. Temporalia quę Apoſtolus reputauit vt ſtercora,ab ore ſpirituali ſunt repellenda. Item os animæ ſponſum cœleſtẽ debet oſculari,propter quod in magna mundicia eſt ſeruandum. Oſculetur me oſculo oris ſui. Quis mihi det,vt inueniam te foris,& deoſculer te? Tertio requirit diſcretionem in

Prou. 15. *Eccl. 14.* *Cant. 1.* *Ibid. 8.*

in meditando, & quod meditationes principia ſunt affectionum & aliarum operationum. Vnde debitas meditationes ſequẽtur debitæ affectiones. in pſal. In meditatione mea exardeſcet ignis. In meditatione amoris, quo Deus dilexit nos, & beneficiorum à Deo receptorum, exardeſcet ignis noſtri amoris ad Deum. Diſcretio ergò circa meditationes eſt neceſſaria, vt, ſcilicet, tales prouideantur, quæ Deo non diſpliceant, & quæ os ſpirituale deceant: & à quibus affectiones vtiles & aliæ operationes prodeant.

Capitulum 26. in quo ponuntur ea quæ beatus Bernardus ſcripſit de conſyderatione & contemplatione.

CIrca tertium, primo ponemus ea quæ de conſyderatione beatus Bernad. ſcripſit, ſecundo lib. de conſyderatione. Quatuor, inquit, tibi cõ- *Lib. 2. inter princ. & med.*

ſyderanda reor:te, quæ ſub te, quæ circa te, quæ ſupra te ſunt. In quinto verò libro de conſyder. dicit. Velim hoc ſolerter aduertas vir ſagaciſſime Eugeni: quia toties peregrinatur cõſyderatio tua, quoties ab illis rebus ad iſta deflectitur, inferiora & viſibilia, ſiue intuenda ad notitiam, ſiue appetenda ad vſum, ſiue pro officio diſponenda vel actitanda. Si tamen iſta verſatur in his, vt per hæc illa acquirat: non procul exulat, ſi cõſiderare repatriare eſt. Sublimior iſte præſentium ac dignior vſus rerum, cùm iuxta ſapiẽtiam Pauli, inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Sanè hac ſcala ciues non egent, ſed exules. Quid opus ſcala tenenti ſolium? Creatura cœli illa eſt preſto, habens per quod potius iſta intueatur. Videt verbum, & in verbo facta per verbum: nec opus habet in his quę facta ſunt, factoris noticiam

Lib. 5. circa prin.

men

uerit, ad ipſa deſcendit, quæ ibi illa videt, vbi longè melius ſunt, quàm in ſeipſis. Deinde in eodẽ libro diſtinguit diuerſas ſpecies conſyderationis, his verbis. Magnus ille qui vſu ſenſuum veluti quaſdam ciuium opes expendere ſatagit: diſpẽſando in ſuam & multorum ſalutem. Neque ille minor, qui hunc ſibi gradum ad illa inuiſibilia philoſophando conſtituit: vbi quòd hoc dulcius, illud vtilius: hoc felicius, illud fortius eſſe, cõſtat. At omniũ maximus, qui ſpreto ipſó vſu rerum & ſenſuum, quantum quidẽ humanæ fragilitati fas eſt, non aſcenſoriis gradibus, ſed inopinatis exceſſibus: aduolare interdum contẽplando ad illa ſublimia cõſueuit. Ad hoc vltimum genus illos pertinere reor exceſſus Pauli: exceſſus non aſcenſus. Nam raptum potiùs fuiſſe quã aſcẽdiſſe, ipſe ſe perhibet. *Lib. 5 paulò à prin.*

Et

Lib. 5. de conſyd pau lò à princ.

Et ſubdit Bern. Vis tibi has conſyderationis ſpecies propriis diſtingui nominibus? Dicamus ſi placet primam diſpenſatiuam: ſecũdam æſtimatiuã: tertiam ſpeculatiuam. Diſpenſatiua eſt conſyderatio ſenſibus, ſenſibilibuſque rebus ordinatè & ſociabiliter vtens: ad promerendum Deum. Eſtimatiua eſt conſyderatio prudenter ac diligẽter quæque ſcrutans ac ponderans: ad inueſtigandum Deũ. Speculatiua eſt conſyderatio ſe in ſe recolligens, & quantum diuinitus adiuuatur, rebus humanis exiens ad cõtemplandum Deum. Quod prima optat, ſecũda adorat, tertia guſtat. Dixiſti ſatis, inquit, qua via aſcendatur: & quo aſcendendum, dicere habes. Falleris ſi id ſperas: ineffabile eſt. Tu me exiſtimas loqui, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ Deus præparauit diligentibus ſe: Nobis, inquit, reuela

uelauit Deus per ſpiritum ſanctum. Ergo quæ ſupra ſunt, non verbo docentur, ſed ſpiritu reuelantur. Verùm quod ſermo non explicat, conſyderatio quærat, oratio expectet, mereatur vita, puritas aſſequatur. Sanè eorum admonitus quæ ſupra ſunt, nō te exiſtimes mitti ad me: ſuſpice ſolem, lunam, & ſtel. &c. Iſta ſiquidem omnia etſi ſupra, loco: precio tamen, infra ſunt & dignitate naturæ. Sunt enim corpora: Tui, portio ſpiritus eſt: quoddam ſuperius. Quæris quidnam ſit ſpiritus? Porrò ſpiritus eſt Deus, ſunt & angeli ſancti, & hi ſupra: ſed natura angeli: gratia, ſuperiores ſunt. Idem in eodem diſtinguit quatuor ſpecies contemplationis reſpectu Dei his verbis: Prima & maxima cōtemplatio eſt admiratio maieſtatis. Hæc requirit cor purgatum, & à viciis liberum, atque exoneratū peccatis, vt facilè ad ſuperna leuetur.

1.Cor.2.

Lib. 5. de conſid. parum à fine.

Inter

Interdum quoque per aliquas morulas ſtupore extaſi ſuſpenſum teneat admirantē. Secunda autem & neceſſaria huic eſt humilitas. Eſt enim intuens iudicia Dei, quo ſanè pauido aſpectu dum vehementius concutit intuentem, fugat vicia, fundat virtutes, inhiat ad ſapiētiam, humilitatem ſeruat. Virtutum ſiquidem tutum & ſtabile fundamentū humilitas. Nempe ſi nutet illa: virtutum aggregatio non niſi ruina eſt. Tertia contēplatio occupatur, vel potius ociatur circa memoriam beneficiorum: & ne dimittatur ingratum, ſollicitat memorantem ad amorem benefactoris. Quarta quæ retro ſunt obliuiſcens, in ſola requieſcit expectatione promiſſorū. Quæ cùm ſit meditatio æternitatis (ſiquidem quæ promittuntur, æterna ſunt) lōganimitatē alit, & perſeuerātiæ dat vigorē. Deinde adaptat. *Lib. 5. de conſid. parum à fine.* Bern. quatuor dictas ſpecies cōtemplatio

ſtolus: Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas & profundum. Longitudinem, inquit, apprehendit meditatio promiſſorum: latitudinem, recordatio beneficiorum: ſublimitatem, cōtemplatio maieſtatis: profundum, inſpectio iudiciorū. Idem in eodem. Deus eſt longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum. Res vna eſt longitudo, propter æternitatem: latitudo, propter charitatē: ſublimitas, propter maieſtatem: profundum, propter ſapiētiam. Iſta non comprehendit diſputatio: ſed ſanctitas. Sanctum facit affectio ſancta, & ipſam generat timor Domini, & ſanctus amor. His perfectè affecta anima veluti quibuſdam brachiis duobus comprehendit, amplectitur, tenet, ſtringit, & ait: Tenui eum, nec dimittam. Timor quidem ſublimi

Eodem loco nunc dicto.

&

& profundo:amor lato longoq́ue reſpondet. Quid tam timendum quàm poteſtas, cui nõ potes reſiſtere: quàm ſapientia cui abſcõdi non potes? Poterat minus timeri Deus alterũtro carens: nunc autem perfectè oportet timeas illum, cui non oculus deeſt omnia videns: nec manus omnia potens. Item quid tam amabile quàm amor ipſe, quo amaris? amabiliorem tamen iuncta æternitas facit, quæ dum non excidit, mittit foras ſuſpicionem. Stupenda planè ſublimitas maieſtatis, pauenda abyſſus iudiciorum, feruorem exigit charitatis: æternitas perſeuerantiam ſuſtinendo. Idẽ

Serm'ſ. 62. circ. med. ſuper canti. Duo ſunt contemplationis genera. Vnum de ſtatu & felicitate & gloria ciuitatis ſupernæ. Alterum de regis ipſius maieſtate, æternitate, & diuinitate. Perfecti rimari ac penetrare arcana ſcientiæ ex puritate conſcientiæ audent, &

acumi

autem in Deum intendere non ſuffi-
ciunt: contenti ſunt gloriam ſancto-
rum mente intueri. Idem præparati-
uam ad diuinorum cõtemplationem
tangit his verbis: Quæ oculos men-
tis emundant, vt ad lumen veritatis
ſubleuari poſſint, hæc ſunt. Secularis
vitæ abſciſſio, carnis afflictio, cordis
contritio, frequens & pura delicti
confeſſio: & lauacrum fletus: & cum
foras miſſa fuerit omnis immundi-
tia, ſurſum eos attollunt meditatio
admirabilis eſſentiæ Dei, & caſtæ ve
ritatis inſpectio: oratio munda & va-
lida, iubilus laudis, & deſiderium ar-
dens in Deum. Item. Ber. ſup. Cant. *Ser. 85. ſu-*
oſtendit quæ anima ſit ſponſa Dei, *per cant.*
diuerſas ſcholes eius diſtinguens his *aliquantu-*
verbis: Animam quam videris omni- *lum ante*
bus relictis, votis omnibus adhærere *finem.*
verbo, viuere verbo, ſe regere de ver-
bo, & concipere, puta coniugem. At-

tende in ſpirituali matrimonio duo eſſe genera pariendi,& ex hoc etiam diuerſas ſoboles, ſed non aduerſas. Cum ſanctæ matres aut prædicando animas:aut meditando, intelligentias pariunt ſpirituales. In hoc vlt. genere exceditur, & ſeceditur etiam à corporalibus ſenſibus: vt ſeſe non ſentiat, quæ verbum ſentit. Hoc fit cum mens ineffabili verbi illecta dulcedine,quodammodo ſe ſibi furatur, imo rapitur atque illabitur à ſe ipſa: vt verbo fruatur. Aliter ſane afficitur mens fructificans verbo: & fruens verbo. Illic ſollicitat neceſſitas proximi, hic inuitat ſuauitas verbi, & quidem læta in prole mater: ſed in amplexibus ſponſa lætior. Chara pignora filiorum, ſed oſcula plus delectant. Pergat quis forſitan quærere à me verbo frui quid ſit. Reſponſio. Quærat potius expertum à quo id quærat:aut ſi & mihi experiri daretur,

retur, putas me poſſe eloqui quod ineffabile eſt? Audi expertum. Siue excedimus (inquit) mente Deo, ſiue ſobrij ſumus nobis. Hoc eſt aliud, mihi crede: ſolo arbitro Deo aliud vobis committo. Bonum eſt ſaluare multos: excedere autem & in verbo eſſe multo iocundius. At quādo hoc, aut quandiu hoc dulce commertium ſed breue momentum & experimentum. Quiſquis curioſus es ſcire, quid ſit hoc verbo frui: para illi nō aurem, ſed mentem. Non decet hoc lingua, ſed decet hoc gratia. Abſconditur hoc à ſapientibus & prudentibus: & reuelatur paruulis. Eſt magna fratres magna & ſublimis virtus humilitas, quæ promeretur quod non docetur: digna adipiſci, quod non valet addiſci: digna à verbo, & de verbo concipere, quod ſuis ipſa verbis non poteſt explicare. Idem ſuper Cant. Dicamus verbum Dei Deum, ſponſum

Serm. 74. parum à princ. animę & venire ad animam,&iterum dimittere eam, tantum vt ſenſu animæ non motu verbi iſta fieri ſentiamus. Verbi cauſa. Cùm ſentit gratiã, agnoſcit præſentiam: cùm non, abſentiam quæritur, & rurſum præſentiam quærit. Abeunte verbo vna interim & continua vox cõtinuum exprimens deſiderium eius, tanquam vnum continuúmque reuertere, donec veniat. Ideo ſubtraxit ſe, vt auidius reuocaretur: teneretur fortius. Præteriens teneri vult: abiens reuocari. O modicum non modicum, ò modicum longum. Pie Domine, modicum dicis, quòd non videamus te? ſaluum ſit verbum Domini mei, longum eſt valde nimium, veruntamen vtrunque verum, & modicum meritis, & nõ modicum votis. Quomodo non tardabit, ſi moram fecerit, niſi quia quoad meritum pluſquam ſatis eſt: nec eſt tamen ſatis ad deſiderium.

derium. Prodat ſanè vt proſim, & ſi profeceritis vos, meam inſipientiam conſolabor. Fateor & mihi adueniſſe verbum (in inſipientia dico) & plu-ries: & interdum præſentire potui, introitum ſentire nunquam, ſed ne exitum quidem. An forte nec introi-uit quidem, quia non de foris venit. Porrò neque de intra me venit, quoniam bonum eſt: & ſcio quia non eſt in me bonum. Si aſpexi foras, exterius comperi illud: ſi intus, etiam ipſum interius erat: & cognoui verum eſſe quod legeram, quòd in ipſo viuimus, mouemur & ſumus. Tantum ex motu cordis intellexi præſentiā eius. Cępit enim euellere & deſtruere, ędificare, & plantare, rigare arida tenebroſa illuminare, clauſa reſerare, frigida inflāmare: & hoc mihi ſignum acceſſionis eius. Triſtis ſit neceſſe eſt anima mea, donec iterum reuertatur: & recaleſcat cor meum.

Quæ ſcripſit Auguſtinus de contemplatione.

CAPVT XXVII.

Cap 33. AVguſtinus ſeptem gradus tãgit in li. de quantit. animæ: in quorum vltimo ponit contemplationẽ. Ad primum pertinent operationes hominum, cum arbuſtis communes, vt eſt, quòd anima præſentia ſua corpus viuificat, colligit in vnum, & in vno tenet, & defluere & cõtabeſcere non ſinit: alimenta pro membra diſtribuit, congruentiam corporis & modum ſeruat, & non tantum in pulchritudine, ſed in creſcẽdo & gignendo. Ad ſecundum gradum pertinent operationes homini cõmunes & brutis: vt eſt, ſentire & moueri. Ad tertiũ gradum pertinent operationes propriæ hominis, communes tamen bonis & malis, vt agros colere, vrbes conſtruere, eloqui futura ex præſentibus coniicere. In quarto gradu anima ſe

ma ſe non ſolum ſuo corpori, ſed etiam vniuerſo corpori audet præponere: & bona eius bona ſua non putare, atque potentiæ pulchritudinique ſuæ comparata contemnere: & à ſordibus ſe abſtrahit, totamque emaculat: & hæc pertinere videntur ad virtutem temperantiæ. Item roborat ſe aduerſus omnia, quæ à propoſito & ſententia mouere moliuntur, & hoc ad fortitudinem. Item ſocietatem humanam magni pendit, nihilque vult alteri, quòd ſibi nolit accidere: hoc ad iuſtitiam. Sequitur auctoritatẽ & præcepta ſapientium, & per hoc loqui ſibi Deũ credit: hoc ad prudẽtiã. In hoc tã pręclaro actu animæ adeſt adhuc labor, contra huius moleſtias atque blanditias magnus conflictus. Ad quintũ pertinet, Vt anima ab omni labe libera, maculiſq; lota in hoc ſtatu ſe teneat. Aliud eſt enim efficere: aliud tenere puritatẽ, vt ait Au

Eodem li. de quantitate animæ ca. 33.

guſt. Alia prorſus actio qua ſe inquinatam reintegrat: Alia qua non patitur ſe rurſum inquinari. Tunc ingenti quadam & incredibili fiducia pergit in Deum, id eſt in ipſam veritatis contemplationem, & illud propter quod tantum laboratum eſt, altiſſimum & ſecretiſſimum premium eſt. Sextus ergo erit iſte actionis gradus. Aliud eſt enim mundari ipſum oculum animæ, ne fruſtra & temere aſpiciat: Aliud ipſam cuſtodire & firmare ſanitatem: aliud iam ſerenum atque rectum aſpectum in illud quod eſt videndum, dirigere. Quod qui prius volunt facere, quàm mundati & ſanati ſuerint: luce reuerberantur veritatis. Septimus & vltimus animę gradus eſt viſio, & contemplatio veritatis. Neque eſt iam gradus, ſed quædam manſio. Primus actu dicatur attentio: ſecundus ſenſus: tertius ars: quartus virtus: quintus tranquillitas:

litas: ſexus ingreſſio: ſeptimus contemplatio. Secundum Aug. duo multum præparant ad contemplationem ſcilicet, puritas, & feruens charitas. De primo dicit in libro Soliloquiorum illi, qui ſpecialem amorem habet ad ſapientiam. Cùm fueris talis, vt nihil te prorſus terrenum delectet: mihi crede eodem momento, eodem puncto temporis, videbis quod cupis. In eodem habetur de ſecundo: ſapientiæ caſtiſſima pulchritudo ſe tibi, ſi in ſolam arſeris, demonſtrabit.

Quædam in libro de vita ſolitaria dicuntur de contemplatione.

IN libro de vita ſolitaria diſtinguũtur octo gradus, quibus contemplatiui aſcendunt. Primus eſt perfecta obedientia, ſecundus eſt corpus ſuum in ſeruitutem redigere, tertius vſu boni conſuetudinem vertiſſe in

Habetur libro apud Berna & eſt ad fratres demõte Dei.

delectationem, quartus eſt intelligere quæ in doctrina fidei apponuntur ei: quintus, eſt talia præparare, qualia apponuntur: ſextus eſt, cùm in affectum mentis tranſit iudicium rationis: ſeptimus eſt, reuelata facie ſpeculari gloriam Dei: octauus eſt, tranſformari à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu. Et notandum quòd Dei bonitas lumen ſuum ſecundum beneplacitum ſuum, viris contemplatiuis oſtendit, ſecundum illud. In manibus abſcondit lucem,

Iob.36. præcepit ei, vt rurſus adueniat: annunciat de ea amico ſuo, quòd poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit aſcendere. In li. de vita ſolit. Electo & dilecto Dei viciſſim lumen vultus Dei aliquando oſtenditur, ſicut lumen clauſum in manibus, & latet, & patet ad arbitrium tenentis: vt per hoc quòd quaſi in tranſcurſu vel in puncto videre permittitur, inardeſcat animus

Aliquantulum ante finem li. & habetur apud Ber.

nimus

nimus ad plenam poſſeſſionem luminis æterni, & hæreditatem plenę viſionis Dei, vt innoteſcat aliquatenus id quod ei deeſt. Nonnunquam pertranſiens gratia perſtringit ſenſum amantis:& eripit eum ſibi,& rapit in Deum à tumultu rerūm ad gaudia cœleſtia: & pro modulo ſuo ad momentum & punctum idipſum ei oſtendens videndum, ſicuti eſt. Interim etiam ipſum efficit in idipſum, vt ſit ſuo modo ſicuti illud eſt. Vbi cùm didicerit quid ſit inter mundum & immundum, redditur ſibi & remittitur ad mundandum cor ad viſionem, ad aptandum animam ad ſimilitudinem, vt ſi aliquando rurſum admittatur, ſit purior ad videndum:& ſtabilior ad fruendum. Nuſquam enim ſe melius deprehendit modus humanæ imperfectionis, quã in lumine vultus Dei, in ſpeculo diuinæ viſionis, In eodem. Deus qui

ſemper

Parum à ſine lib.

ſemper quæritur, vt dulcius inueniatur, dulciſſimè inuenitur: vt diligentius quæratur. Hoc ergo ineffabile cum non niſi ineffabiliter videatur, qui vult videre, cor mundet, quia nulla corporis ſimilitudine dormienti, nulla corpora ſpecie vigilanti, nulla rationis indagine, niſi mundo corde humiliter amanti: videri poteſt vel apprehendi. Hæc eſt enim facies Dei quam nemo poteſt videre: & viuere mundo. Hæc eſt ſpecies, cui contemplandæ ſuſpirat omnis qui affectat diligere Dominum Deum ſuum in toto corde ſuo, & in tota anima ſua: & in omnibus viribus ſuis. Ad quod etiam nō deſinit incitare proximum ſuum, ſi diligit eum ſicut ſeipſum. Ad quod cùm aliquando admittitur in ipſo lumine virtutis, videt preuenientem gratiam cùm inde repellitur, in ipſa cęcitate ſua intelligit puritati eius non conuenire ętiam mundiciam ſuam.

ſuam. Et ſi amat flere, dulce habet: & non ſine multo gemitu cogitur redire in conſcientiam ſuam.

Quæ ſcripſit magiſter Ricardus de S. Victore de contemplatione.

CAPVT XXVIII.

RIcardus de ſancto Victore diſtinguit ſex contemplationis genera. Primum eſt imaginatione, & ſecundum ſolam imaginationem: ſecundum in imaginatione ſecundum rationem: tertium eſt in ratione ſecundum imaginationem: quartum in ratione ſecũdum rationem: quintum eſt ſupra rationem: ſed non præter rationem: ſextum eſt ſupra rationem & videtur eſſe præter rationem. Duo ſunt in imaginatione: duo in ratione: duo in intelligentia. In imaginatione cùm obſtupeſcentes attendimus corporalia iſta, quę ſenſu corporeo haurimus: quam ſint multa, quàm magna, quàm diuerſa, quàm pulchra, vel

vel iocunda : & in his omnibus creatricis illius ſupereſſentiæ potentiam, ſapientiam, magnificētiam miratur. Tunc contemplatio noſtra in imaginatione verſatur,& ſecundum ſolam imaginationem formatur : quando nihil argumentando queritur, ſed liberè mens noſtra huc illucque diſcurrit : quo eam in hoc ſpectaculorum genere admiratio rapit. Secundum genus eſt, quando ad ea quæ in imaginatione verſamus, & quæ ad primum genus contemplationis pertinere iam diximus,rationem quærimus & inuenimus : imò inuentam & notam cum admiratione in conſiderationem adducimus. In illo res ipſas : in iſto earum rationem, ordinem,diſpenſationem, & vniuſcuiuſque rei cauſam,modum & vtilitatem rimamur,ſpeculamur,miramur. Tertium genus eſt, quando per rerum viſibilium ſimilitudinem, in rerum inuiſibilium

uiſibiliũ ſpeculationem ſubleuemur. Quartũ genus eſt quãdo ſemoto omnis imaginationis officio, ſolum animus intendit quæ imaginatio nõ nouit: ſed quæ mens ex ratiocinatione colligit, vel per rationem comprehẽdit: vt quando inuiſibilia noſtra quæ per experientiã nouimus, & ex intelligentia capimus, in cõſiderationem adducimus: & ex eorũ cõſideratione in cœleſtiũ animorum & ſupermundanorum intellectuum contemplationem aſſurgimus. Quintũ eſt, quãdo ea ex diuina reuelatione cognoſcimus, quæ nulla humana ratione plenè comprehendere: quæ nulla noſtra ratiocinatione integrè inueſtigare ſufficimus. Talia ſunt illa quę de diuinitatis natura, & illa ſimplici eſſentia credimus, & ſcripturarum diuinarum auctoritate probamus Super rationem, nec tamen præter rationem cenſenda eſt, quãdo ei quòd intelligẽtia

per

per aciem cernitur: humana ratio cõtraire non poteſt, qui potius acquieſcit, & ſua atteſtatione alludit. Sextum eſt quando animus illa ex diuini luminis irradiatione cognoſcitatque conſiderat: quibus omnis humana ratio reclamat. Talia ſunt penè omnia quæ de perſonarum trinitate credere iubemur. Duo ex his in imaginatione conſiſtunt: quia ſolis ſenſibilibus intendunt. Duo in ratione conſiſtunt: quia ſolis intelligibilibus inſiſtunt. Duo in intelligentia, quia ſolis intelligibilibus intendunt. Senſibilia dico: ſenſu corporeo perceptibilia. Intelligibilia dico inuiſibilia, ratione tamen comprehenſibilia. Intellectibilia dico inuiſibilia, & humanę rationi incõprehenſibilia. Proprium eſt primę cõtemplationi, ſimpliciter & ſine vlla ratiocinatione, viſibilium admirationi inhærere. Proprium eſt ſecundæ viſibilium rerum rationi,

rationi, ratiocinando inſiſtere. Proprium eſt tertiæ per viſibilia ad inuiſibilia ratiocinãdo adſcẽdere. Proprium eſt quartæ ex inuiſibilibus inuiſibilia ratiocinãdo colligere: & per expertorum intelligentiam ad ignotorum noticiam proficere. Propriũ eſt quintæ in intelligibilium intelligẽtia, rationem admittere. Proprium eſt ſextæ in intelligibilium intelligẽtia omnem humanam ratiocinationem tranſcẽdere. His ſex cõtẽplationũ alis, à terrenis ſuſpẽdimur: ad cæleſtia eleuamur. Citra perfectũ te eſſe non dubites: ſi adhuc aliquibus illarũ cares. Mecum & mei ſimilibus bene agitur: ſi vnũ ex his tribus alarũ paribus datur. Quis mihi dabit pennas vt colũbæ, & volabo, & requieſcã? Terrenũ & nondũ cœleſte animales: quãdiu tantum duabus alis contentus fueris. Habes tantum vnde corpus tuum velare, non vnde volare, poſſis.

Cc

Corpus velare eſt mundanorũ concupiſcentiam ex mundanæ mutabilitatis conſideratione temperare: imò in obliuionem adducere. Volare eſt ab amore mundi ſe elongare. Nitere in his aliis quantum poteris, apprehendere ſaltem nouiſſima maris. Si ſumpſero, inquit pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Extrema maris mundi terminus vniuſcuiuſque vitæ propriæ. Extrema maris tenere eſt mũdi finẽ, mundanæque vitæ exitum cum deſiderio expectare. Extrema maris apprehenderat, qui dicere poterat: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Parum tibi debet eſſe has duas alas accepiſſe: ſed vt probes te cæleſte animal eſſe: ſtude & ſatage ſaltem duo paria habere. Cæleſtia animalia erant, quæ vidit Ezechiel. quatuor, inquit, facies vni:
Ez.c. 1. & quatuor pẽnæ alteri: Duabus corpus ſuũ velabant: & cæteris duabus

vola

volabāt. Sūt corpora cæleſtia: & ſunt corpora terreſtria. Si totū corpus tuū lucidū fuerit, non habēs aliquā partē in ſe tenebrarum: Vtile erit illud ab humanæ arrogantiæ oculis abſcondere, & ſub humanæ mutabilitatis incerto, propriæ æſtimationis claritatē temperare. Neſcit homo finem ſuum. In primo alarum pari, velet homo corpus ſuum: in ſecundo volet in cœlū. Satagat ſtudio & deſiderio in cœleſtibus eſſe, vt poſſit cū Apoſtolo dicere: Noſtra conuerſatio in cœlis eſt. Verūtamen ſi vſque ad tertiū cœlum penetrare paras: nunquam illud in duobus alarū paribus poſſe pręſumas. Oportet enim ſex contemplationū alas aſſignatas habere: qui cupit ad tertij ſecreta diuinitatiſque arcana volare. Has ſex alas contemplationū ſoli perfecti in hac vita vix habere poteſt. Has in futura vita electi, tā in hn̄ibus quā in angelis habituri

Eccl. 9.

Phil. 3.

ſunt, vt de vtraque natura veraciter dici poſſit, quia ſex alæ vni: ſex alę alteri. Primus contemplationis gradus
Iſaie. 6.
debet eſſe incipiẽtium. In hoc genere contemplationis homo Deum in omnibus operibus mirabilem, laudabilem, amabilem reperit. Pſalm. Domine Dominus noſter, &c. ecce mirabilem. A ſolis ortu vſque ad oc. & laud. nom. Domini, ecce laudabilem. Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis, ecce amabilem. Hæc ſpeculatio triplex eſt, prima in rebus, ſecunda in operibus, tertia in moribus. Prima etiã triplices habet ſpecies, prima eſt in materia, ſecunda in forma, tertia in natura. Materiam & formã viſu corporeo facile deprehendimus. Nam lapidẽ à ligno, triangulũ à quadrãgulo ſine errore diſcernimus. Natura cõſyderatur in rerum qualitate intrinſeca: vt forma cõſiſtit in qualitate extrinſeca. Qualitas rerũ inte

interior ex magna parte corporeo percipitur ſenſu:ſicut ſapores guſtu, odores olfactu.Operatio duplex eſt. Alia eſt enim naturæ, alia induſtriæ. Operationem naturæ facile deprehendere poſſumus, vt in graminibus quomodo creſcunt,& marceſcunt:in arboribus ſimiliter, quòd frondent, florent & fructificant:in animalibus quomodo concipiũt, & pariũt:quòd alia naſcuntur,alia moriũtur. Operatio induſtriæ,ſcilicet, artificis oſtenditur in picturis,cælaturis,ſcriptura, agricultura,& huiuſmodi.Diſciplina verò morum ex inſtitutione diuina partim proceſſit:& partim ex inſtitutione humana. Ad diuina inſtituta pertinent obſequia diuina:& quælibet Eccleſiæ ſacramenta.Ad inſtituta humana pertinent humanæ leges. Humana inſtitutio eſt propter vitam inferiorẽ,diuina propter vitam ſuperiorẽ. In hoc genere cõtemplationis

propheta oſtendit ſe exercuiſſe dicẽs: Meditatus ſum in omnibus operibus tuis. Iterum: delectaſti me Domine in factura tua. Et iterũ. Quàm magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti. Hoc genus contemplationis rectè in ſeptem gradus diſtinguere poſſumus. Primus conſiſtit in illa admiratione rerũ quæ conſurgit ex cõſyderatione materiæ. Secund. cõſiſtit in illa admiratione rerum, quæ conſurgit ex conſyderatione formæ. 3. in illa rerũ admiratione, quã gignit cõſyderatio naturæ. Quartus in illa admiratione, quæ eſt circa operationẽ naturæ. Quintus in illa admiratione, quę eſt circa operationẽ induſtriæ. Sextus in cõſyderãdis & admirãdis inſtitutionib. humanis. Septimus in conſiderandis & admirandis inſtitutionibus diuinis. Secundo generi contẽplationis penè tota mundana philoſophia materiam

mini

miniſtrat: latentes rerum viſibilium cauſas ſuæ ſagacitatis inueſtigatione inueniens,& in palam producens. Et poſſunt diſtingui ſeptẽ gradus in ſecundo genere contemplationis ſimiles ſeptem gradibus diſtinctis in primo genere: cũ circa eadẽ verſetur hęc contẽplatio, & prima, ſcilicet, circa ſenſibilia. Tertiũ genus contẽplationis in quinque gradib⁹ diſtinguitur, ſecũdũ quinque modos cõſiderationũ: ex quibus viſibiliũ inueſtigatiõe, ſimilitudinũ ratio q̃ritur, vel aſſignatur. Primus modus eſt, qñ ſimilitudo ſumitur ex eo, vnde ipſũ eſt: vel quòd ipſũ eſt. Secũd⁹ & tertius ſimilitudinẽ trahit, ex eo quod in ipſo eſt. Quartus & quintus ex eo quod ipſum eſt. Primus trahitur ex materiæ propinquitate, vt ibi. Crura illius columnæ marmoreæ: quæ fundatæ ſunt ſuper baſes argenteas. Secundus & tertius, *Cant. 5.* ex rei ipſius qualitate: ſed ſecundus

ex qualitate extrinſeca quod diximus formam. Tertius ex qualitate intrinſeca, quod diximus naturam. Qualitas extrinſeca conſtat in colore & figura. A colore ſimilitudo aſſignatur, vt ibi, dilectus meus candidus. A figura, ibi, Aſpectus earum, & opus earum, quaſi ſi ſit rota in medio rotæ.
Cant. 5. Extrinſeca qualitas pertinet ad ſolũ
Ezec. 1. viſum, quemadmodũ intrinſeca qualitas ad cæteros ſenſus. Ad auditum pertinet illud. Et vocem quam audiuit tanquam citharedorum cithari-
Apoc. 14. ſantium in citharis ſuis. Ad delicias guſtus, illud: ſpiritus meus ſuper mel dulcis. Ad odoratum, illud: ſicut cy-
Eccl. 24. namomum & balſamum, &c. Ad de-
Eccl. 24. litias tactus, illud. Sicut vnguẽtum in capite eius, &c. quartus ex eo quod in ipſa re, vel ab ipſa ſit ſecundum motum naturalem, vt ibi: quomodo deſcendit imber de cœlo, &c.
Iſaie 6. Quintus ex eo quod agitur ſecũdùm motum

motum artificialē,vt ibi: ſuperędificati ſuper fundamētum Apoſt.&c.In quarto genere contemplationis,primum eſt,vt redeas ad teipſum, intres ad cor tuum, diſcas æſtimare ſpiritū tuum, diſcutere quid ſis, quid fueris, quid eſſe debueris, quid eſſe poteris. Quid fueris per naturam,quid modò ſis per culpam,quid eſſe debueris per induſtriā, quid adhuc eſſe poſſis per gratiam. Nunquā mēti excidit quod regnum Dei intra nos eſt.Et quia ſimile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro. Omni cuſtodia ſerua cor tuum.Audi Dauid quomodo ſe tibi ſemper in exemplū proponat.Meditatus ſum, inquit, nocte cū corde meo:& exercitabar,& ſcopebā ſpiritū meū. Meditabitur ille cū corde ſuo:meditare tu cū corde tuo.Scopebat ille ſpiritū ſuū:ſcopa & tu ſpiritum tuum. Exerce agrum tuum, attende temetipſum.Abſque dubio in-

Eph. 2. *Luc 17.* *Mat. 13.* *Prou. 4.*

ſiſtens huic exercitio: inuenies theſaurum iſtum, abſconditum in agro. Ex hoc exercitio creſcit auri copia, multiplicatur ſcientia, augmentatur ſapiētia. Ex hoc exercitio cordis oculus mūdatur, ingenium acuitur, intelligentia dilatatur. Nihil rectè exiſtimat, qui ſeipſum ignorat. Neſcit quā ſub pedibus ſuis mundana gloria iaceat, qui conditionis ſuæ dignitatem nō pēſat. Neſcit omnino, neſcit quid de ſpiritu angelico, quid de diuino ſentire debeat, qui ſpiritū ſuū prius nō cogitat. Si nōdū idone⁹ es intrare ad teipſū: quō ad illa rimāda idoneus eris, quæ ſunt ſupra temetipſū? Si nōdū dignus es intrare tabernaculū primum, quà frōte præſumis ingredi tabernaculum ſecūdum, hoc eſt in ſancta ſanctorū? Si cupis euolare vſque ad ſecundum ſeu tertium cœlum, ſit tibi tranſitus per primum. In corde hominis licet inuenire aliam quan-

dam

dam plenitudinem orbis terrarum, vbi ſua quædam terra ſuum habet cœlum, nec vnum tantum, ſed ſecundum poſt primum: tertium poſt ſecũdum. Tenet imaginatio vicem primi cœli: ratio ſecundi: intelligentia tertij. Et horum primum cæterorum comparatione groſſum quidẽ eſt & corpulentum, eò quòd ſit imaginariũ: poſt ſe trahens, & in ſe retinens formas rerũ corporaliũ. Reliqua verò duo huius cõparatione ſunt valde ſubtilia: & omnino incorporea, & ab eius craſſitudine multũ remota: ſic ſanè cœlum hoc exterius, quod nos dicimus firmamentum, abſque vlla dubitatione conſtat eſſe viſibile atque corporeũ, & ipſum quidem primum & omniũ infimum. Quod autem eſt terra ad hoc viſibile cœlũ: hoc eſt ſenſus corporeus ad illud internum fantaſticũ & imaginarium cœlum. Nam ſicut hoc viſibile cœlum omniũ quæ terra gignit

gignit atque nutrit multitudinem, ſinus ſui magnitudine comprehendit: ſic omnium quæ ſenſus attingit ſimilitudines, infra ſinum ſuum imaginatio includit. In primo continentur omnium viſibilium imagines & ſimilitudines. Rerum veritatem, veritas quæ ſumma eſt, reſeruauit ſibi. Rerũ verò imagines qualibet hora formãdas cõceſsit ſuæ imagini, ſcilicet, animæ. Facilè enim eſt animæ humanæ omni hora quaſlibet rerũ figuras per imaginationẽ fingere. Ad ſecundum pertinẽt viſibiliũ omniũ rationes, diffinitiones, & inuiſibiliũ inueſtigationes. Ad tertiũ ſpectãt ſpiritualiũ & diuinorũ cõprehenſiones. Intelligẽtiæ oculus eſt ſenſus ille: quo inuiſibilia videmus. Non ſicut oculo rationis, quo occulta & abſentia per inueſtigationem quærimus & inuenimus: ſicut ſæpè cauſas per effectus, vel effectus per cauſas, & alia atque alia

quæcunque ratiocinando comprehendimus: ſed ſicut corporalia corporeo ſenſu videre ſolemus viſibiliter, præſentialiter atque corporaliter: Sic vtique ille intellectualis ſenſus inuiſibilia capit inuiſibiliter quidem, ſed præſentialiter & eſſentialiter. Sed habet ſanus oculus intellectualis ante ſe velũ magnũ expãſum, ex peccati delectatione fuſcatũ, & deſyderiorum carnaliũ varia multiplicitate contextum, quod contemplantis intuitum à diuinorum ſecretorũ arcanis arceat, niſi quãtũ diuina dignatio pro ſua, aliorumue vtilitate admiſerit. Teſtatur hoc Propheta clamãs. Reuela oculos meos. Nuſquam tibi in omni Dei opere, quàm in animæ creatione, reparatione, glorificatiõe, apparet eius potẽtia ſublimior, vel ſapiẽtia mirabilior, vel miſericordia iocundior. Primo ſpiritualis natura creatur vt ſit. Secundo iuſtificatur

vt

vt ſic bona. Tertio glorificatur vt bea ta ſit. Per creationem ad bonum initiatur: per iuſtificationem in bono di latatur: per glorificationem in bono conſummatur. Prima bona ſunt creatoris dona. Secunda bona ſunt creatoris dona: & creaturæ opera. Tertia bona ſunt creatoris dona, & creaturæ præmia. Ex ipſa creationis cõditione naturale eſt omni rationali creaturæ, eſſe, ſcire, & velle. Cognoſce quæſo homo dignitatem tuã, recogita illam excellentẽ animæ tuę naturã: quomodo fecerit eam Deus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: quomodo ſublimauerit eã ſuper omnem corpoream creaturam: & ſtatim mirari incipies, quomodo virgo incli ta filia Syon proiecta ſit de cœlo in terrã, & ad Deum clamabis. Quid mi hi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Cogita quàm neceſſarium & diuinę bonitati congruum, tam di-

gnę creaturę boni aut mali diſcretio-
nē,& arbitrij libertatē concedere: vt
eſſet bonū eius tam acceptum quàm
voluntarium: tam gratum, quàm gra-
tuitum. Agnoſce quantum emineas
per ingenium brutis: agnoſce quan-
tum ſubiaceas per intellectum ſpiri-
tualibus Angelis. Si attēdas primum,
cātabis, pręcordialiter, Benedicā Do
minū, qui tribuit mihi intellectum. Si
ſecundum, clamabis. Deus tu ſcis in-
ſipientiam meam. Inueſtiga diligen-
ter non ſolùm voluntatē tuam, ſed &
alienam, ſeu bonam ſeu malam. Co-
gnoſce tuam, vt ſcias quid corrigere,
ſeu vnde gratias agere debeas. Cogi-
ta animos perfectorum & peruer-
ſorum, ſpirituum bonorum, & ſpiri-
tuum malignorum: vt eluceſcat quid
imitari, quid vitare expediat. Opus
iuſtificationis ſine duobus non con-
ſummatur: nūquam enim proficitur,
ſi creaturę ſuę creator nō cooperetur.
Glo

Glorificationis noſtræ modum quis
ſenſus hominũ poteſt capere,quæ ra-
tio cõprehẽdere? Sed glorificationis
noſtræ certitudinem,fidei atteſta tio-
ne tenemus, quamuis qualitatis , vel
quantitatis eius modũ per intel ligẽ-
tiam nec dum capere poſſimus. Sed
pro modico & penè pro nihilo repu-
tat, quidquid humana auiditas per
experimentum non probat. Scimus
autẽ quia poſt plenã mũdationẽ con-
ſciẽtiæ , poſt multa exercitia iuſtitiæ
incipit aliquãdo mens humana ſape-
re : quod prius vix poterat credere.
Nũquã deſiſtas,nũquã quieſcas, do-
nec futurę illius plenitudinis aliquas,
vt ita dicã,arras obtineas :donec æter
næ fælicitatis quãtulaſcũque primi-
tias accipias:donec diuinæ ſuauitatis
dulcedinem prægustare incipias. Ad
huius deſyderium animare nos vo-
luit,qui dixit : Guſtate & videte,&c.
Quartum contemplationis genus
in

in quinque gradus poteſt diuidi. In primo gradu conſideramus ea quæ pertinent ad animæ qualitatem, vel eſſentię ipſius proprietatem, vt quòd vita quędam & perpetua ſit, quę nullis pœnis poſſit extingui, quòd non ſolum poſſit in perpetuũ viuere, ſed corpus etiam ad vitam & ad ſenſum animare: quòd nullo ſuſtentamento egeat, quòd ſine ſubſidio ſempiternè ſubſiſtat: quomodo ſit per tot membra corporis diffuſa cum ſit ſimplex: quomodo in toto corpore ſuo quaſi in ſuo quodam mundo vbique tota, quemadmodum Deus inuenitur vbique totus in omni creatura ſua: quomodo in illo ſuo mundo ſola voluntate omnia mouet atque diſponit: ſicut in hoc mundo Deus ſolo voluntatis nutu omnia regit: qui eodem nutu voluntatis omnia creauit. In ſecundo gradu conſiderantur ea quæ ad cognitionem ſunt. In hac conſidera-

tione miramur volubilitatem cognitionis, agilitatem imaginationis, ingenij acumen, diſcretionis examen, capacitatem memoriæ, viuacitatem intelligentiæ, & circa hoc alia quælibet ſtupenda. In tertio gradu conſideramus rationalis animi voluntatem, multiplicemq́ue eius affectionem. In quarto contemplamur & admiramur, quomodo tot animi affectiones rediguntur in virtutes, inquãtum per diſcretionem diſponũtur: & in bona intentione figuntur. Cũ enim nihil aliud ſit virtus, quàm affectio ordinata & moderata, ex intentione bona agitur, vt ſit affectio ordinata: & per diſcretionẽ efficitur, vt fiat moderata in quinto gradu, aſpirãtis gratiæ modos cũ admiratione attendimus. Abſque dubio quicquid boni in bonorũ cordibus agitur, ſeptiformis ille ſpiritus per inſpirantem gratiam operatur. Ecce vnus atque idem ſpiritus

ſpiritus tot mentibus ſemper & vbique preſidet: & gratiæ ſuę munera multipliciter impēdit. In duobus vltimis generibus contēplationis puto quia opus eſt intima potius compunctione, quàm profunda inueſtigatione: ſuſpiriis quàm argumētis, crebris gemitibus quàm copioſis argumentationibus. Scimus quòd cordis intima nil adeò purgat, mentiſque munditiā nil adeò reparat: nihilq; ſic ambiguitatis nebulas tergit, cordisque ſerenitatē nil melius, nil citius adducit quàm vera animi contritio, quàm profunda & intima animæ cōpūctio. Sed quid ait ſcriptura: Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbūt. Studeat ergo cordis mūditiæ, qui cupit Deū videre. O quàm prudēti circunſpectione: ô quàm frequenti increpatione oportet inuigilare, ne illius mentis exceſſus, vel cogitationis euagatio, diſcretionis perſpicaciam *Mat. 5.*

lateat:nec ſine redargutione fortiq́ue caſtigatione pertranſeat. Cùm rationalis creatura quãtum ad aliqua Deo ſit ſimilis, ſecundum illud: Creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: & ſecundum illud:
Gene.1. Tu cherub ſignaculum ſimilitudinis:
Ezech. 28. plenius ſapientia & decore, in deliciis paradiſi Dei fuiſti. Et quantum ad aliqua ſit diſſimilis, ſecundum illud, Deus quis ſimilis erit tibi? Contemplatio quantum ad prima, non eſt præter rationem. Aues cùm volare volunt, alas ſuas expandunt: ſic debemus & nos cordis noſtri alas per deſiderium extendere: & diuinæ reuelationis ſemper horam expectare: vt quacunque hora diuinæ inſpirationis aura mentis noſtræ nubila deterſerit: veriq́ue ſolis radios detexerit: excuſſis ſtatim contemplationis ſuæ alis, mens noſtra ad alta ſe eleuet & auolet, & fixis obtutibus in illud ęternitatis

nitatis lumen, quod deſuper radiat omnia mundanæ volubilitatis nubila tranſcendat. Hoc figuratum eſt in duobus Cherubim qui erant expandentes alas. Debemus autem non ſolum ad hoc quod in hac vita habere poſſumus: verum etiam ad illud diuinę cōtēplationis ſpectaculum, quod in futura vita ſperamus, animas noſtras ſuſpendere: & in huiuſmodi expectatione, vehementi deſiderio anhelare. Debet anima perfecta, omni hora ſuæ peregrinationis terminum, cum deſiderio expectarę. Hinc eſt quod Abraham in oſtio tabernaculi ſedebat. Helias in ſpeluncæ ſuę oſtio ſtabat. Debet anima ſancta & veri ſponſi amica ad dilecti ſui aduentum ſummo cum deſiderio anhelare: parata ſemper vocanti occurrere. Debet ſemper in hoc ſollicita eſſe, ne ſubito adueniens minus ornatam inueniat. Et notādum quod ſublimitas

Exo. 25.

Gen. 18

3. Reg. 19

diuinarum reuelationum, manifeſtũ eſt diuinæ dilectionis indicium. Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos: quia omnia quæcunque audiui à pa-
Ioan. 15. tre meo, nota feci vobis: Ex magnitudine diuinæ dilectionis, pendet modus diuinæ reuelationis. Comedite, inquit, amici mei & inebriamini chariſſimi. Qui comedunt, dum cibum maſticant, non ſine mora vel qualicunque labore delectantur & traij-
Cant. 5. ciunt. Qui bibunt cum velocitate, quod ſitiunt, traducunt. Nunquid non videntur tibi comedere, qui cum longo ſtudio & longa meditatione ad veritatis delicias pertingere vix poſſunt? Bibunt, qui ex diuinis reuelationibus cum facilitate & iocunditate hauriunt, quod de intima ſuauitate veritatis ardenter concupiſcunt. Item notandum, quod ea quæ circa vnitatem diuinitatis conſiderantur, quæ ad quintum genus contempla

templationis pertinent: ſunt humanę intelligentiæ modum excedentia, nihilominus tamen ſunt rationi conſentanea. Credimus diuinam eſſentiam eſſe ſummè vnam & ſimpliciſſimam. Credimus eam eſſe omne bonum. Ego oſtendam tibi omne bonum, ait Dominus Moyſi: Item credimus eam eſſe immenſam, licet ſimpliciſſimam. Magnus, inquit Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis. His aſſertionibus ratio humana facile acquieſcit. Bonum enim illud perfectum, & omnino ſufficiens non eſſet, ſi in eo aliquid boni defuiſſet. Item ſi compoſitum eſſet naturaliter diuidi poſſet: & ſic eſſet commutabile, & non eſſet optimum. Simpliciſſimum eſt, quantum ad eſſentiam: multipliciſſimum quantum ad efficientiā. Virtute eſt immenſus: eſſentia, ſummæ ſimplicitatis. Et *Exo. 33.*

notandū quod inter ſpectacula trium vltimarum contemplationum debemus libenter diſcernere, ſi volumus diuinam reuelationē nobis fieri. Di-
Exo.25. ctum eſt enim Moyſi de loco qui erat in medio duorum Cherubim, inde loquar ad te. Item notādum quòd, quamuis familiare ſit, & quaſi proprium videatur duobus nouiſſimis contemplationū generibus, per mentis exceſſum videre: quatuor autem primis quaſi domeſticum & penè velut ſingulare, ſine vlla animi alienatione in contemplatione aſſurgere: poſſunt tamen omnia atque ſolent modo vtroque conſurgere. Horum autem in ſuis cōtemplationibus quidam ſupra ſemetipſos ducuntur, & vſque ad mentis exceſſum rapiuntur. Alij hoc expectant & accipiunt: ex ſola vocante gratia: alij verò vt hoc poſſint, ſibi comparant, cum gratiæ tamen cooperatione ex magna animi in-

mi induſtria : & illi quidem hoc donum quaſi fortuitum habent : iſti verò iam ex virtute poſſidēt, qui ex magna iam parte id poſſunt cum volūt. Vnius rei figuram habemus in Moyſe:alterius autem in Aaron. Quod enim Moyſes in monte per nubem arcana videre meruit, ſolius reuelantis Domini gratia fuit. Aarō autem iam ex magna parte in poteſtate habebat, quoties ipſum ordo vel ratio poſcebat, in ſancta ſanctorum intrare, & intra ipſum velum arcam Domini videre. Item notandum quod tribus modis in gratiam contemplationis proficimus. Aliquando ex ſola gratia : aliquando ex adiuncta induſtria: aliquando ex aliena doctrina. Item tribus modis videtur contemplationis quantitas variari. Modo enim agitur mentis dilatatione:modo mentis ſubleuatione : aliquando mentis alienatione:Mentis dilatatio eſt quā- *Figura.*

do animi acies latius expanditur, & vehementius acuitur:modum tamen humanæ induſtrię nõ ſupergreditur. Mentis ſubleuatio eſt, quando intelligentiæ viuacitas diuinitus irradiata humanæ induſtrię metas tranſcendit: nec tamen in mentis alienationem tranſit: ita vt ſupra ſe ſit quod videat, & tamen ab aſſuetis pœnitus non recedat. Mentis alienatio eſt, quando pręſentium memoria mente excidit, & in peregrinum quẽdam & humanæ induſtriæ inuium animi ſtatum diuinæ operationis tranſfiguratione tranſit. Hos tres contemplationis modos experiuntur, qui vſque ad ſummum huius gratię arcem ſublimari merentur. Primus ſurgit ex induſtria humana: tertius ex ſola diuina gratia: medius autem ex vtriſque, per mixtione ſcilicet humanæ induſtriæ, & gratię diuinæ. De illo legitur: Leua oculos tuos & vide. De ſecundo. Qui

de 3. Ego dixi in exceſſu meo. Ille motus qui fit mentis dilatatione, tribus ſolet gradibus excreſcere: arte, exercitatione, attentione. Artem nobis ad aliquid veraciter comparamus: quando quomodo aliquid agendum ſit, vera traditione, ſeu ſagaci inueſtigatione addiſcimus. Exercitatio eſt, quando illud quod arte percepimus, in vſum adducimus: & in huiuſmodi officij executione nosipſos promptos & expeditos efficimus. Attentio eſt; quando ſtudio quod exequimur, ſumma cum diligentia inſiſtimus. Item ille contemplationis modus, qui in mentis ſubleuatione accidit: tribus gradibus excreſcit. Intelligentia nam quę humana diuinitus inſpirata, & illo cœli lumine irradiata, aliquando ſubleuatur ſupra ſcientiam: aliquando etiam ſupra induſtriam: aliquando *Ibidem.*

autem

autem ſupra naturam, Supra ſcientiam, quando aliquis tale aliquid ex diuina reuelatione cognoſcit: quod modum propriæ ſcientiæ, vel intelligentiæ excedit. Supra induſtriã, quando ad illud humana intelligentia diuinitꝰ illuminatur, ad quod nulla ſua ſufficit ſciẽtia, nec illa quam interim habet: nec illa quam induſtria ſua cõparare valet. Supra naturam, quando humana intelligentia diuina inſpiratione afflata, non cuiuſque hominis, ſed totius naturæ modum induſtriæque metas tranſgreditur. Omne genus prophetiæ ſine mentis alienatione, videtur ad hunc tertium ſubleuationis gradum pertinere. Ratione ſupra humanam naturam, eſt videre de præteritis, quod iam non eſt. Videre de futuris, quod nondum eſt: videre de præſentibus, quod ſenſibus abſens eſt: videre de alieni cordis ſecretis: quod nulli ſenſui ſubiectum eſt.

Tribus

Tribus de cauſis in mentis alienationem adducimur. Nam modò præ magnitudine deuotionis: modò præ magnitudine admirationis, modò præ magnitudine exultationis fit, vt ſemetipſam mens omnino non capiat, & ſupra ſemetipſam eleuata in alienationem tranſeat. Magnitudine deuotionis quando tanto cœleſtis deſiderij igne ſuccenditur, vt amoris intimi flamma vltra humanũ modum excreſcat: quæ animam humanam ad ceræ ſimilitudinem liquefactam à priſtino ſtatu reſoluat: & ad inſtar fumi attenuatam in ſuperna eleuet, & ad ſumma emittat. Magnitudine admirationis quando diuino lumine irradiata, & in ſummæ pulchritudinis admiratione ſuſpenſa, tam vehementi ſtupore concutitur: vt à ſuo ſtatu funditus excutiatur, & in modum fulguris coruſcantis quãto profundius per defectum ſui, inuiſæ pulchritudinis

reſpectu

reſpectu ad ima deiicitur: tanto ſublimius, tanto clarius, per ſummorum deſiderium reuerberata, & ſuper ſemetipſam rapta in ſublimia eleuatur. Magnitudine exultationis, quando intima illa internæ ſuauitatis abundantia potata, imo plenè inebriata, quid ſit, quid fuerit, pœnitus obliuiſcitur: & in ſupermundanum quendam affectum ſub quodam miræ fœlicitatis ſtatu, raptim transformatur. Hi tres modi exceſſionis in Canticis ſcribuntur. Primus cùm dicitur. Quæ eſt illa, quę aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & vniuerſi pulueris pigmentarij. Canticor. 3. Secundus ibi: Quæ eſt illa, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol. Cant. 6.
Cant 8. Tertius ibi: Quę eſt iſta, quę aſcendit de deſerto deliciis effluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Circa primum

notan

notandum, quod fumum intelligimus deuotæ mentis deſiderium: qui fumus ab igne ſpiritualis amoris ſurgit. Virga gracilis & recta eſt, deſiderium anxium & vnicum, ſurgens ex intentione recta. Per mirrham, intelligas carnis contritionem per thus cordis deuotionem: per vniuerſum puluerem pigmentarij, omnium virtutum conſummationem. Tunc anima ſancta veraciter quaſi fumus per deſertum aſcendit, quando ex his quę in ſemetipſa inuenit, ſiue bonis ſiue malis, affectum ſuum in cœleſtis ſponſi deſiderium accendit. Circa ſecundum notandum, quod mens velut aurora conſurgit, quæ ex viſionis admiratione paulatim ad incrementa cognitionis proficit. Aurora paulatim eleuatur: eleuando dilatatur. Sed miro modo, dum tandem in diem deſinit, per promotionis ſuę incrementa, ad defectum

feſtum venit. Et vnde accipit, vt maior ſit: inde accidit, vt omnino non ſit. Sic humana intelligentia diuino lumine irradiata, dũ intelligibilium contemplatione ſuſpẽditur: dum eorum admiratione diſſenditur: quanto ad altiora vel mirabiliora ducitur: tanto amplius dilatatur. Et vnde ab infimis remotior: inde in ſemetipſa purior, & ad ſublimia ſubtilior inuenitur. Sed in hac ſubleuatione dum mens humana ſemper ad altiora creſcit, diu creſcendo tandem aliquando humanæ capacitatis metas tranſcẽdit: & ſit deinde, vt à ſemetipſa deficiat, & inſuper mundanum quendam transformata affectum tota ſuper ſemetipſam eat: & ſicut matutina lux creſcendo deſinit non quidem eſſe lux, ſed eſſe lux matutina, vt ipſa aurora iam non ſit aurora: Ita humana intelligentia ex dilatationis ſuæ magnitudine, quandoque accipit, vt ipſa

ipſa iam non ſit ipſa, non quidem, vt non ſit intelligentia: ſed vt iam non ſit humana. Et ſicut primus exceſſionis modus ex deuotione ſurgit: ſic iſte in deuotionem deſinit. Ibi eximio veritatis deſiderio ad veritatis contemplationem aſſurgitur, hic ex veritatis reuelatione, eiuſque cõtemplatione ad deuotionem animus inflammatur: quod forte innuitur cum dicitur: Pulchra vt luna, electa vt ſol. Aurora & luna lucem habent: ſol autem vtroque prępollet. Quid ſole lucidius? Quid ſole feruentius? Videtis ergo quòd illa mentis aſcenſio, quæ hoc loco deſignatur, cuius extrema ſoli comparatur, quia nõ in qualemcunque, ſed in ſummam deuotionem quandoque deſinat: quamuis à ſola claritate, veritatiſque illuſtratione incipiat. Et notandum quòd ille diuinæ reuelationis ſplendor quandoque præuenienti meditationi occur-

rit:quandoque ipſam humanam prę-
meditationem præuenit : & modò
quærentem adiuuat:modò torpētem
Figura. excitat. Hinc eſt quòd regina Auſtri
3. R.10. regem Salomonē quæſtionibus pul-
ſat. Hinc eſt quòd vinctum Petrum,
Angelus cum luce viſitans, à corpo-
Act.12. ris ſui ſomno excutit & educit. Quæ
eſt iſta regina Auſtri, & illius calidæ
regionis inhabitatrix, & domina, &
viuendi Salomonem deſiderio ſuc-
cenſa niſi anima ſancta, ſenſibus &
appetibus carnis, cogitationibus, &
affectionibus mentis, fortiter præſi-
dens,& ſummi regis verique prorſus
Salomonis dilectioni feruens, viden-
dique deſiderio ardens? Regina Saba
prius quærit & audit:poſtea videt &
intelligit:tandem obſtupeſcit & de-
ficit. Primum eſt meditationis. Se-
cundum contemplationis. Tertium
extaſis. Meditatione aſſurgitur in
contemplationem, contemplatione
in

in admirationem : admiratione in mentis alienationem.

Quibus cauſis accidit mentis alienatio.

Circa tertium notãdũ, quòd quaſi deſertum humanus animus aſcendit, quando ſupra ſemetipſum in mentis alienationem tranſit: quando ſemetipſum in imo deſerens, & ad cælum vſque pertranſiens, ſolis diuinis ſe totum per contemplationem & deuotionem emergit. Delitiarum affluentia, aſcentionis tunc cauſa exiſtit: quando ex ſola diuinæ dulcedinis viſione, quam in intimis ſentit, ſeipſam anima ſancta præ gaudio & exultatione non capit: intantum vt exultationis ſuæ magnitudo eam extra ſemetipſam effundat. Huius rei formam in animalibus poſſumus percipere. Solent namque in ſuis luſibus ſaltus quoſdam dare: ſic piſces dũ in aquis ludunt, ſupra aquas *Simile.*

exiliunt. Nemo autem tantam cordis exultationem vel ſubleuationem de ſuis viribus præſumat, vel ſuis meritis aſſcribat. Vnde & illa anima quę de deſerto ſic aſcendere deſcribitur, dilecto ſuo innixa perhibetur. Quid eſt dilecto inniti: niſi virtute illius, & nõ propriis viribus promoueri? Deducit eam dilectus per deſertum in nube diei: & tota nocte in illuminatione ignis. Non haberet quomodo æſtus concupiſcentiæ temperaret ſibi: niſi virtus altiſſimi obumbraret illi. Deeſſet vnde tenebras ignorantiæ ſuæ illuminaret: niſi in lumine illius videret lumen. Accipit itaque dilecta ex munere dilecti ſui duo remedia contra duo principalia mala: refrigerij nubem, contra concupiſcentiam carnis: & reuelationis lucem, contra ignorantiam mentis. Qui ad hanc gratiam profecit, cùm ſibi eam vltra ſolitum ſubtrahi iam ſentit, eſt quod

face

facere debeat, vnde ad eam recuperandam adiuuare valeat. Debet animus qui huiuſmodi eſt, proprijs meditationibus cordis in ſe exultationem reparare:& impẽſa ſibi diuinorum beneficiorum munera ante oculos recordationis ſuæ reuocare:& ex huiuſmodi recordatione ſemetipſum ad profundam & deuotam inſtigare gratiarum actionem, & tandem aliq̃n internum illius ſpiritualis harmoniæ organum ex affectu in diuinas laudes laxare. Dum itaque huiuſmodi ſtudiis intima cordis affectio in diuinæ confeſsionis magnificentiam plena deuotiõe reſoluitur: quid aliud eſt quam quòd quoddam (vt ita dicam) ſpiraculum aperitur, per quod in illud cordis noſtri vaſculum, diuinæ ſuauitatis abundantia infundatur. Hinc eſt quòd Elizeus propheta, verbum Domini requiſitus, cùm ſe ſenſiſſet ſpiritum prophetiæ tunc Figura.

temporis non habere, fecit pſaltem adduci: quo præſente atque pſallente ſtatim ſpiritum prophetiæ hauſit: oſque ſuum in verba prophetiæ relaxauit. Quid eſt autem pſaltem adducere, niſi prouida meditatione cordis exultationem reparare, & ex diuinorum beneficiorum vel promiſſorum recordatione cordis deuotionem excitare? Tunc pſalteriũ pſallere facimus: quando ex magno cordis tripudio in diuina præconia iubilamus, & in gratiarum actionem aſſurgentes, ex intimis viſceribus in diuinas laudes cum magno cordis clamore reſonamus. Hoc itaque agentes quid aliud quam viam ſternimus, per quam venientem viſitantemque nos Dominum excipiamus? Sacrificium, inquit, laudis honorificabit me: & illic iter quo oſtendã illi ſalutare Dei. Ad huiuſmodi pſalterij vocem ſpiritualis animus medullitus

2.Re.3.

tangi

tangitur, & fruete in eo ſpiritu, ſpiritualiter afficitur: & dum ad diuinã inſpirationẽ intellectualiter ſenſus apetitur, quodammodo in eo gratia reparatur. Solet dulcis harmonia cor exhilarare, & ei gaudia ſua ad memoriam reuocare, & quo amor vehemẽtius animum afficit, eo profundius audita harmonia affectum tangit. Et quo profundius per affectum tangitur, tanto efficacius ad ſua deſideria renouatur. Quid ergo aliud de prophetico viro ſẽtire oportet, niſi quòd exterior harmonia ſpiritualem harmoniam ei ad memoriam reduxit, & audita melodia audientis animum ad aſſueta reuocauit atque leuauit?

Quibus gradibus aſcendit mentis alienatio.

DIctum eſt quibus de cauſis mentis alienatio accidere ſoleat, nũc adiiciendum videtur, quibus gradibus aſcendat. Aſcendit autẽ aliquan-

do ſupra ſenſum corporalem: aliquã-
do etiam ſupra imaginationem: ali-
quando verò ſupra rationem. Quis
duos primos aſcenſus negare audeat,
cùm illum qui ſupra rationem eſt,
apoſtolica auctoritas cõuincat. Scio,
inquit, hominem ſiue in corpore, ſi-
ue extra corpus neſcio, Deus ſcit: ra-
2. Cor. 12. ptum vſque ad tertium cælum. Ecce
qui humanam rationem mentis alie-
natione tranſierat: quid circa ſe age-
retur, diſcernere nequibat. Iſta quæ
præcedunt, extracta ſunt de libro Ri-
cardi de ſancto Victore, de contem-
Figura. *Matt. 17.* platione. Et notandum quòd tres di-
ſcipuli in Chriſti transfiguratiõe ce-
ciderunt in faciem ſuam. Quia ſen-
Act 9 ſus, imaginatio & ratio in Dei con-
Ezec 2. templatione deficiunt. Paulus etiam
lucis circumfulgentia excæcatur.
Corpus etiam debilitatur ibi. Vidi
& cecidi in faciem meam. Greg. In
quantam miſeriam cecidimus, qui
ipſum

ipſum bonum ferre non poſſumus: ad quod creati ſumus. Vidi viſionem hanc grandem: & non remanſit in me fortitudo. *Dan.10.*

Contemplatio imperfectorum.

CAPVT XXIX.

AD inſtructionem eius qui pennas non habet ad volandum. qui dicit cum Dauid: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? Notandum quòd duodecim ſunt, quæ valere poſſunt ad cognoſcendum, quòd valde magna erit gloria fidelium, licet hic humiles ſint & abiecti.

De duodecim quibus magnitudo gloriæ perpenditur.

CAPVT XXX.

PRimum eſt hoc quòd Deus ita carò vendit gloriam iſtam, etiam amiciſſimis ſuis. Petrus emit eam martyrio crucis. Paulus amputatione

pulchritudinis, quam videmus in his quæ ſapientia artificum fiunt. Videmus enim quòd ex lignis & lapidib. & metallis, qui dum de terra ſumuntur, paruam habent pulchritudinem: fiunt opera miræ pulchritudinis, vt patet in gloria Salomonis. Videns regina Saba omnem ſapientiam Salomonis: & domum quam ædificauerat, &c. nō habebat vltra ſpiritū. Quid ergo gloriæ habebunt amici Dei, cū Deo placuerit decorare eos ſecūdū magnitudinem ſapientiæ ſuæ? Quarto, poteſt apparere magnitudo gloriæ ex verbis ſanctorū, quibus Deus abſque te, quę pręparaſti expectātib. te. Et: Oculus nō vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit: quæ pręparauit Deus his qui diligūt eum. Nō ſunt cōdignæ paſſiones huius tēporis ad futurā gloriā quæ reuel. &c. Et id quod in præſenti eſt momētaneū & leue triblatiōis ſupra modū in ſublimi

3. Reg. 10. *Iſaiæ 64.* *1. Cor. 2.* *Rom. 8.* *1. Cor. 4.*

ſublimitate æternæ gloriæ pondus
Gen. 15. operatur in nobis. Ego ſum merces
Exod. 33. tua magna. Ait Moyſes ad Dominum : Oſtende mihi gloriam tuam. Qui reſpondit ei Oſtendã tibi omne bonum. Dauid: Nimis honorati ſunt
Mat. 17. amici tui Deus. Quintò, per hoc quod legitur : In transfiguratione Domini factum, quòd reſplenduit facies eius vt Sol: & veſtimenta eius facta ſunt ſicut nix. Voluit enim ibi oſtendere Dominus gloriam: quam habitura ſunt corpora noſtra in reſurrectione. Sextò, honor quem contulit Chriſtus cruci, quæ ſeruiuit ei. Aug. ſup. Ioan. Crux de pœnis latro-
Tract. 36. ante med. num tranſit ad frontes imperatorum. Quid faciet Deus fidelibus ſuis qui tantum honorem contulit tormentis ſuis? Ambr. ſuper Beati immaculati: Si opprobrium tuum gloria eſt Domine Ieſu, quanta eſt gloria tua? Tuę igitur participatione gloriæ quid erimus,

mus,cuius ſumus opprobrio glorioſi?Septimò, honor quo Chriſtus honorat ſanctos ſuos in terris. Maior enim reuerentia exhibetur pulueribus vel oſſibus ſanctorum, vel etiam panniculis quibus induti fuerunt:quã exhibeatur maximis principibus huius mundi. Vnde veriſimile eſt quòd multum ſit eos honoratus in cælis: qui facit eos tantum honorari in terris. Octauò, per hoc quòd gloria eorum erit ſimilis gloriæ Dei: iuxta illud: Filij Dei ſumus,ſed nondum apparuit quòd erimus, ſed cum apparuerit,ſcimus quoniam ſimiles ei erimus. Veriſimile eſt quòd creatura illa quæ in naturalibus ſimilis Deo extitit, & operando Deum imitata eſt, multum debeat decorari cum in gloria Deo aſſimulabitur. Quos prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui. Nonò,locus in quo Chriſti benignitas vult eos eſſe: Vbi ſum ego illic

1. Ioan 3.

Rom. 8.

Ioan. 12.

lic. & miniſter meus erit. Et eiuſdem 17. Pater quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum: & videant claritatem meam. Et ego diſpono vobis regnum, ſicut diſpoſuit mihi pater meus, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam. Decimo, quia regnum habebunt. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, &c. Apoſtol. Regnabunt in ſæcula ſæculorum. Vndecimo, coronæ præcioſitas. In Pſalm. Poſuiſti in capite eius coronam de lapide precioſo. Lapis iſte precioſus Deus eſt. Hæc eſt illa margarita, quam qui inuenit, vendit omnia quæ habet: & emit eam. Circa coronam iſtam non ſolum attende lapidis valorem: ſed etiam ſplendorem. Eſt enim ſplendor gloriæ: Cùm ſit ſplendor gloriæ. Ciuitas illa non eget ſole nec luna, vt luceat in ea: nam claritas Dei illuminabit eam. Attende etiam coronæ

Luc. 22. *Mat. 25.* *Mat. 13.* *Heb. 1.* *Apo. 21.*

deco

decorem: quam decenter, ſcilicet corona conueniat capiti. Caput enim cordis ad eam, & propter eam factũ eſt. Aug. in lib. confeſſ. Domine feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Duodecimò, hoc quod Deus miniſterio proprio honorabit: Præcinget ſe, & faciet eos diſcumbere, & trãſiẽs miniſtrabit illis. Hæc miniſtratio erit diuinæ faciei, in qua ſunt ſummæ deliciæ oſtenſio. Dauid. Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo. Videbis faciem eius in iubilo. Nunc facies illa nobis abſcondita eſt. Dauid, quàm magna multitudo dulcedinis tuę Domine quam abſcondiſti, &c. Qui tenet vultum ſolij ſui: & expandit ſuper illum nebulam ſuam.

Luc. 12. *Iob 31.* *Iob. 20.*

De electis. CAPVT. XXXI.

ITem notandum quod duodecim erunt in electis poſt generalem reſurrectionẽ, quæ poſſunt intelligi per duode

duodecim fructus ligni vitæ:de qui-
Apoc. vlt. bus legitur. Primus eſt ſanitas abſque
infirmitate. In pſal. Qui ſanat omnes
Iſaiæ 9. infirmitates tuas. Occupabit ſalus
muros tuos: & portas tuas laudatio.
II. Eſt iuuentus ſine ſenectute. Pſal.
Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.
Quaſi in ætate triginta annorũ ſem-
Eph 4. per manebunt. Donec occurramus
omnes in virum perfectum in men-
1.Theſ.4. ſuram ætatis plenitudinis Chriſti.
Rapiemur obuiam Chriſto in aëra,
& ſic ſemper cum Domino erimus.
III. eſt ſacietas ſine faſtidio. Hic non
ſatiatur oculus viſu: neque auris au-
Eccl 1. ditu. Sed tũc implebitur deſiderium
tuum. In pſal. Satiabor cùm apparue-
Iſaiæ 49. rit gloria tua. Non eſurient neque ſi-
tient amplius. Greg. Satiati deſidera-
bimus, ne ſatietas generet faſtidium:
deſiderantes ſatiabimur ne cum an-
xietate ſit deſid. 4. Eſt libertas, ad quã
faciũt corp. agilitas & ſubtilit. Corp.
enim

enim non tenebitur vel propria grauitate, vel alterius corporis oppoſitione. Aug. Vbi ſpiritus voluerit:ibi erit protinus & corpus. 5. Erit pulchritudo abſq; deformitate. Pulchritudo conſiſtit in claritate, & ſitu debito:& figura mẽbrorum. Fulgebunt iuſti. Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris mei. Saluatorem expectamus Dominum noſtrũ, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ:cõfiguratum corpori claritatis ſuæ. 6. Impaſſibilitas ad quam immortalitas pertinet. Non cadet ſuper eos ſol, neque vllus ęſtus. Pręcipitabit mortem in ęternum. 7. Abundantia ſine indigentia. Rerum omniũ abundantia perfrueris. Tradet vobis Dominus locũ, in quo nullius rei eſt penuria. Gre. Nihil erit exterius quod appetatur:nihil interi⁹ quod faſtidiatur. 8. Eſt pax abſq; perturbatione. Sedebit populus meus in pulchritudine

Sap 3 Ma 13. Phil. 3.

Iſa. 49.

Iſa. 25.

Deut. 5.

Iud. 18.

Iſa. 32

pacis in tabernaculis fiduciæ in requiē opulenta. Pſalm. Qui poſuit fines tuos pacem. 9. Eſt ſecuritas ſine timore. Pſalm. Non timebis à timore nocturno. 10. Eſt cognitio ſine igno-
1. Cor. 13. rantia. Videmus nunc per ſpeculũ in enigmate: tũc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcã ſicut & cognitus ſum. 11.
Col. 3. Eſt gloria abſque ignominia. Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra: tunc & vos apparebitis cũ Chriſto in glo-
Iſa. 25. ria. 12. Eſt gaudiũ ſine triſtitia. Ab-
Apo. 21. ſterget Deus omnem lachrymam ab oculis ſanctorum, & mors non erit amplius, neque luctus, neq; clamor, ſed nec vllus dolor, quoniã priora trã-
Iſa. 62. ſierunt. Item: Obliuioni traditæ ſunt
Ibid. 51. anguſtiæ priores. Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum: gaudium & lætitiã obtinebunt, & fugiet dolor & ge-
Mat. 25. mitus. Intra in gaudiũ Domini tui. In verbo intrandi innuitur magnitudo gaudij:

gaudij: quod hominẽ vndiq; cinget. Iterum videbo vos, & gaudebit cor *Io.16.* veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.

De gaudio beatorum. CAP. XXXII.

ITẽ notandũ quòd gaudiũ electorũ proueniet quaſi à ſex partibus. I. à beata Trinitate. II. à loci amenitate. III. à iocũda ſocietate. IIII. à corporis glorificatione. V. ab inferno. VI. à mũdo: de I. legitur. Regem in decore *Iſa 34.* ſuo videbunt. Dulce lumẽ & delecta *Eccle.11.* bile eſt oculis videre ſolẽ. In viſione regis triplex gaudiũ erit eis. I. erit in videndo faciẽ diuinã: quòd erit ſummũ gaudiũ. Aug. Si mali poſſent, mallẽt Deũ in inferno videre etiã in pœnis: quàm extra penas Deũ nõ videre. Criſo. Ego multos grauiores quàm gehẽna eſt, dico cruciatus, remoueri & abijci ab illa gloria. Nec puto ita acerba eſſe gehennæ incendia: vt ſunt illa quibus torquetur is qui arcetur

à cóſpectu Dei.Ber. Reuera illud eſt verum & ſolum gaudiũ quòd non de creatura,ſed de creatore concipitur. Quod cum poſſidebis,nemo tollet à te,cui comparata,omnis aliũde iocũditas,meror eſt:omnis ſuauitas dolor eſt:omne dulce amarum:omne decorum fœtidum: poſtremo quòdcunque aliud delectare poſsit, moleſtũ. Cũ Dei bonitas in infinitum excedat omnem bonitatẽ creaturarũ: delectatio quę erit in perceptione immediate illi⁹ bonitatis: in infinitũ melior erit, quàm perceptio omnis creatæ bonitatis. In pſal. Faciem tuam Domine requiram. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum & verum Deũ, & quẽ miſiſti Ieſum Chriſtum. Et in pſal. Qui regis Iſrael: triplicatur illud, oſtende faciem tuam,& ſalui erimus. Et ſuper illud pſal. Oſtendam illi ſalutare meum. dicit glo. Hæc viſio eſt tota merces: viſio qua Deus videtur fa

Epiſ 114. circa principium.

Ioan 15.

tur facie ad faciē. Tertiū cœlū eſt paradiſus: & iſte eſt paradiſus (ſi dici poteſt) paradiſorū: vt dicit glo. Au. ſuper 2. Cor. 12. Idem, Ibi beata vita in fonte bibitur, vnde aliquid aſpergitur huic humanę vitę: Dauid. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuū. Omnes deliciæ quæ ſunt in mundo iſto, velut minimæ guttæ ſunt, quæ à fonte illo fluxerūt. Ve inimicis Dei qui guttas illas in terra ſingunt, fonte ſuauitatis contempto: Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ. Minus ſunt omnes deliciæ quæ fuerunt in mundo, & erunt vſque ad diem iudicij reſpectu illius ſuauitatis: quam ſit vna gutta aquæ reſpectu totius maris. Cùm tanta inueniatur delectatio in portiuncula creaturæ, quāta inuenietur in creatore? Frater Guido Cartuſien. Si diuinę bonitatis veſtigiorum veſtigia tantū habent ſuauitatis: quid habet fons ipſe ſuauitatis. Aug. 4. lib. *Hier. 2.*

confeſs. Plus delectant omnia quàm ſingula:ſi ſentiri poſſent omnia. Sed longè melior his,qui fecit omnia.Secundum gaudium erit, videndo humanitatem Chriſti. Bernar. Plenum prorſus omni ſuauitatis dulcedine: videre hominem hominis conditorem.Tertium gaudium erit in conſideratione vnionis humanæ naturę ad diuinam. Mirabile enim gaudiũ erit electis, cùm agnoſcent quod frater eorum ſecundum carnem,verè Deus eſt. Magnitudo huius gaudij poteſt perpendi ex hoc gaudio,quod ſolent parentes habere, cum filij eorum fuerint Epiſcopi, vel Archiepiſcopi. Tanta erit vnitas capitis & membrorum,quòd membra honorem ſui capitis ſuum reputabunt: ſicut caput hominis bona vel mala membris ſuis illata,ſua reputat. Item à loci amenitate triplex gaudium electis prouenient.

Tob. 15.

niet. Primo à claritate loci. Beatus ero, ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndum claritatem Ieruſalem. *Apoc.22.* Nox vltra non erit. Et Ante corpus in quo eſt diuerſitas luminis: eſt aliud ſupra, in quo eſt vniformitas luminis per totum. Illud corpus eſt cœlum empireum: in quo eſt lumen continuum. Secundo à loci puritate. *Apoc.22.* Non intrabit in eam aliquid coinquinatum: aut abominationem faciens. *Branch 3.* Tertio à loci altitudine. O Iſrael quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius. Seneca. Ab vltimis littoribus Hiſpanię vſque ad Indos pauciſſimorum dierum ſpacium iacet, ſi nauem ferat vẽtus. At cœleſtis illa regio per triginta annos velociſſimo ſyderi viam præſtat. Item ex ſocietate proueniet triplex gaudium. Primo ex multitudine. *Apoc.7.* Vidi turbam magnam: quã dinu-

merare nemo poterat. Secundo ex nobilitate illius ſocietatis,in qua erit B.Virgo,& angeli, ſancti, & ſanctæ: qui omnes reges & reginę erunt. Vnde filius Dei dicitur veniſſe de regalib. ſedibus. Plus deberent homines laborare, vt ſolũ poſſent eſſe vna die cum virgine: quàm multi laborẽt pro æterna gloria. Hieronymus ad Euſtac. Egredere quæſo paulisper de carcere, & papilione corporis, vt in oſtio ſtans, videas gloriam Dei pertranſire: & præſentis laboris ante oculos tuos pinge mercedem, quã nõ oculus vidit &c. Qualis erit dies illa, cum tibi mater Domini Choris occurret comitata virgineis: cũ poſt mare rubrũ,ſubmerſo cum ſuo exercitu Pharaone,tympanũ tenens, pręcinet reſponſuris: Cãtemus Domino,glorioſe enim &c. Tertio de amicabilitate illius ſocietatis. Tanta enim erit charitas inter eos, quòd gaudia aliorum

Cap.18.

Figura.

rūm ſua reputabunt. Dixit Dominus, cuius ignis in Syon, & caminus eius *Iſa 31.* in Hieruſalem. Propter magnam charitatem hæreditas illa omnibus vna eſt: ſingulis tota, iuxta verbum Gregorij. Itē à corpore glorificato quadruplex peruenit gaudium. Primum à corporis pulchritudine. Secundum ab eius ſubtilitate. Tertium ab eius agilitate. Quartum ab eius impaſsibilitate. Primū erit in corpore reſpectu eius, quod erit iuxta ſe, vt ſcilicet alia corpora glorificata in conſpectū eius delectentur. Secūdum reſpectu eius quod erit infra ſe: vt ſcilicet corpora inferiora, corpori glorificato cedāt. Tertium reſpectu eius quod erit ſupra ſe: vt ad ſpiritū ſuū perfectā poſſit habere obedientiā. Quartum ad illud quod erit contra ſe: ne ab aliquo poſſit lędi. Item ab inferno tripliciter gaudium electis perueniet. Primo ex hoc quòd infernū euaſerunt. Secūdo

ex hoc quod hoſtes eorum crucia-buntur ibi. Lętabitur iuſtus cùm viderit vindictam. Tertio ex hoc quod peccatum, quod maximè nocuit hominibus, clauſum erit in inferno, qua ſi in proprio loco. Non enim poterit remanere, neque in cœlo neque in terra: quin ad vltimum deſcendat in infernum. Item à mundo perueniet triplex gaudium. Primo ex hoc quod à pœnali miſeria huius exilij liberati erunt: Bernardus, Tranſiſſe de morte ad vitam, vitæ gaudium duplicat. Veriſimile eſt quod multum gaudebat de hac liberatione, qui dicebat: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Secundo de hoc quod à naufragio liberati erunt. Si naufragi qui de mari exierunt, tantũ gaudent: veriſimile eſt quod multum gaudeãt, qui tot naufragia paſſi à mari huius ſęculi periculoſiſſimo euaſerint. Ber. Periculũ probat tranſeũtium raritas:

&

& pereuntium multitudo. In mari Marſilię de quatuor nauibus vix vna perit: in mari huius ſęculi de quatuor animabus vix vna ad portum ſalutis venit. Tertio ex hoc quod cum ipſi tantæ infirmitatis eſſent: tamen de tanto hoſte triumphauerunt. Nõ eſt poteſtas ſuper terram quę comparetur ei, qui factus eſt, vt nullum timeret. Nos ſumus vt locuſtæ: hoſtes noſtri vt gigãtes. Aug. in li. confeſ. Quãtò inquit, maius periculum in prelio: tantò eſt gaudiũ maius in triumpho. Sic eſt in nauigãtibus. Nam poſt periculum & minas naufragij exultant nimis: quoniam timuerunt nimis. De gloria futura dicit Auguſtinus in lib. de ci. Dei. Quanta erit ibi felicitas, vbi erit nullum malum: nullum latebit bonum? Vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus. Nã quid aliud agatur, vbi nec vlla deſidia ceſſabitur: nec vlla indigentia laborabitur?

Iob. 41.

Figura.

Lib. 8. cap. 9. in med.

Lib. 22. ca. 30. in princip...

Lib 20. ca. 30 inter principiũ & mediũ. tur? neſcio. Idem in eodem. Vera gloria ibi erit: vbi nec laudantis errore quiſquã, nec adulatione laudabitur. Verus honor qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno: ſed nec ad eum ambiet vllus indignus. Vera pax, vbi nihil aduerſi: nec à ſeipſo, nec ab alio patietur. Premium virtutis erit ipſe qui virtutem dedit: & qui ſeipſum, quo melius & maius nihil eſſe poſſet, promiſit. Ipſe finis erit deſideriorum noſtrorum: qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur. Idem in

Eodem ca. 30. ante medium. eodem. Illa ciuitas magnum bonum in ſe videbit, quod nulli ſuperiori nullus inferior inuidebit: ſicut nunc non inuident Archangelis Angeli cæteri. Tamque nollet vnuſquiſque eſſe quod non accepit: quam nec in corpore vult oculus eſſe qui eſt digitus.

Eodem ca. 30 in ſine. Idem. Ibi vacabimus & videbimus: videbimus & amabimus: amabimus

&

& laudabimus. Ecce quid erit in fine, ſine fine. Nam quis alius noſter eſt finis, niſi peruenire ad regnum, cuius non eſt finis? Item Auguſtinus loquens de ſummo bono. Qui hoc bono fruetur, quid erit illi, & quid non erit? Erit quidquid volet: & quidquid nollet, non erit. Item Bernardus loquens de cœleſti ciuitate. O ciuitas cœleſtis, manſio ſecura, patria continens totum quod delectat, populus ſine murmure, incolę quieti, homines nullam habentes indigentiam. O quàm glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei. *Bern. cap. 10 in medicat.*

FINIS.

Liber Humberti, generalis magiſtri Ordinis Prædicatorum, de eruditione religioſorum, vtiliter recudetur.

I. Molanus.

TRAC-

TRACTATVS VITAE ET INSTRVCTIONIS ſpiritualis D. Vincentij quondam ordinis predicatorum.

PONAM in hoc tractatu tantummodo documenta ſalubria ex dictis doctorum extracta: nõ adducam aliquod ſcripturæ teſtimonium, vel alicuius doctoris ad probandum quæ dicam vel ſuadendum: tum quia breuitati intendo, tum quia tantummodo ad ſermonem dirigo: quæ cum magno affectu deſiderat implere quęcunque ſecundũ Deũ facienda cognouerit. Et idcirco etiam dicta non probo, quia humilem intendo inſtruere, non cum arrogantibus

bus contentionibus deſeruire. Quicũque ergo voluerit proximorũ animabus vtilis eſſe, eos ipſos verbis ædificare, primo debet in ſeipſo habere, quicquid alios eſt docturus: alioquin parum proficiet, nam verbũ eius erit ineffi cax, niſi prius homines in eo comperiant eſſe quod docet, & longe maiora.

De paupertate. *CAP. I.*

OPortet enim primitus, vt omnia terrena contemnat, & velut ſtercora reputet: & ſolum diſtrictiſſime ad neceſſitatẽ de ipſis recipiat, quam neceſſitatem in pauco colligat, ſufferendo etiam quędam incommoda propter paupertatis amorem, ſicut quidam ait. Scio quòd laudabile nõ eſt pauperem eſſe, ſed paupertatem amare, & paupertatis inopiam propter Chriſtum gaudenter & hilariter ſuſtinere. Proh dolor multi de pau-

pertatis

pertatis ſolum nomine gloriãtur,ſed eo pacto,vt eis nihil deſit. Dicunt ſe amicos paupertatis, ſed paupertatis ſodales & amicos fugiunt quantum poſſunt famen, ſitim, contemptum, deſpectionem.Nõ ſic S.Dominicus pater noſter:non ſic ille, qui cum diues eſſet, pro nobis egen⁹ factus eſt. Omneſque apoſtoli ita vt noſti, verbo & exemplo docuere. Nihil ab aliquo petas niſi ſit neceſſitas, nec acquieſcas cuicunque dare volenti quibuſcunque precibus etiam ſub prętextu,vt indigẽtibus largiaris : quia crede quòd in hoc ipſe & omnes,quę audierint, finaliter multum lætificabuntur, ac per hoc ad contemptum mundi eos poteris facilius inducere, & ad ſubuentionem aliorum indigentium inclinare. Neceſſitatem autem tuam intelligo in parco victu, & vili veſtitu & calciamento, quibus nunc pœnaliter indiges. Non voco autem neceſſita

neceſſitatem librorum, ſub quorum velamine frequenter magna auaritia cooperitur. Satis enim libri communes vel accommodati inueniuntur in ordine. Et quicũque effectus prædictorũ voluerit clare cognoſcere, ſtudeat primo corde humili adimplere: alioquin ſi corde tumido cõtradicere voluerit, foris ſtabit. Nam à Chriſto humilitatis magiſtro humilibus manifeſtatur veritas, quę tumidis occultatur.

De taciturnitate.

CAPVT II.

FActo ergo paupertatis ſtabili fundamento a Chriſto fundatore in vertice poſito, dicente, Beati pauperes ſpiritu, &c. ad reſtringendam linguam viriliter ſe accingat: vt lingua, quæ vtilia debet loqui, ab ocioſis & inutilibus compeſcatur omnino. Et vt melius reſtringat, pœnitus

non loquatur, niſi interrogatus. Interrogatus dico de re neceſſaria & vtili. Nam inutilem quæſtionem ſilentium debet ſoluere. Si quæ tamen cauſa ſolatij vel recreatiua ſibi dicatur, ne oneroſus aliis videatur, quãdam vultus hilaritatem & benignitatem poterit oſtendere: ſed nullo modo loqui: etiam ſi illi, quicunque ſint, de hoc viderint murmurare vel contriſtari, aut verba detractionis proferre, ipſum cauſando ſingularem, ſeu ſuperſtitioſum & grauem. Debet tamen pro ipſis attẽtius orare, vt Deus ab eorum cordibus omnẽ turbationem amoueat. Poterit tamen aliquãdo loqui, ſi immineat aliqua neceſſitas, vel proximi charitas, vel obedientia prouocatus, & tunc valde præmeditari, & cum paucitate verborũ voce humili & ſummiſſa. Quod etiã debet facere, dũ alicui habet reſpondere de aliquo. Nã taceat ad tẽpus ad proxi-

mi

mi ædificationem, vt tacendo diſcat qualiter ſuo tempore loqui valeat: rogando tamen Deum vt per ſeipſum ſuppleat: cordibus proximorum interius inſpirando ea, quibus interim ſe abſtineat, linguam per ſilentium edomando.

De puritate & munditia cordis.

CAPVT III.

EXtirpatis igitur per paupertatem voluntariã & per ſilentiũ multis ſolicitudinibus, quæ impediunt virtutum ſemina: nẽ quantumcunque in agro cordis ſæpe & ſæpius ſeminata inſpiratione diuina, valeant pullulare: iam tibi ſupereſt cura virtutibus illis amplius inſudare: quæ te adducunt ad illam cordis munditiam, per quam interiores oculi iuxta ſaluatoris eloquium, aperiantur in contemplatione diuina, per quam habeas quietem & pacem, vt ille;

cuius in pace factus eſt locus eius, in te quoque habitare dignetur. Nec intelligas me loqui de munditia,quæ hominem purgat,tantummodo à luxuria cogitationis immundæ:ſed loquor potius de illa munditia, & cordis puritate, quæ hominem elongat, quantum in hac vita poſſibile eſt, à quibuſcunque cogitationibus inutilibus,vt iã non libeat homini aliquid cogitare niſi de Deo , vel propter Deum. Ad hanc autem obtinendam cœleſtem(vt ita dicam)immo diuinã quodammodo puritatẽ(nam qui adhæret Deo,vnus ſpiritus eſt cum eo) iſta neceſſaria ſunt. Primo omnium ſtudeas,quantũcunque potes, abnegare teipſum iuxta ſaluatoris præceptum.Qui vult venire poſt me,abneget ſeipſum,&c. Et hoc ſic intellige, vt tuam volũtatem in omnibus mortifices & conculces, & in omnibus contradicas , benigne amplexando

alio

aliorum voluntatem, ſi tamen licita ſit & honeſta. hoc tamen generaliter habeas pro quacunque re temporali, per quam corporalibus neceſſitatibus deſeruitur, nunquam ſequaris voluntatem propriam, vbi alium contradicere videas, quantũcũque exorbitaret à iudicio, rationis, ſufferaſq́ue quodcũque incommodum pro interna mentis tranquillitate ſeruanda, quæ per tales repugnãtias perturbatur, dum homo ſuo iudicio adhærendo, & ſuam voluntatem implẽdo, verbis vel cogitationibus cum aliis altercatur. Et non ſolum in temporalibus, ſed etiam in his, quæ ſpiritualia ſunt, vel ad ſpiritualia ordinata, alterius potius, quàm tuam impleas voluntatem, dummodo ſit bona, licet tua perfecta videatur, quia maius detrimentum acquires in diminutione humilitatis & trãquillitatis, & pacis, cum aliis contendendo, quàm poſſit

prouenire profectus in quocunque alio virtutis exercitio voluntate propria aſſecuta, alteri repugnando: & hoc intelligas quantum ad illos, qui ſunt tibi familiares, & in ſpirituali exercitio ſocij,& qui ad perfectionis virtutem anhelãt,non de illis,qui dicunt bonũ malũ & malũ bonũ:& qui ſtudẽt aliorũ dicta,&facta carpere,& iudicare plus quã ſua praua corrigere. Nó enim dico,quòd debeas taliũ iudicio adhærere in his quæ ſpiritualia ſũt. Nã in tẽporalibus bene debes quorũcũque voluntatẽ pluſquã tuam exequi & implere.Si autẽ in his,quæ ſecundũ Deũ operari deſideras, ſiue ad profectũ tuũ vel ad Dei honorem vel proximi vtilitatẽ aliquos tibi obſiſtere videas:ſeu etiã totaliter impedire,ſiue ſint ſuperiores,pares,vel inferiores,noli cõtẽtionibus deſeruire, ſed teipſum in teipſo reſtringe, & cũ Deo tuo colligens vbique dicas:Do-

mine vim patior, reſponde pro me.
Nec de hoc cõtriſteris, quia nõ poſ-
ſunt id niſi finaliter pro bono tuo &
aliorũ, ſit expediẽs. Imo plus dico ti-
bi, quod quãtũcũque ad præſens non
videas, videbis finaliter, quòd illud, in
quo tibi eos impedimenta præſtare
credebas, erit tibi adiuuamẽ ad tuum
propoſitũ aſſequẽdũ. Licet autem de
horto ſacræ ſcripturæ poſſem tibi ad
hæc exẽpla ꝓducere, ſicut de Ioſeph
& multis aliis: nolo tamẽ contra id fa
cere, quod prædixi: ſed experto cre-
de quia ita eſt. Si etiã in his, quę ſecũ-
dũ Deũ deſideras, te videas quodam-
modo diuinitꝰ impediri vel per infir-
mitatẽ, vel quocũque alio cõtingẽte:
de hoc nullatenus cõtriſteris: ſed totũ
æquanimiter feras, & te ex toto com
mittas illi, ꝗ melius nouit, qd tibi ex-
pediat, quã tuipſe: ꝗ te ad ſe cõtinue
ſubleuat, dũmodo teipſum illi ex to-
to cõmittas, quãuis forte tu hoc mi-

nime videas. Ad hoc ergo ſit totum ſtudium tuum, vt teipſum in pace & trãquillitate cordis poſſideas, & pro quocũque euentu non doleas niſi de ſolo peccato proprio vel alieno, ſeu & de his, qui te inducerent ad peccatum. Non ergo te contriſtet quicunque caſus fortuitus: nõ te exagitet indignationis ſtimulus cõtra defectum alterius, ſed habeas ad quemcunque miſerationis & compaſſionis affectũ, cogitans ſemper quòd tu peius faceres, niſi te Chriſtus Ieſus ſua gratia cõſeruaret. Præpara inſuper teipſum ad quæcunque opprobria, ad quæcunque aſpera, ad quæcunque aduerſa pro Chriſti nomine ſufferenda. Omnem etiam appetitum ſeu cogitatum tibi ſuggerentem appetitum cuiuſcunque altitudinis, ſub quocunque charitatis prætextu in ipſo principio & ortu ſuo velut caput draconis infrena in cauterio mortifices

cum

cum baculo crucis, tibi Chriſti humilitatem & duriſſimam paſſionem ad memoriam reuocando, qui regnũ fugiẽs, crucem voluntarie eſt amplexus, omni confuſione contempta. Omnem humanam laudem fugiens cum horrore tanquam venenũ mortiferum, & in deſpectu tuo gaudens, teipſum talem verè & ex corde reputes: qui merito debeas ab omnibus conculcari & deſpici. Videas cõtinue tuos defectus & peccata tua: & ea aggraua, quantumcunque poteris: aliorum verò defectus poſt tergum proiicias, & non videas, & ſi vides, alleues & excuſes, & ipſis compatiaris & adiuues, quantumcunque poteris. Auerte oculos tuos & mentis & corporis ab aliorũ aſpectu, vt teipſũ poſſis inſpicere in lumine vultus tui. Teipſum ſine ceſſatione conſidera, & ſemper ſine ſimulatione diiudica. In omni actu tuo, in omni locutione

tua,in omni cogitatione tua,in omni lectione teipſum reprehende,& in te ſemper materiam compũctionis ſtudeas inuenire:cogitãdo, quòd bona, quæ facis, non ſunt plene executa, nec illo feruore factã,quo deberent, & multis negligentiis inquinata: vt merito omnis tua iuſtitia panno mẽſtruatæ debeat comparari. Te igitur ipſum continue reprehẽdas,nec permittas in te ſine forti increpatione tranſire,non ſolum negligentias verborum & operum, ſed etiam de ipſis cogitationibus non dico malis tantummodo,ſed etiam inutilibus in cõſpectu Dei tui omni hora grauiter reprehendas te peccatorum commiſſorum, & plus vilem & miſerabilem pro tuis defectibus corã Deo quàm quicunque peccatores pro quibuſcunque peccatis: & merito puniendum & a cœleſtibus gaudiis excludendum,ſi ſecundum iuſtitiam ſuam,

&

& non ſecundum miſericordiã ſuam vellet tecum agere Deus tuus: qui tantas gratias ſuper multos alios tibi prærogauit, ad quas omnes ingratus extitiſti. Conſidera etiam diligenter & cum pauore frequentiſſime rumina, quòd omnem aptitudinem ad bonum, & omnem gratiam ſeu quamcunque ſolicitudinem ad virtutis acquiſitionem a teipſo non habeas, ſed Chriſtus ſua miſericordia dedit tibi: quòd ſi voluiſſet, potuiſſet ita conferre cuicunque ſceleſto, te in luto fecis & lacu miſeriæ derelicto. Cogita etiam teipſum & ad hoc te credendum inducas: & hoc tibiipſi perſuadeas, quantum potes, quòd non eſt ſceleſtus vel quicunque peccator, qui non magis aſſiſteret Deo ſuo quàm tu: & qui non magis recognoſceret Dei beneficia quàm tu, ſi recepiſſet gratias quas tu ſola Dei gratuita bonitate, & non propriis meritis

rece

recepiſti. Propter quod ſine fallacia potes teipſum viliorem & inferiorẽ omni homine iudicare, & merito formidare: ne propter ingratitudinem tuam à ſuo conſpectu te Chriſtus foras abiiciat. Non tamen dico, quòd per iſta debes credere te eſſe extra gratiam Dei vel eſſe in peccato mortali: quamuis alij peccatores habeãt innumerabilia peccata mortalia: quod tamen eſt nobis multum occultum propter fallax iudicium, tum propter ſubitam contritionem & diuinæ gratię preuiã infuſionem. Dum autem teipſum vilificando, aliis peccatoribus comparas, non expedit tibi in ſpeciali ad eorũ peccata deſcendere: ſed ſolum in quodam generali cum eorum peccatis tuam ingratitudinem ponderando, quia etiam ſi in ſpeciali velis eorum peccata videre, potes eadem peccata in te quadam ſimilitudine transformare, ſic te in

tua conſcientia increpando. Ecce ille eſt homicida,& ego miſer quoties occidi animam meam. Ille fornicator & adulter eſt:& ego tota die fornicor & adulteror, à Deo meo oculos auertendo, & diabolicis ſuggeſtionibus ſupponendo:& ſic de aliis. Si autem videris, quòd diabolus te velit in talibus reſponſionibus quodammodo per talia ad deſperationem inducere, tunc omiſſis talibus increpationibus, in ſpem aſſurgas: conſiderata bonitate & clemētia Dei tui, qui tot te beneficiis iam præuenit. Nec dubium, quando opus ſuum in te velit perficere, quod incepit. Communiter tamen de homine ſpirituali, qui aliqualē Dei notitiā iam percepit, de hac deſperatione timere nō expedit: dū toto ſtudio ad ſe increpandū inuigilat. Illi tamē poſſet accidere, imo ſæpe accidit in homine incipiēt & ſpecialiter quē Deus libera-

uit

uit à multis periculis, ſceleribúſque quibus fuerat inuolutus. Et his quæ ſupra iam perſtrinxi generabitur in te virtus illa, quæ eſt mater & origo custóſque virtutũ, ſcilicet, humilitas, quæ interiores oculos aperit ad Dei conſpectũ, çor humanũ ab omni ſuperflua cogitatione purgando. Nam dum homo in ſuam reſilit prauitaté, ſeipſũ viuificãdo, ſe increpãdo, ſe deteſtãdo, ſuã nihilitaté cõſiderãdo: ſibiipſi intentiſſime diſplicẽdo, & hæc ſimilia cogitãdo, & talem ſe verè exiſtimando, in tantum circa propria negotia occupatur, quod omnis alia inutilis cogitatio areſcit. Et ſic dũ anima omnia audita, viſa & tẽporaliter operata a ſe repellit & in obliuionem adducit, incipit ad ſeipſam redire, & modo mirabili in ſeipſa conuoluit & ſic ad originalem iuſtitiam & celeſtem puritatem appropinquare incipit. Sic dum in ſeipſa reflectitur con-

tem

templationis oculus dilatatur:& in ſe ſcalam erigit, per quam tranſeat ad contemplãdum angelicum ſpiritum & diuinum. Et ex tali contemplatione animus exardeſcit ad bona celeſtia,& omnia temporalia a longe cõſpicit tanquam nihil. Per hoc illi perfecta charitas incipit in mente ferueſcere, quæ velut ignis conſumit omnem rubiginem interioris hominis. Quæ ſi ſic totam animam occupat charitas, non eſt quo intret vanitas. Iam quicquid cogitat, quicquid loquitur vel operatur, totum prouenit ex dictamine charitatis. Vnde ſecure poteſt aliis prædicare ſine detrimento, ſine inanis glorię periculo. Neque enim vt iam dixi poteſt aliqua vanitas ſubintrare, vbi charitas totum occupauit. Nunquid iam reſpectum habebit amplius ad aliquod commodum temporale: quia omnia

omnia reputat velut ſtercus. Sed & ipſe laudis appetitus nunquid animũ eius poterit ſubintrare, cum ſe videat velut ſtercus viliſſimum coram Deo miſerum abominabilem & ad omnia peccata procliuum: niſi eum ſua benignitate manus conditoris continuo conſeruaret? Quomodo iam extolli poterit de quocunque bono opere, qui luce clarius videt ſe nihil poſſe pœnitus agere, niſi continuo de hora in horam diuina virtus quodammodo cogat eum atque conſtringat? Quomodo iam ſibi aliquid attribuet acſi a ſeipſo proueniat, qui non dicam centies ſed etiam milles eſt expertus ſuam impoſſibilitatem in quibuſcunque bonis operibus magnis & paruis? & qui toties cognouit ſe non poſſe, dum voluit: & quando, vt ita dicam, non voluit, nec curauit, nec ſuper talibus cogitabat videre ſubito ſe

ſe diuinitus excitatum feruore mirabili ad illa facienda: quę prius cũ omni conatu ſuo implere non poterat, Nam & talem impoſſibilitatem idcirco Deus tam longo tempore dominari permittit in homine: vt homo diſcat humiliari & vt nunquam in ſeipſo inaniter glorietur: ſed Deo attribuat omne bonum non ſolum in conſuetudine quadam: ſed potius ex intimis cordis ſui: vtpote qui & propria experientia doctus luce clarius videt, quod nõ ſolũ nõ poſſit operari, ſed nec Ieſus dicere, niſi in ſpiritu ſancto, & niſi ille donaret qui dicit: ſine me nihil poteſtis facere: vt iam regirando ex totis animę ſuæ viribus domino cõfiteatur & dicat, omnia opera noſtra operatus es in nobis domine: ac cum pſalmiſta clamet, nõ nobis domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriã. Non igitur tali timenda eſt vana gloria. Quando iam Dei

vera gloria & animarum zelus eius præcordia totaliter occupant. Ecce iam ſummarie perſtrinxi, & in quodã breuiloquio poſui ea, quæ ſunt neceſſaria homini in ſeipſo quantum ad vitæ ſuæ perfectionem: ſi vtiliter & ſine periculo vult animæ ſuæ procurare ſalutem. Et hæc quidem ſufficerent homini illuſtrato & altum intellectum habenti: & qui in operibus ſpiritualibus longum habuiſſet exercitiũ: quia in his quæ poſui, breuiter tanquã quibuſdã vitæ perfectæ principiis recolligere poſſet quæcunque alia perfectorum actuum exercitia. Nam his tribus primis perfecte ſeruatis, ſcilicet voluntaria paupertate, taciturnitate, & interna mentis exercitatione, de quibuſcunque aliis exterioribus actibus, quomodo eſſent faciendi, homo facile iudicaret. Quia tamen non omnes poſſunt capere faciliter breuiter dicta, paulo diutius

inſiſte

inſiſtemus circa particulares actus virtutum.

Quod per inſtructorem idoneum citius & facilius peruenitur ad perfectionem quàm per ſeipſum.

CAPVT IIII.

SCiendũ igitur quòd homo facilius & in breuiori tempore poſſet ad perfectionem pertingere, ſi haberet inſtructorem, cuius regimine duceretur, cuius obedientiam in omnibus actibus paruis & magnis totaliter ſequeretur, quã aliquis poſſet ſe ipſum perficere, quantumcunque vigeat acumine intellectus, & libros habeat in quibus videat virtutum omnium ſtructuram exaratam. Imo plus dico, quòd nunquam Chriſtus ſuam gratiã miniſtrabit, ſine quo nihil poſſumus, ſi homo habet, à quo poſſit inſtrui & deduci, & negligit vel non curat alterius ducatum amplecti, cre-

dens ſibi ſufficere, & per ſe poſſe inueſtigare & inuenire, quæ ſunt vtilia ad ſalutem. Iſta enim via obedientiæ eſt via regia, quia homines inoffenſo pede ducit ad ſummitatem ſcalę, cui dominus apparet innixus. Hāc viam tenuere omnes ſancti patres in eremo, & breuiter omnes qui ad perfectionem attigerunt per hanc ſemitam proceſſerunt: niſi forte Deus aliquos per ſeipſum inſtruxerit ex priuilegio gratiæ ſingularis, deficientibus eis, & non inuentis qui eos foras inſtruerēt, quia tunc pietas diuina per ſe ſupplet, quod exterius minime reperitur: ſi tamen corde humili & feruenti ad Deum accedunt. Et quidem iſto tempore heu nobis miſeris: quaſi nullus reperitur, qui alios de perfectione vitæ inſtruat: quum potius ſi homo velit tēdere ad Deū, inueniat retrahentes multos, & quaſi neminem adiuuantē. Quamobrem

expe

expedit,vt homo ad Deum toto corde recurrat,& ab eo inſtrui cum omni orationum inſtantia & cordis humilitate depoſcat:&ſe in Deum proijciat, ſe ipſi totaliter committendo: vt ipſum benignus tanquam orphanũ ſine patre recipiat, qui neminem vult perire, ſed vult ad cognitionem veritatis quoſcunque venire. Igitur ad te dirigo ſermonem meum, qui magno cordis affectu Deum deſideras inuenire,qui ad perfectionem anhelas, vt in animabus aliorum vtilis eſſe valeas. Ad te ergo nunc dirigo ſermonem meum,qui corde ſimplici & non duplici accedis ad Deum, qui quæris virtutum intima penetrare,qui per viam humilitatis peruenire deſideras ad gloriam maieſtatis.

De obedientia ſeruanda.

CAP. V.

DVobus igitur iam præmiſſis,ſcilicet paupertate & taciturnitate,

tanquam fundamētis primariis, Chriſti atheleta ſe accingat, vt obedientiæ regulam & ſemitam in omnibus & per omnia teneat, quantum poterit, inconcuſſe, ſecūdū regulam, conſtitutiones, rubricas ordinarij, & aliorum librorum, omni loco & tempore intus & extra in refectorio, dormitorio, in choro inclinationes & proſtrationes, ſurgendo & ſtando, & omnes maiorum ordinationes ad vnguem teneat, quantum poteſt, ſemper cogitans verbum Chriſti, qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Deinde ad coaptandum corpus ſuum totaliter in obſequio Chriſti Ieſu coerceat, vt omnes actus & motus corporis ſint omni morum honeſtate compoſiti ſecundum regularem diſciplinam. Neque enim poteris vnquam animam ab inordinatis cohibere, niſi prius ſtudueris corpus tuum ſubiicere diſciplinæ

ſciplinæ ipſum reſtringendo non ſolum ab omni actu, ſed etiam ab omni motu incongruo & inepto.

De modo regulandi corpus.

CAPVT VI.

IGitur regulationem corporis intendendo, primò contra gulam inſiſtas. Niſi enim contra hanc victoriam habeas, in vanum laboras in acquiſitione aliarum virtutum. Iſtum autem modum obſerues. Primo vt nihil tibi in ſpeciali procures, ſed cibariis, quæ fratribus communiter apponuntur, ſis contentus. Secularibus volentibus tibi encęnia mittere, nullatenus acquieſcas pro tua perſona: ſi tamen volunt cõuentui mittere, mittãt. Inuitationes fratrum extra refectorium nullo modo recipias: ſed continuè refectorium teneas, omnia ieiunia ordinis obſeruando. Et

hoc intellige, quandiu Chriſtus te in ſanitate cōſeruabit. Nam ſi infirmus fueris, iuxta infirmitatis neceſſitatem te tractari permittas, nihil tibi penitus procurando, ſed omnia cum gratiarum actione recipias, quę tibi fuerint miniſtrata. Vt autem non excedas ſumptionem cibi & potus, debes naturam tuam diligentiſſime examinare, quanto cibo & potu valeas ſuſtentari: vt ſcias iudicare inter ſuperfluum & neceſſitatem. Hoc autem habeas pro regula generali, vt ſaltem de pane comedas ſufficienter, quantum natura requirit ſpecialiter dum ieiunas. Nec vnquā credas diabolo ſuadenti tibi facere abſtinentiam de pane. Et in hoc poteris experiri, quantum natura requirit, vel quid ſit illi ſuperfluum: ſi tempore binæ refectionis poſt nonam inueneris te grauatum, & in ſtomacho ſentias quendam ardorem, vt orare, ſcribere vel legere

legere nequeas. Communiter hoc ac cidit propter exceſſus: ſi inde ſentias poſt matutinas, quando cenaſti: ſi etiam quando ieiunas poſt completorium idem grauamen adeſſe percipias. Igitur comede ſatis de pane, ſic tamē vt poſt comeſtionem ſis paratus legere ſcribere vel orare. Si tamen illa hora non eſſes ita aptus: ſicut aliis horis, dum tamen non ſentires grauamen aliud, vt prædixi, non eſſet crimen exceſſus. Cogita igitur tuæ naturæ ſufficientiam modo prædicto vel aliter, prout te docebit altiſſimus, à quo debes ſimpliciter poſtulare. Sis ſolicitus valde illum modum continue obſeruare, & ſemper in menſa, quicquid comedis, æſtimare: & quando per negligentiam exceſſeris, non ſinas abſque pœnitentia digna pertranſire.

De modo bibendi.

CAP. VII.

DE potu verò neſcio tibi regulam ponere, niſi quòd paulatim te reſtringuas de die in diem minus bibendo: ita tamen, quòd non ſitias nimis die & nocte. Specialiter autem cum potagium comedas potes facilius tranſire cum potu temperato: ita tamen, quòd ſufficiat ad cibi digeſtionem. Nolo tamen bibas extra comeſtionis horam niſi veſperi quando ieiunas, & tunc valde temperatè: vel niſi propter laborem itineris, vel quancunque aliam laſſitudinem. Bibas autem vinum ita lymphatum, quòd vini fortitudo deficiat. Et ſi eſſet forte, apponas aquæ medietatem vel plus. Et ſic magis vel minus ſecundum quòd dominus inſpirauerit.

De modo ſtandi in menſa quo ad vtrumque hominem.

CAPVT VIII.

PVlſato itaque cymbalo, cum omni maturitate lotis manibus, in

claustro

clauſtro ſedendo nola pulſata, refe-
ctorium introibis: & non parces ti-
bi, cum omni fortitudine tua, cum
vocis & corporis modeſtia domi-
num benedicens, & iuſta ordinem
tuum te collocabis in menſa, cogi-
tans apud te corde pauido, quod de-
beas peccata populi manducare: cor
tuum etiam pręparabis ad intelli-
gentiam lectionis, quæ legitur in
menſa, vel ſi lectionem non habeas,
ad meditationem aliquam ſpiritua-
lem: vt nequaquam totus comedas,
ſed corpore ſuam refectionem ha-
bente, anima nullatenus defraude-
tur. Poſitus autem ad menſam ve-
ſtimenta decenter coaptes: cappa
ſit per genua retorquendo. Satue
autem pactum tecum omnino, vt
nullo modo circunſpicias, come-
dentes, ſed ſolum tibi appoſita vi-
debis. In principio cum ſederis, ne
extendas ſubito manus ad inciden-
dum

dum panem, ſed ſtes aliquandiu ſuper te, vſquequo ſaltem dicas. Pater noſter & Aue maria pro animabus defunctorum, qui in purgatorio exiſtunt, magis indigẽtium. Hoc autem generaliter habeas, quòd omnem actum, & omnem corporis motum cum quadam modeſtia facias. Si panem diuerſum, durum, mollẽ, album, aut aliter factum ante habeas illum comedas, qui eſt vicinior: & libentius comedas illum, ad quem minus ſenſualitas inclinatur. Nunquam in menſa aliquid petas, ſed permitte aliis pro te poſtulare. Quod ſi non facerent, patientiam habe. Non teneas cubitum ſuper menſam, ſed ſimpliciter manus. Non teneas crura diuaricata nec pedẽ alteri ſupponas. Non recipias ſcutellas duplices vel aliud quodcunque, niſi tantum, quantum cõmuniter omnes alij habent. Quãcunque pitantiã a quocũque miſſam etiam

etiã à priore non comedas: ſed ſi potes cõpetenter in fragmentis abſcondas vel in ſcütella. Vbi nota, quòd mos Deo gratus eſt, aliquid de potagio Chriſto pauperi ſemper in ſcutella dimittere: ſimiliter aliqua panis fragmēta nõ cruſtas, imo illas comedas, & de pane confracto Chriſto dimittas. Nec nimis cures ſi de hoc aliqui murmurent, dummodo prȩlatus tibi non mandauerit oppoſitum. Et generaliter de omni eo quòd comedis, aliquam particulam Chriſto pauperi dimittas, & bolos meliores & nõ viliores. Sunt tamē aliqui, qui vilia tantum donant Chriſto, ſicut porcis fieri conſueuit. Si autē cum vno pulmēto ſufficienter potes comedere de pane, in ſecundo pulmento aliquid de pane reponas, & Chriſto dimittas. Et ſi tibi dominus donauerit, potes facere quaſdam mirabiles abſtinentias, Deo gratas & hominibus incognitas.

cognitas. Si eſt tibi cibus inſipidus, ex defectu ſalis vel alia quacunque cauſa,noli apponere tibi ſal,nec aliud condimentum propter Chriſtum feîle & aceto potatum , ſed ſenſualitati reſiſtas. Similiter quęcunque ſalſamenta,quæ ad nihilum valent,niſi ad gulę excitamentum dimittere occultè potes. Quandocunque aliquem bolum gratum tibi circa finem apponitur,iſtũ dimitte propter Deũ. Similiter caſeum,fructus & huiuſmodi ſicut nectar, vinũ melius apportatũ, &cętera,quę nõ ſunt neceſſitatis pro ſaluteq; corporis humani , imo frequenter eſt noxium,& non prodeſt, quod delectat. Si dimiſeris propter Chriſtum:hæc , non dubito quod tibi parabit in dulcedine Chriſtus dominus cibum cõſolationis ſpiritualis etiã in alio cibo,quo cõtentus es propter Chriſtũ. Et vt melius & facilius poſſis à quibuſcunque volueris abſtinere,

nere,ponas in corde tuo, quando vadis ad mẽſam quod pro peccatis tuis debes in pane & aqua abſtinere. Vnde panis ſit ſolus cibus & pulmẽtum: tamen non pro cibo adijcias te: ſed vt poſſis panem conueniẽtius deglutire. Tene quod ſi hoc poſueris in corde tuo, quod videbitur tibi magna pitantia habere aliquid de pulmento. Et obſerues, quod non ponas offas multas in paropſide, ſed ſufficiat tibi panem infringere. Quando vero pulmentum non habueris, comedas panem vel dimidium vel paulo plus. Quando bis comeſturus es, naturę ſatisfacias, etiam ſi talia non haberes. De multis talibus actibus, quos tibi exprimere non poſſum, te inſtruet Chriſtus, ſi ad ipſum ex corde recurreris, & totam ſpem in ipſo põſueris. Quis enim exprimere valet modos innumeros, quos tibi Deus demonſtrabit? Sis etiam

attentus,

attentus,nec ſis de illis,quæ finem faciunt in edendo, imo quàm citiſſime poteris te expedias, ſeruata debita honeſtate, vt magis lectionem poſſis attendere. Dum a menſa ſurgis ex toto corde regratieris altiſſimo, qui tibi contulit bona ſua: & qui tibi virtutem aliquā præſtiterit, ne tibi ſenſualitas præualeret. Non parcas voci tuæ,ſed ſecundum poſſibilitatē tuam gratias age bonorum omnium largitori. O chariſsime cogita quam innumerabiles ſunt pauperes, quæ ad delicias maximas reputaſſent, ſi habuiſſent tantummodo panem, quem tibi cum aliis cibariis dominus miniſtrauit. Ita enim veraciter debes cogitare, quòd Chriſtus eſt, qui tibi dedit:imo plus quod in menſa ipſe tibi ſeruiuit. Vide ergo cum quanta diſciplina,cum quanta reuerentia, maturitate & tremore debes in menſa conſiſtere, vbi vides præſentialiter

Deum

Deum tuum in propria perſona miniſtrare. O quàm beatus eris, ſi tibi deſuper detur mentalibus oculis iſta conſpicere. Videres enim ſanctorum multitudinem copioſam cum Chriſto per totum refectorium diſcurrere.

De modo perſeuerandi in ſobrietate & abſtinentia.

CAPVT IX.

VT autem in tali modo ſobrietatis & abſtinentiæ iugiter perſeueres, ſta iugiter in timore, & à Deo totaliter recognoſce, & ab ipſo perſeuerantiam pete. Et ſi non vis corruere, noli alios iudicare: nec contra eos indignationis ſpiritu mouearis, ſi eos vides in edendo debitum ordinem non ſeruare: ſed eis compatiaris ex corde, & pro eis ora, & eos in corde tuo, quãtum potes, excuſa: cogitãdo, quòd tu nõ potes aliquid, nec ipſi poſſunt, niſi quantum Chriſtus

porrigit manum ſuam, qui non pro meritis tribuit, ſed pro ſuæ beneplacito voluntatis. Si hæc cogitaueris, firmus eris. Namque eſt cauſa, quòd multi quandoque incipiunt multa facere in abſtinentia,& in aliis, qui non perſeuerant corpore torpente,& ſpiritu frigeſcente. Certè nulla alia de cauſa niſi propter eorum elationẽ & præſumptionem dum de ſe præſumentes aliis indignantur, eos in cordibus ſuis iudicando. Et ideo Deus ſubtrahit ab eis donum ſuum: vt vel ſpiritu frigeſcant, vel ex indiſcretionis vitio plus facientes quàm non oporteret, in infirmitatem incurrant, & ſic tãdem dum ad reſtaurationem corporis intendunt, in hoc quoque excedunt, efficiunturq́ue guloſi pluſquam alij, quos primitus iudicabant, ſicut ego de quibuſdã cognoui Nam iſtud communiter accidit, quòd quicũque alium in aliquo iudicat, Deus tandem

tandem permittat in illum defectum cadere vel maiorem. Ergo ſeruias in timore. Et quandocunque te ſentis in exaltatione ob memoriam beneficiorum, quæ tibi donat altiſſimus, apprehende diſciplinam increpationis & propriæ reprehenſionis, ne quando iraſcatur tibi Dominus, & pereas de via iuſta: ſi ſic feceris, ſtabilis permanebis. Ecce indicaui tibi modum altiſſimo gratũ cõtra gulæ dominiũ, ad quem pauci pertingunt, qui non excedant vel plus vel minus edendo, vel debitas circunſtantias non ſeruando.

De modo habendo in ſomno & vigilia.

CAPVT X.

POſt hoc nitaris contra ſomnum & vigilias modum debitum cuſtodire: in quo valde difficile eſt habere menſuram. Vbi nota, quòd ſunt, in quibus ſpecialiter immi-

net periculum corpori & per conſequens animæ, ſi diſcretionis limites excedas, ſcilicet in nimia abſtinentia, & in vigilia inordinata. Nam in aliis virtutũ exercitiis non ſic eſt periculum in exceſſu. Et propter hoc diabolus habet iſtam aſtutiam finaliter, quando videt hominẽ ſpiritu feruentem, immittit ei ſuggeſtiones: vt faciat abſtinẽtias & vigilias magnas: & per hoc inducat eum in tantã corporis debilitatem quòd infirmetur & debilitetur: & quòd vlterius ad nihil valeat: imo vt ſupra dixi, vt plus poſtea comedat & dormiat quàm alij. Et talis nunquã audet aſſumere exercitium in vigiliis & abſtinẽtiis recognoſcens ſe per talia infirmatum, ſibi diabolo ſuggerente & dicente: non facias talia, neſcis quòd ob talia fuiſti infirmus? cum tamen non fuerit per vigilias & abſtinentiam infirmatus, ſed quia in his diſcretionis tramitem

non

non ſeruauit. Vnde homo ſimplex non intelligit ſophiſmata diabolica, quibus ex vtraque parte decipitur. Vnde ſub colore boni ei dicit. Tu feciſti tot peccata, quādo poteris ſatiſfacere: Vel ſi non peccata enormia fecit, dicit ei. O quanta paſſi ſunt martyres & eremitæ. Et credit ſimplex homo quod cum talia habeāt ſpeciē boni, non poſſint eſſe niſi a Deo, & Deo permittente, hoc fit maxime qñ talis primo cū magna humilitate & tremore & cum inſtantia orationum non recurrat ad Deum, qui eum illuminaret & dirigeret, quando non reperiret hominē directorem. Homo enim, qui ſub obedientia ſancta conſiſtit, & continue regula directionis dirigitur & inſtruitur: & à talibus deceptionibus tutus eſt: etiam ſi ipſe pater ſpiritualis aliquando aliqualiter erraret. Deus enim propter huhumilitatem obedientię totum ei di-

ſponit ad bonum: ſicut probari poſſet multis auctoritatibus & exẽplis. Itaque circa ſomnum & vigilias talis modus poterit obſeruari. Vt ſcilicet tempore æſtiuo poſt prãdium, poſtquam campana pro ſilentio eſt pulſata, quieti membra componas. Etenim illud tempus ad ſpiritualia exercitia minus aptum eſt: & per hoc in nocte amplius poteris vigilare. Hoc tamen generaliter debeś obſeruare, quotieſcunque vis dormire: vt ſemper vel pſalmos rumines, vel ſpirituale aliquid mediteris: quod etiã ſomnum intercipiat: & quãdoque tibi in imaginatione præſẽtetur. In ſero hoc communiter habeaś, vt non multum vigiles. Nam per vigiliam ſerotinam impeditur attentio & deuotio in matutinali officio. Eſt enim communiter talis ſomnolentus grauis & indeuotus: quando nimis vigilat in ſero: imo aliquando ex toto a matutinali

tinali officio cogetur remanere. Igitur ſtatues tibi aliquas breues orationes, vel aliquam lectionem vel meditationem, quibus in ſero, antequam dormias, breuiter occuperis. Et inter alias meditationes, ſi in hoc fertur tua deuotio, poteſt tua mens ferri ad ea, quæ in paſſione domini illa hora contigerunt, & ſimiliter faciendo in omnibus aliis horis iuxta modum, quem habes a beato Bernardo traditum: vel prout tibi Dominus inſpirauit. Non tamen eſt omnium deuotio vniformis, ſed alius plus alio excitatur. Aliis enim ſufficit in ſua ſimplicitate in foraminibus habitare. Nullus tamen quantumcunque pollens ingenio debet amittere ea, quę poſſunt eum ad deuotionē excitare: imo quæ legit vel ſtudet, debet ad Chriſtū reflectere, cū ipſo loquēdo, & ab ipſo intelligentiā poſtulando. Sæpe dum actu ſtudet, a libro debet ad horam

oculos auertere,& oculis clauſis ſe in Chriſti plagis abſcondere, & iterato ſe ad librum conuertere. Etiam quã-do debet a ſtudio ſurgere, & in cœlum flexis genibus aliquam ignitam orationem cum breuitate ad Deum fundere: vel etiam cellã egredere, & eccleſiam clauſtrum vel capitulũ circumire, ſecundũ quòd impetus ſpiritus cõfert:& aliquãdo oratione formata vel informi per gemitus & ſuſpiria de ebullitione cordis diuinum auxilium implorando,vota ſua & deſideria altiſſimo prǫſentando,ſanctorũ ad hæc auxiliũ implorando. Et illud negotium quãdoque agitur ſine pſalmis, & ſine quibuſcũque orationibus exterius formatis verbo: quã-uis hoc aliquando initium ſumpſerit vel ex aliquo verſu pſalmi vel alterius ſcripturæ ſiue alicuius ſancti nobis interdũ Deo inſpirante, interius proprio deſiderio vel cogitatu adinuentum.

uẽtũ. Cũ autẽ ille feruor ſpiritus trãſierit, qui cõmuniter parũ durat, potes ad memoriam reuocare ea, quæ paulo ante legeras: & tunc dabitur tibi clarior intellectus, quo facto iterato, ad ſtudium redeas, vel ad lectionẽ, & iterato ad orationẽ: & ſic alternando cõmutes. Nã per huiuſmodi cõmutationẽ in orationẽ maiorẽ reperies deuotionẽ: & in ſtudio intelligẽtiã clariorẽ. Iſte autẽ feruor deuotionis poſt ſtudiũ lectionis, licet quacũque hora indifferẽter veniat, ſecundũ ꝙ ille dignatur immittere, qui ſuauiter diſponit omnia, prout vult, tamen communiter poſt matutinas amplius euenire cõſueuit. Et ideo in ſero parum vigiles: vt totum ſpiritum poſt matutinas in ſtudio & oratione valeas occupare. Igitur in nocte, dum audis horologium, vel quodcũque ſignum ſtatim excuſſa omni pigritia à ſtrato diſcedas, ac ſi ibi eſſet ignis accenſus,

vel flexis genibus cum feruore aliquam orationem effundas ſaltē aue Maria, vel aliud, in quo animus tuus magis inflammatur. Vbi nota quòd ad hoc vt faciliter & ſine moleſtia, imo cum quadam alacritate ſurgas tunc, cum ſurges, multum facit, ſi ſupra ſtratum durum dormias & iaceas indutus. Hoc debet habere generaliter ſeruus Dei, vt omnem mollitiem & complacentiam fugiat: ita tamen quòd diſcretionis limites non excedas. Habeas igitur de paleis, quæ quāto ampliùs expreſſione duriores extiterunt: gratiores debes habere: & ſuper ipſas ſufficiat tibi ſiaciatam ſeu coopertorium habere: pro tegumento autem cōtra frigus vnam vel duas pro temporis diuerſitate ſecundum quòd tua neceſſitas poſtulabit. Ad caput autem ſacculum plenum paleis habeas, & fugias moliciem puluinaris: & ſimiliter omnes mollicies alias

aſſuetas ſicut de ſudariis ſub maxilla vel ad collum:ſeu ad zonam niſi forte de nocte in æſtiuo tēpore propter ſudorem. Nam talibus natura nō indiget:ſed ſunt quædam malæ cōſuetudines introductæ. Dormias etiam indutus ſicut die:niſi quòd ſotulares debes extrahere,& corrigiam relaxare.Potes tamen tempore æſtiuo magni æſtus cappam detrahere, & cum ſolo ſcapulari quieſcere.Si per iſtum modum dormias,non erit tibi moleſtum ſurgere:imo cito & cum alacritate conſurges.Dum igitur officium de beata virgine dicitur, ſtans in oſtio cellæ tuæ non apodiatus ſed ſuper pedes tuos, cum omni attentione competenti voce diſtincte & alacriter dicas officium virginis glorioſæ. Et te ſic habeas, quaſi eam cerneres corporalibus oculis coram te. Officio virginis terminato, & completa corporis neceſſi

ceſſitate, ad eccleſiam vadas: vel ad clauſtrum, prout maiorem deuotionem inuenies. Vbi nota, quòd ſeruus Dei eundo & redeũdo ad cellam, vel in quocũque alio loco non debet eſſe ocioſus corde: ſed vel pſalmos vel aliquid ſpirituale ruminare. Poteſt tamẽ ante inchoationem chorum intrare, & aliquid ſpirituale pręmeditari, vt deuotius & attentius cum aliis pſalmos valeat decãtare. Pulſatis igitur matutinis, & factis veniis vel inclinationibus pſallendo ſta ſuper pedes tuos, non approdiatus: ſed corde & corpore ſta viriliter coram Deo tuo: & ipſius laudes cum omni alacritate decanta, recogitans quòd ſine dubio ſancti angeli ſunt præſentes: in quorum conſpectu pſallens Deo eos debes continue reuereri: vtpote qui faciem Dei patris in cœlis vidẽt, quã tu nondũ niſi per ſpeculũ in enigmate cõtẽplaris. Nũquã parcas voci,

ci,quantũ potes,diſcretione regente: non permittas iota vnũ tám de pſalmis,verſibus,dictionibus, & ſyllabis quam de voce. Et ſi non potes æquali voce cum aliis, tamen cũ voce ſubmiſſa.Et ſi potes pſalmos & hymnos cantes in libro, dum intellectũ habes in pſalmis & cæteris orationibus, vt conſolationẽ ſpiritus reportes.Tunc oportet te eſſe ſollicitum, ne in actu exteriori,ſcilicet, in geſtu corporis, & ſono vocis aliquid appareat leuitatis:ſed tunc ſpecialiter oportet te cõſeruare mentem,& debitam grauitatem. Nam ſpiritualis lætitia in quandã conuertitur leuitatem: niſi freno diſcretionis actus cõprimatur extrinſecus toto conatu tuo facias,vt pſallas ſpiritu & mente.Nam magnus labor eſt homini præcipue incipienti nondum in Deo roborato tempore pſalmodiæ mentem ab euagatione cõſtringere. Semper in choro teneas

locum

locum tuum & communiter te ponas in vno loco: niſi forte alius veniret: cui merito cedere oportet. Si in choro præuideris aliquem defectum, per te vel per alium ſtudeas implere. Vnde nota, quòd Deus gratum haberet, ſi pridie præuideres rubricas, & oĩa dicenda in choro, & paratus eſſes ad omnes defectus & negligentias aliorum ſupplendas. Sed caueas, quòd dũ in choro eſt aliqua controuerſia eorum, quæ ſunt dicenda vel cantanda, ne tu os tuum aperias, etiam ſi certus eſſes de eo, quod dicendum eſſet. Sed multi quandoque pro vno modico multũ litigant. Minus malũ eſſet errare quàm litigare. Si autẽ vnico verbo poſſes errorẽ chori corrigere: tũc facere debes, ſpecialiter ſi tu es de ꝓuectioribus in choro. Si autẽ te vides ſpũ impatiente agitari: melius eſt quòd tu ſtudeas motum animi tui ſubiugare. Si autem aliquis male legit

git

git vel cantat, vel quocunque modo incepte ſe habet:nō ſubmurmures vel corrigas.Eſt enim ſpecies cuiuſdam iactantiæ talis correctio. Idem in lectione quantūcūque quis male & inepte legat:nec etiam aliquod ſignum facias:quia hoc eſt ſignū mentis vento elationis inflatæ. Quando multi ſubito currunt ad aliquem defectum implendum,non te ingeras.Si autem nullus eſſet ſupplens:tunc cum omni modeſtia ad ſupplendū occurras:ſed ſi potes taliter defectum anticipes, ne valeas deprehendi. Caue tamen, ne duas lectiones immediate legas vel duo reſponſoria, niſi tantus eſſet defectus, & maximè vbi eſt multitudo fratrum. Item non de facili te ingeras,ſi iuuenis es ad dicenda ea quæ pertinent ad antiquos.Non circunſeras oculos hincinde, nec aliquem videas quid faciat: vel quomodo ſe habeat: ſed oculis in terram demiſſis

miſſis vel ſurſum erectis vel clauſis, vel ad librum ſtes. Semper quãdo dicis diuinum officium, dum ſtas vel ſedes, non teneas manus ſub mento: ſed ſub cappa: vel ſcapulari: vbi condecens eſt ſemper capam habere. Nō teneas vnum pedem ſuper alium vel tibias diuaricatas: ſed cum omni modeſtia vt qui es in præſentia Dei tui. Caueas ne digitos teneas in naribus. Sunt enim aliqui, qui in hoc & talibus miſeriis non ſine diaboli ſtimulatione occupantur, diuertentes a diuino officio & indeuotionem non modicam oſtendentes. Multi tales actus particulares occurrunt, qui non poſſunt exprimi: ſed ſi humilitatem habueris & integram charitatem de omnibus vnctio te docebit. Tu qui legis attende, quia cum hic ponantur multi actus, qui ad vnam circunſtantiam variantur, non propter hoc ita improbes ſi aliquan

quando aliter fieri oporteret: ſicut de loquendo in choro, cum error apparet, quia ad antiquum bene pertinet emendare. Generaliter tamen verum eſt, quòd ſeruum Dei litigare non decet. Minus malum eſt patienter tolerare errorem quàm contentionibus deſeruire, quanto magis in choro, vbi tales contentiones ſcandaloſe attentionis, ac tranquilitatis mentis ſunt conturbatiuę. Similiter cum dico quòd ſemper legat vel cantet in choro. Quandoque enim poſſet oriri talis in mente deuotio, quæ ex cantu impediretur: quòd melius eſſet apud ſe dicere officium, præcipue vbi alij eſſent, qui ſufficerent ad cantandũ: & ſic de multis aliis, prout melius docebit altiſſimus: ſi contemptis omnibus, ei corde ſimplici volueris adhærere. Non enim debet ſibi quiſq; faciliter credere, vt oppoſitũ faciat: niſi longo virtutum exercitio

diſcretionis ſpiritus ſit adeptus.

De modo prædicandi.

CAP. XI.

IN prædicationibus & exhortationibus vtere eloquio ſimplici & confabulatione domeſtica ad declarationem actuum particularium. Et quãtum potes inſiſte cum exemplis, vt quilibet peccator habens illud peccatum, videatur percuti, ac ſibi ſoli prædicares: taliter tamen quòd verba videantur ab animo procedere non ſuperbo vel indignanti, ſed magis ex viſceribus charitatis, & pietatis paternæ: ſicut pater condolet peccantibus filiis vel in infirmitate graui, vel fouea grandi iacentibus: quos nititur extrahere & liberare & fouere ſicut mater: & ſicut qui gaudet de profectu eorum, & de gloria paradiſi ſperata. Talis enim modus conſueuit eſſe proficuus audiẽtibus. Nam virtutibus

tibus & vitiis locutio generalis parum excitat audientes. Item in confeſſionibus, vt ſiue blandè tractes puſillanimes, ſiue terreas induratos, ſemper viſcera charitatis oſtendas: vt ſemper peccator ſentiat, quòd verba tua ex pura charitate deſcendant. Et ideo charitatiua verba & dulcia ſemper pungitiua præcedant. Tu itaque, qui deſideras proximorum animabus eſſe vtilis, primo ad Deum ex toto corde recurre, & hanc petitionem ab eo ſimpliciter poſtula; vt tibi illam charitatem largiri dignetur, in qua eſt ſumma virtutum, per quam poſſis perficere, quod optas.

Remedia contra tentationes aliquot ſpirituales. CAP. XII.

AD honorem domini noſtri Ieſu Chriſti dicam tibi remedia contra aliquas tentationes ſpirituales, quæ in iſto tempore abun-

dant in terra ad purgandũ & probandum electos. Quę quamuis expreſſe manifeſte non ſint de aliquo principali articulo fidei: tamen qui bene reſpicit cognoſcit, quòd ſunt in periculo deſtructionis principalium articulorum fidei: & quòd præparant cathedram & ſedẽ Antichriſto. Quas tentationes nolo exprimere, ne ponam materiam & occaſionem ſcandali ſeu offendiculũ & imperfectionem: ſed monſtrabo tibi perquam ſpiritualem diſcretionem debes te regere, ſi non vis eſſe victus a prædictis tentationibus. Et quia prædictæ tentationes veniunt duobus modis. Primo quidem per ſuggeſtionem & illuſionem diaboli: qui decipit hominem in regimine, quod deberet habere erga Deũ, & in hoc quod eſt Dei. Secũdo p corruptã doctrinã aliquorũ & eorũ modũ viuendi, qui iã venerũt in prędictas tentationes. Propter

hoc

hoc volo tibi dicere, quòd regimen debes habere erga Deũ:& illud quod eſt Dei, ſi vis eſſe immunis a prędictis tẽtationibus. Et poſt quomodo debes regi erga alios quantũ ad doctrinã & modum viuendi eorũ. Primũ ergo remediũ contra tentationes ſpirituales huius temporis, quas procurat diabolus in cordibus aliquorũ eſt, quod illi qui volunt ſe ſubdere Deo, non deſiderẽt per orationẽ, vel cõtẽplationẽ vel per alia opera perfectionis, viſiones, vel reuelationes, vel ſentimẽta, quæ ſunt ſupra naturã, & ſupra omnem curſum eorum, qui diligunt Deum & timent per veriſſimum amorem: quia prædictum deſiderium non poteſt eſſe deſiderium ſine radice & fundamento ſuperbiæ & præſumptionis, vel intentionis alicuius vanę curioſitatis circa Deum vel ſine fragilitate fidei. Et per hunc defectum iuſtitia Dei dimittit ani-

mam, quæ habet antedictum deſiderium, & permittit venire in talem illuſionem & tentationem diaboli per falſas viſiones & reuelationes, & falſas ſeductiones, per quem modum ſeminat maiorem partem tentationum ſpiritualium huius temporis, & radicat eas in cordibus illorum, qui ſunt nuntij Antichriſti, ſecundum quòd poteris videre per ſubſequentia. Debes enim ſcire, quod veræ reuelationes & ſentimenta ſpiritualia ſecretorum Dei non veniunt per antedictum deſiderium, neque per aliquem conatum ſeu ſtudium, quod anima habeat in ſe, ſed tantum veniunt pura bonitate Dei in animam, quæ eſt in magna humilitate & in magno deſiderio Dei & reuerentia. Nec etiam exercitet ſe homo in magna humilitate & timore Dei propter hoc vt habeat viſiones & reuelationes & ſentiméta ſupradicta: quia

in

in idem delictū caderet, in quod per ſupradictum deſideriū. II. remedium eſt, quod in anima tua, in tua oratione vel contemplatione non ſuſtineas aliquam conſolationem vel paruam, ex quo tibi videretur, quod fundaret ſe in præſumptione & æſtimatione tui ipſius: & poſtquam ducit in abuſionem proprij honoris & reputationem: & ex quo ſuggeret menti tuæ te dignum eſſe vel huius vitæ glorię & laudis vel paradiſi: quia ſcias quod anima, quę ſentit ſe in tali conſolatione venit & incurrit in plures malos errores: quia dominus per ſuum iuſtum iudicium permittit poteſtatem diabolo augmentandi prædictā cōſolationē & accelerādi & imprimere in illa anima falſiſſima & periculoſiſſima ſentimēta: & alias illuſiones, quas cōſolationes credit & putat eſſe veras. Heu Deus meꝰ quot perſonę ſunt deceptę per iſtum modū. Et ſcias pro

certo quòd maior pars raptuum, imo rabierum nuntiorum Antichriſti venit per iſtum modũ. Et propter hęc caue ne in tua oratione vel contemplatione ſuſtineas aliquam conſolationem niſi illam, quæ venit poſt perfectam notitiam & completum ſentimentum tuæ humilitatis & perfectionis: & quia facit perſeuerare dictam notitiam & ãnte dictum ſentimentum in te, & in magnitudinem & altitudinem Dei per altam reuerentiam: & cum magno deſiderio honoris Dei & gloriæ: & quòd antedicta conſolatio fundetur in prædictis. III. remedium eſt, quòd omne ſentimentum & quantumcunque altum & omnis viſio quantumcũque ſit ſecreta & ſecreto tibi appareat quæcũque ſit, ex quo ducit cor tuum ad opinionem vel infectionem contra aliquẽ articulum fidei vel cõtra bonos mores, & maxime contra humilita-

tem, vel contra honeſtatem exhoreſcas, quia ſine dubio ex parte diaboli venit. Et ſi appareret tibi aliqua viſio ſine lumine & ſentimento, de qua ſis certus quòd venit ex parte Dei:& propter quam ſis certificatus in corde tuo quòd illud, quod inducit viſio, eſt a Deo placitum, noli te firmare in dicta viſione. IIII. remedium eſt, quòd nec propter magnam deuotionem, nec propter magnam vitam, nec propter clarum intellectum, nec propter aliquã ſufficiẽtiã aliam, quã vides in aliqua perſona: vel aliquibus perſonis noli ſequi eorũ conſilia: nec eorũ modos ex quo cognoſcis clare & multũ rationabiliter ꝙ eorũ conſilia non ſunt ſecundũ Deũ, & veram diſcretionẽ: & per vitã Ieſu Chriſti & ſanctorũ monſtratã, & per ſanctã ſcripturã in dictis ſanctorũ prędicatã & notificatã. Et propter hoc nõ timeas, quòd ſpernendo talia cõſilia eorum,

pecces, per ſuperbiã & præſumptionem: dum hoc facis propter zelum & amorem veritatis. V. remediũ eſt, quòd fugias & vites familiaritates & ſocietates illorum & illarum, qui vel quæ dictas tentationes ſeminant diffundunt, & vites illas perſonas, quæ ſuſtinent & laudant eas: & noli audire eorũ verba nec collationes eorum nec modos eorum velis videre: quia tibi dæmon ſubminiſtrabit & oſtendet magnum ſignum perfectionis in pluribus eorum verbis & modis, quę ſi velis accipere: & ea illis credere, venires & rueres in pericula, ruinas & præcipitia errorum illorum.

Remedia contra inanes reuelationes.

CAP. XIII.

POſt hæc dicam tibi aliqua remedia, quæ debes attendere per temetipsũ circa aliquas perſonas, quę

ſeminant

ſeminant dictas tentationes per eorum vitam & doctrinam. Primum quod debes attendere erga tales perſonas eſt, quod non habeas magnam æſtimationem viſionum eorum, & ſentimẽtorum, nec eorum raptuum: imo ſi dicerent tibi aliquid, quod ſit contra fidem & contra ſcripturam ſacram, aut contra bonos mores, abhorreas eorum viſionem & ſentimenta tanquam ſtultas dementias: & eorum raptus ſicut rabiamenta. Tamen ſi dicant ſiue iudicant in hoc, quod eſt ſecundum fidem & ſanctam ſcripturam, & ſecundum ſanctos & ſecundum bonos mores, noli ſpernere, quoniã ſperneres quod eſt Dei: tamen non cõfideas totaliter: quia ſę pe & maxime in tentationibus ſpiritualibus falſitas induitur ſeu abſcon ditur ſub ſimilitudine veritatis & ma litia ſub ſimilitudine boni, vt diabolus poſſit ſępe & melius mortale venenũ

ſine

ſine ſuſpitione diffūdere. Et ideo credo quòd plus placet Deo, quod viſiones & ſentimenta & raptus qui ſecūdum quod dictum eſt habent ſimilitudinem veritatis & bonitatis: dimittas ire pro tanto, quantum valent niſi contingat aliquibus perſonis ratione ſanctitatis & diſcretionis aceorū humili probitate, de quibus certū eſt ꝙ prædictę perſonæ non poſſunt decipi per illuſiones, nec per ingeniū diaboli. Et tunc quamuis ſit pium viſionibus, & ſentimentis tātarū perſonarum conſentire: tamen ſecurum eſt non totaliter credere in eis ratione ſui per rationē prædictā, ſed quantū concors cū fide catholica eſt, & ſacra ſcriptura, & bonis moribus, & verbis ſanctis ac doctrina ſanctorū. II. remediū eſt, quod ſi per reuelationē vel ſentimentum vel alium modum cor tuum moueatur ad faciēdum aliquod opus & maxime opus graue & notabile

notabile non tibi conſuetum, de quo nō habeas certitudinem, an Deo placeat, imo dubitas rationabiliter contrahas morā ad faciēdum dictū opus vſquequo inſpexeris omnes circunſtantias, & maxime finales & cognoſcas quod Deo placet, non tamen ꝙ tu iudices per te tuam opinionem: ſed ſi potes per teſtimoniū ſacrę ſcripturę vel exēplum imitabile ſanctorum patrum. Et dico exemplum imitabile quia ſecundum beatum Gregorium aliqui ſancti fecere aliqua opera, quę nō debemus imitari, quāuis bona eſſent in eis, ſed debemus ea habere in admiratioīe & reuerentia. Et ſi per temetipſum non potes venire in notitiam an placeat Deo: petas conſilium a perſonis approbatis in vita & doctrina: & cōſilium totius veritatis. III. remediū eſt, quod ſi tu es immunis a prędictis: ſic quod nunquam habueris vel quod quantumcunque

cunque habueris, fueris liberatus: ab eis dirige cor tuum & intellectum ad Deum: recognoſcēdo humiliter gratiam Dei tibi factam: & eidem in corde multoties imo indeſinēter regratieris ſuper hoc, & caueas tibi, ne hoc, quod habes, per puram gratiam & bonitatem Dei velis attribuere virtuti vel ſapientiæ tuæ, vel merito tuo ſiue tuis moribus, neque quod fuit factum a caſu ſiue a fortuna: quia ſecundum quod dicunt ſancti, hoc eſt principalius, per quod Deus beneficium ſuæ gratiæ aufert & ſubtrahit homini, & permittit eum ſubijci tentationibus & illuſionibus diaboli. IIII. remedium eſt, quod te exiſtente ſeu corde tuo in tentatione ſpirituali, per quam es in dubio, non incipias ex tua propria voluntate aliquid notabile tibi ante in cōſuetum: ſed cor tuum refrenando, & voluntatem expectes humiliter, & cum tremore

more & reuerentia Dei, vſque quo Deus cor tuum clarificet: quia ſcias pro certo, quod ſi exiſtendo in dicto dubio, ex tua propria voluntate inciperes aliquid notabile inconſuetum tibi, non poſſes exire ad bonum finẽ. Et intendo dicere de incipiendo opera notabilia & inconſueta: ſuper quæ eſt dubium antedictum. V. remedium eſt, quod propter ante dictas tentationes: ſi eas habeas, non dimittas aliquod bonum, quod incepiſti, dũ non eras in tentationibus antedictis. Et maxime non debes dimittere orare nec confiteri, nec communicare, nec ieiunare, nec opera pietatis & humilitatis: licet conſolationem non inuenias in operibus antedictis. VI. remedium eſt, quod ſi tentationes antedictas habeas: leua cor tuũ & intellectũ ad Deum, quęrendo humiliter hoc quod ei honorabiliꝰ & tuę animę ſalubrius ſuper tentatione: ſubiiciendo

tuam

tuam voluntatem voluntati diuinæ: ſic quod ſibi placet, quod perſeueres in illis tentationibus: ſimiliter tibi placeat, vt Deum non offendas.

De rationibus excitatoriis ad perfectionem. CAP. XIIII.

QVia placet mihi multum de hoc quod cępiſti bonum ad honorem Dei, & deſidero nō ſolum, quod perſeueres, quinimo vt aſcendas ad maiora opera virtutum vel ſaltem deſideres: idcirco ſcribo tibi aliquas rationes, vnde poteris cor tuum excitare & mouere ad maiores perfectiones omnimodę virtutis, quam non incepiſti, nec poteris ſeruare per propriam virtutē. ¶ Prima ratio eſt, quia ſi inſpicias, quātum Deus eſt dignus amari & honorari ſecūdum ſuam bonitatem & ſapientiam, & alias ſuas perfectiones, quæ ſunt in eo ſine numero & ſine termino: videbis, quod hoc,

hoc,quod credidiſti multum & magnum ad honorem Dei & ſecundum bonitatem ſuam eſt minimũ & quaſi nihil in reſpectu quòd deberes eſſe, ſecundũ quòd Deus eſt dignus. Iſtã rationẽ idcirco pono primam: quia principaliter debemus attendere in omnibus operibus noſtris honorẽ & reuerentiã & amorẽ Dei: quia ſeipſo eſt dignus amari per omnem creaturam. II. ratio eſt, quòd attendas ſi deſpectus & vituperia, egeſtates & dolores & paſſionem, quam tam amare ſuſtinuit filius Dei propter amorem tui: & vt in hoc ames & honores eum, cognoſces, quòd parũ eſt, quod feciſti ad Deũ amãdũ & honorãdũ ſecũdũ quòd facere deberes. Iſta ratio altior eſt & perfectior quã ſequẽtes: & ideo pono eã ſecundã. III. ratio eſt, q̃ ſi cogites innocentiã & perfectionẽ, quã debes habere ſecundũ mãdatũ Dei, per quod teneris eſſe abſque

omni vitio, & ſine omni culpa: & in plenitudine virtutis totius: ſicut eſt ꝙ debes amare Deũ ex toto corde tuo, & ex omni mente tua, & totis viribus tuis, videbis manifeſte infirmitatem tuam & diſtantiam, in qua es a prædicta innocentia & perfectione. IIII. ratio eſt: quia ſi cogitas multitudinẽ & largitatem beneficiorum Dei, gratiarum corporalium & ſpiritualium, quæ tibi & aliis, vel quæ ſingulariter tibi ſunt datæ, ſentires ꝙ hoc, quod facis, vel potes facere propter Deũ, eſt nihil ad dicta beneficia recõpenſandum & gratias Dei: & maxime ſi liberalitatem attendas & bonitatem. V. ratio eſt, quia ſi cogitas altitudinẽ & nobilitatẽ remunerationis, & gloriæ promiſſæ & paratæ illis, qui faciunt opera virtutum aut honorem Dei: quoniam gloria tãto maior erit, quanto opera erunt virtuoſiora, & maiora, cognoſces pro certo tuum

meri

meritum eſſe nihil cõparatione tantæ gloriæ:& deſiderabis facere opera virtuoſa, pluſquam ante feceras. VI.ratio eſt:quia ſi attendas pulchritudinem & generoſitatem,quam habent virtutes in ſe, & nobilitatẽ quã recipit anima per ſupradictas virtutes:& ſi attendas ad vilitatem & turpitudinem,quam habent vitia & peccata, conaberis, ſi ſapiens fueris, ad amplius acquirendum virtutes, & amplius fugiendum vitia & peccata. VII.Ratio eſt: ſi attendas altitudinẽ & perfectionem vitæ ſanctorum patrum, & eorum multas & perfectas virtutes, cognoſces imperfectionem & infirmitatem vitæ tuæ, & tuorum operum. VIII. ratio eſt: quia ſi cógnoſceres magnitudinem peccatorum, & multitudinem offenſorum, quæ feciſti contra Deum, cognoſces quia opera tua, quæ facias, quantumcunque bona ſint,

nihil ad ſatisfactionem per viã iuſtitiæ de offenſis Dei.IX.ratio eſt:quia ſi ſpeculeris vniuerſitatem,& pericula tentationum carnis & mundi & diaboli,conaberis ad aſſumendũ maiorem firmitatem & maiorem altitudinem in omni virtute quàm feceris vnquam:& poſſis in maiori ſecuritate perſiſtere contra dictas tentationes. X.ratio eſt:quia ſi cogites diſtrictum iudicium Dei finale & cum apparatu bonorum operum & cum ſatiſdatione de offenſis Dei: & quòd debeas venire ad dictum iudicium: videbis quòd parum eſt,quod feciſti per bona opera & pœnitentiã:ſecundum quòd facere debuiſſes.XI. ratio eſt: quia ſi tu cognoſceres breuitatem vitæ tuæ,& vanitatem tuæ mortis, poſtquam non habebis ſpacium faciendi opera meritoria,neque pœnitèntiam:cognoſces quòd cum maiori corde & ſtudio deberes facere bona

bona opera, & pœnitētiam, quàm tu facis. XII. ratio eſt quia ſi animaduertas, qualitercunque incipias bonam vitam, in quouis gradu & conamine & deſiderio ad maiorem perfectionē aſcendendi, & altiorem vitam non poſſe eſſe ſine fundamento præſumptionis & ſuperbiæ huius, quod incepiſti: nec poteſt eſſe ſine incluſione magnæ tepiditatis & negligentiæ: ex quo hæc duo mala includuntur, non poteſt eſſe ſine magno periculo viuendi in multis vitiis ſpiritualibus ſecundum quòd monſtrare tibi poſſem: ſed nimis eſſet longum ad ſcribendū per literas. Non dubito, quin, ſi velis dictorum malorum eſſe liber, & immunis quòd quantumcunque altam vitam incæperis: tu adhuc conaberis in altiori & perfectori vita eſſe, Bernardus ſuper Pſalmū. Qui habitat in adiutorio altiſſimi: loquens de illis, qui ſunt feruidi in principio:

& poſtea credentes ſe aliquid eſſe, tepeſcunt. O inquit ſi ſcires quàm paruum eſt, quod habes, & hoc ipſum quàm cito perdes, ſi non ſeruauerit, qui dedit. XIII. ratio eſt: quia ſi cogitas abyſſalia iudicia Dei facta ſuper aliquos, qui diu perſeuerauerũt in magna ſanctitate & in magna perfectione, quòd Deus deſeruerit eos propter aliqua occulta vitia, quæ nõ credebant habere: nõ dubito quin quantumcunque altam vitam incæperis omni die leuabis tuas affectiones & tentationes, deſerendo omne vitium pluſquã feceras ante, appropinquando te ad perfectam & integram ſanctitatem, timendo, ne forte in te ſit vitium aliquod occultum, propter quod merearis a Deo deſeri. XIIII. ratio eſt: quia ſi cogites pœnas infernales damnatorum, paratas cunctis peccatoribus, credo quòd leuis erit tibi omnis pœnitentia, humilitas,

pau

paupertas & omnis labor, quem in iſta vita poſſis ſuſtinere propter Deũ: vt euadas pœnas ſupradictas: & conaberis continue ad tenendum altiorem & perfectiorem vitam: timendo periculum veniendi ad ſupradictas pœnas.

Supradictarum rationum declaratio, & applicatio.

CAPVT XV.

PRædictas rationes plus in breuitate tetigi quàm explicauerim: vt tu addiſcas in paucis magna cogitare: ſic quòd quælibet ſit tibi materia altæ contemplationis & ſpatioſæ. Attamen ſcias, quòd ſi velis proficere, cum prædictis rationibus debes formare non ſolum per intellectum, imo etiam eſt neceſſariũ quòd per certã affectionẽ moueas volũtatem tuam ad hoc, quod dictant dictæ

rationes. Et vt melius intelligas replicabo tibi ſub breui memoria dictas rationes: oſtendendo tibi, qualiter dictæ rationes non habent efficaciam in anima, niſi formetur per affectionem & ſentimentum ſpirituale. I. enim ratio non habet vigorẽ niſi in anima, quę habet magnum ſpiritũ: & ſentit & cõtemplatur nobilitatem & perfectionem & dignitatem Dei, & conatur ad amandum deum & honorandum in omnibus, ſecundum quòd Deus eſt dignus. II. ratio non habet efficaciam niſi in anima, quæ cordialem deuotionem ſentit in ſpiritu & charitatem & bonitatem filij Dei, quam nobis monſtrauit in ſua propria paſſione propter nos accepta: ſic quod aĩa deſideret totis ſuis viribus facere recõpẽſationẽ Deo, de bonitate & de charitate oſtẽſa in paſſione. III. ratio nõ proficit niſi in anima, quæ ſentit altitudinẽ perfectionis,

nis, quã requirit Dñs & percipit eſſe in creatura: q̃ profunda ratione mandatũ Dei conatur adimplere, & cum magna volũtate venire in dictã perfectionẽ. IIII. ratio ſolum locũ habet in anima, quę per intellectus affectionem recogitat magnitudinẽ & nobilitatẽ beneficiorũ Dei & gratiã ipſi⁹: & quæ conatur repræſentare Deo ſeruitiũ debitũ ſecundũ beneficia recepta. V. ratio habet valorem tantum in anima, quæ habet in æſtimatione & feruẽti amore gloriã promiſſam in paradiſo: & quæ habet firmam fidem & ſpẽ veniendi ad illã gloriã per bona opera virtutũ: ſic quod cum dictis operibus conetur venire ad illam gloriam ſupradictam. VI. ratio non habet efficaciam niſi in anima, quæ habet in horrore omnia vitia & peccata in abominatione: & in magna cõplacẽtia & amore perfectionem virtutum & gratiæ Dei: & hoc cum ma-

gno exceſſu & altitudine. VII. ratio habet ſolum virtutem in anima quæ habet in magna æſtimatione vitas ſanctorum cum deſiderio imitandi. Et maxime intendo dicere perfecte & perfectorum ſicut eſt virgo Maria principaliter, Ioannes Baptiſta, Ioannes euangeliſta, & omnes apoſtoli, & ſic de aliis. VIII. ratio non proficit niſi in anima, quæ aggrauat offenſas contra ſe, quas fecit contra Deum: & quę habet voluntatem magnam faciendi Deo iuſtitiam, & ſatisfactionem peccatorum ſuorũ per bona opera & virtuoſa. IX. ratio non habet locum niſi tantũ in anima, quæ ſentit ſuam debilitatem & grauitaté: & periculum tentationum, propter quod conatur ad fugiendum occaſionem cadendi in tentationem, & ad veniendum in ſecuritate gratiæ Dei. X. ratio non habet locum niſi in anima, quæ cognoſcit peccata ſua: & habet timo

timorem & tremorem cordialem ſententiæ finalis iudicij, quæ dabitur contra peccatores, qui non egerunt pœnitentiam de peccatis ſuis. XI. ratio non habet locum niſi in anima, quæ habet timorem mortis: & habet magnum præparamentum faciendi opera meritoria. XII. ratio tantum proficit animæ, quæ ſentit vel intelligit, quod inchoare bonam vitam ſine conamine & deſiderio & altiorem vitam aſſumendo non poteſt ſine incluſione prædictorum vitiorum: & ſine periculo grandium malorum, & quæ non vult fugere dicta vitia & pericula. XIII. ratio non habet efficaciam niſi in anima, quæ ſumme curat de ſua ſalute, & timet ſeparationem a gratia. XIIII. ratio non habet efficaciam niſi in anima, quæ timet de pœnis damnatorum: ſentiẽdo quod digna eſt, venire in pœnas

ſupra

ſupradictas propter offenſas, quas commiſit contra Deum:& quæ vult & conatur vitare pœnas antedictas per ſatisfactionem pœnitentiæ. Et nota,quod concluſio & finis cuiuſlibet rationis debet eſſe in duobus.Primo in ſentimento propriæ imperfectionis & nihilitatis. Deinde deſiderio & conamine veniendi in altiorem vitam: ſic quod non ſit ſentimētum propriæ imperfectionis & annihilationis ſine deſiderio & conamine maioris perfectionis & vitæ altioris: nec econuerſo.

Remedia ad fugiendos laqueos, & tentationes diaboli.

CAPVT XVI.

QVi vult fugere atque euadere laqueos atque tentationes Antichriſti ſeu diaboli finales,debet habére in proprio ſentimento ſui duo. Primo quod ſentiat de ſeipſo ſicut

de

de corpore mortuo pleno vermibus, & male olenti: & ſicut de cadauere quod dedignantur videre intuentes: immo ſuperclaudũtur nares propter eius peſſimum odorem & fetorem: & auertuntur facies, vt non videant talem & tantam abominationem. Sic oportet chariſſime facere ſemper mihi & tibi: ſed plus mihi, quia tota vita mea fetida eſt: totus fetidus ſum & corpus meũ, & anima mea, & omnia quæ intra me ſunt fece & putredine peccatorũ, & iniquitatum fœdiſſima & abominabiliſſima ſunt: & quod deterius eſt quotidie hunc fetorem in me ſentio recentius & anguſtius renouari. Et debet talem fetorem de ſeipſa ſentire fidelis anima cum maxima verecundia coram Deo, ſicut coram illo qui omnia videt: & fit ſicut ſi eſſet coram diſtricto iudicio: & dolere maxime de offenſa Dei, & perditione gratiæ animæ, in qua

quia cum his omnibus Deum offendit & creatorem. Item quòd deſpici deſideret & contemni& quòd omnia vituperia,verecudias, diffamationes, iniurias,blaſphęmias & omnia aduerſa ſummo cum gaudio & lætitia recipiat,& patienter ferat. Et oportet, quòd diffidas de teipſo totaliter:& de omnibus bonis tuis : & de tota vita tua:& cóuertas te totum: & reclinabis ſuper brachia Ieſu Chriſti pauperrimi & viliſſimi & improperati deſpecti & mortui ꝓpter te : vſquequo tu ſis mortuus in omnibus ſentimentis tuis humanis:& Ieſus Chriſt' crucifixus viuat in corde tuo, & tua anima:& totus transformatus & trāſfiguratus cordialiter ſentias in te, vt nunquā videas nec ſentias nec audias niſi ipſum ſolum ſtantē in cruce propter te mortuum & ſuſpenſum ad exēplum virginis Marię, & mortuus in mundo, & viuens in fide. Et quod in illa fide viuat tota anima tua : vſ-

que ad reſurrectionem, in qua domi nus immittet gaudium ſpirituale: & donum ſancti ſpiritus in anima tua: & in illis perſonis, in quibus debet renouari ſtatus apoſtolorum & eccleſiæ ſanctæ Dei, exercens te ſanctis orationibus ſiue ſanctis meditationibus & affectibus: ad obtinenda dona virtutum, & gratiam Dei. Sed debes præcipue ſeptiformi affectu exerceri ad dominum, ſcilicet amore ardentiſſimo, timore ſummo, honore debito, zelo conſtantiſſimo, & illis debet adiungi gratiarum actio & vox laudis, omnimodæ obedientiæ promptitudo, & ſuauitatis diuinæ pro poſſe deguſtatio, vtpote dicendo, Bone Ieſu, fac vt totis medullis & mēte ſumme timeam, reuerear, & pro omni honorę tuo fortiſſime zeler, ita ꝙ omne tuum opprobrium, tanquam tuæ gloriæ zelotypus vehementiſſime exhoreſcam, & potiſſime ſi in me,

aut à me vel pro me facta tibi ſint opprobria vlla, Deus meus. Da etiam, vt te dominum tanquam tua creatura humiliter adorem & recognoſcam & de omnibus beneficiis a te mihi impẽſis gratias ſemper agam: & hoc cum ſumma gratitudine cordis. Da etiam, vt in omnibus ſemper te benedicam, laudem & magnificem: & hoc cum ſummo iubilo & tripudio cordis: & tibi in omnibus obtemperatus & obediens ſemper reficiar dulciſſima tua & ineffabili ſuauitate: qui cum ſanctis tuis angelis & apoſtolis tuæ menſæ aſſiſtens, licet omnino indignus & ingratus. Qui cũ patre &c.
Debet etiam circa ſeipſum exercere alio ſeptiformi affectu. I. ſecundum quòd totus de ſuis vitiis & defectibus confundatur. II. vt peccata ſua tanquam offenſiua, & ſuiipſius maculatiua acutiſſimo & acerbiſſimo dolore plangat & deploret. III. humi

liatio ſui & cõculcatio cum contemptu : vt ſcilicet totis viribus ſe ſic rem viliſſimam & fetidiſſimam ſpernat & contemni appetat vt dictum eſt. IIII. rigore ſeueriſſimo vt ſcilicet corpus ſuum aſperrime maceret & macerari appetat tãquam peccatum fetidum imo tanquam latrinam & ſentinam & tumulum omnium fetiditatum. V. ira implacabili contra omnia vitia ſua, & contra radices & inclinationes vitiorum ſuorum. VI. vigore peruigili & ſtrenuo, vt ſecundum omnes ſenſus, actus, potentias ſuas ſemper cum quadam viriliſſima ſtrenuitate in omne bonum teneat peruigiles & attentos. VII. diſcretione perfectæ modeſtiæ ſeu moderantiæ, vt ſcilicet in omnibus diſtrictiſſime ſeruet menſuram & modum: inter videlicet nimium & nõ ſatis, vt ſecũdũ nihil ſit in eo ſuperfluũ: nil diminutum aut defectiuum: nec

pluſquam

pluſquam debet, aut minus quam deceat.

De affectibus quibus nos exercere debemus circa proximum.

CAPVT XVII.

DEbet etiam circa proximum ſe exercere alio ſeptiformi affectu. Primo ſcilicet per piam compaſſionem, vt ſcilicet ita ſentiat; aliorũ mala & incommoda ſicut ſua. II. per dulcem congratulationem, vt ſcilicet de aliorum bonis lætetur ſicut de ſuis. III. per tranquillam ſupportationem & condonationem, vt ſcilicet moleſtias & iniurias ab aliis illatas patienter toleret, & ex corde indulgeat & condonet. IIII. per benignam affabilitatem, vt ſcilicet ſit ad omnes benignus, & omnibus bonũ affectet & optet, & talem ſe exhibeat in geſtibus ſuis & verbis. V. per reuerẽtiam humilẽ, ſcilicet vt

omnes ſibi præferat, & omnes reuereatur,& omnibus ex corde ſe ſubdat tanquam dominis ſuis. V I. per concordiam vnanimem, vt ſcilicet,quantum in ſe eſt, & quantum ſecundum Deum poteſt eſſe,vnum ſentiat cum omnibus,& ita ſentiat ſe eſſe omnes, & illos ſe, & omnium rectum velle ſuo reputet & econtra. VII. per Chriſtiformem ſui pro omnibus oblationem, ſcilicet vt ad inſtar Chriſti pro omnium ſalute ſit paratus & ſolicitus ponere vitam ſuam,& die noctuque orare & laborare, vt omnes in Chriſto inuiſcerentur, & Chriſtus in eis: Sed tamen nec ex hoc credatur quin vitia hominum ſint pro toto poſſe cauenda & fugienda. Sciẽdum quòd quandocũque ex ſocietate maiorum hominum vel imperfectorum eſſet periculum vel occaſio retrahens vel impediens a perfectione vel feruore prædictarum virtutum, debes

bes a talibus ſicut a ſerpentibus vel draconibus elongari. Non enim eſt carbo ita ignitus, quin in aqua frigeſcat, aut tepeſcat: ſic econtrario vix eſt carbo ita frigidus, qui non aceruo carbonum ardentium accendatur: alias vbi periculum huiuſmodi non imminet: etiam mera ſimplicitate debes aliorum non videre defectus, aut ſi videas, per compaſſionem ſupportare. Vt autem vtiliter ad temporalia & æterna te habeas perfectè, ſcito quòd temporalia debes aſpicere ſub quadruplici ſenſu. Primo ſcilicet vt tanquam peregrinus & aduena ſentias omnia vt extranea & aliena in tantum, vt tua veſtis tuo ſit ſenſui ita extranea ac ſi eſſet in Hiſpania vel in India. II. vt in tuo vſu abundantiam timeas vt venenum, & vt mare ſubmergens. III. vt in tuo vſu omnem inopiam & egeſtatem ſentias, quia ipſa eſt ſcala, per quam aſcen-

ditur ad cœleſtes diuitias & æternas. IIII. vt ſocietatem, contubernium, & apparatum diuitum & magnatum fugias ex contemptu tamen & de ſocietate pauperum glorieris: & in memoria & aſpectu atque conuerſatione pauperum & defectuoſorum vel deſpectorum totus leteris: quaſi expreſſa imagine Chriſti: & eis quaſi regibus cum ſumma alacritate & iocunditate & reuerentia aſſocieris.

De perfectionibus neceſſarijs ſeruienti Deo.

CAPVT XVIII.

QVindecim ſunt perfectiones neceſſarię perſonę quę ſeruit Deo in vita ſpirituali. Prima eſt clara & perfecta notitia, ſuorum defectuum, & ſuarum infirmitatum. II. eſt magna, & feruens impugnatio, contra malas inclinationes, & cõtra ſuas voluntates

luntates ſeu paſſiones rationi repugnãtes.III.eſt timor magnus, quem habere debet, quod de offenſis hactenus factis contra Deum non eſt certus, an bene ſatisfecerit, nec ſi cum Deo fecerit pacem. IIII. eſt magnus timor & tremor, qui debet eſſe in ipſo:ne per ſuam fragilitatem iterum cadat in ſimilibus vel maioribus peccatis. V. eſt fortis diſciplina & aſpera correctio ad regẽdum ſuos ſenſus corporales,& totum ſuum corpus ſpiritui ſubiugare in obſequium Ieſu Chriſti.VI. eſt fortitudo & magna patientia in tentationibus,& aduerſitatibꝰ.VII.eſt vitare viriliter omnẽ perſonã& omnẽ creaturã aliã,quę impelleret eũ aut eſſet ſibi occaſio nõ ſolũ ad peccatũ ſed etiã ad aliquã imperfectionẽ vitę ſpũalis:ſicut dęmonẽ infernalẽ. VIII. eſt ꝙ portet in ſe crucẽ Chriſti: q̃ habet quatuor brachia. Primũ eſt mortificatio vitiorũ:

Secundum eſt derelictio omniũ bonorum temporalium. Tertium derelictio omnium affectionũ carnalium parẽtum ſuorum. Quartum ſuiipſius contemptus & abominatio & annihilatio. IX. eſt diutiſſima & continua recordatio beneficiorum Dei, quæ hactenus recepit a domino Ieſu Chriſto. X. die ac nocte ſtare in oratione. XI. eſt guſtare & ſentire diuino dulcore continue. XII. eſt magnum & feruens deſiderium exaltandi noſtram fidem, ſcilicet quod Ieſus Chriſtus ab omnibus timeatur, ametur, & cognoſcatur. XIII. eſt habere miſericordiam & pietatem in omnibus neceſſitatibus ſuo proximo: ſicut ſibi vellet haberi. XIIII. eſt regratiari ex toto corde tuo in omnibus Deo, glorificare & laudare in omnibus Ieſum Chriſtum. XV. eſt, quod poſtquam hæc omnia fecerit, ſentiat & dicat, domine Deus meus

Ieſu

Ieſu Chriſte, nihil ſum: nihil poſſum: nihil valeo, & male tibi ſeruio, & in omnibus ſeruus ſum inutilis.

Quædam præcepta admodum vtilia, & de ſtatu virorum euangelicorum, quem futurum prædicit.

CAP. XIX.

TRes ſunt radices euangelicæ & apoſtolicæ paupertatis ſeu principales partes, abdicatio omnis ſui iuris, rerum temporalium moderatio, paupertatis vſus habituatus ad vtrunque affectus. Tres ſunt partes abſtinentiæ, ſcilicet eneruatio carnalis amoris & ſollicitudinis vitæ ſuæ ſuſtentationis, non curare de abundantia vel ſufficientia victualiũ & deliciarũ, & vti parce oblatis. Tria ſunt a nobis ſingulariter, fugienda & metuẽda. Primum exterior diſtrictio negotiorũ. Secundũ interior promotio

& exaltatio. Tertium temporalium rerum & carnalium amicitiarum ad ſe vel ſuos amicos vel ſuum ordinem immoderata vel inordinata affectio. Tria ſunt a nobis ſingulariter exercenda & amplectenda. Primum deſiderium proprij cõtemptus abiectionis & externę viuificationis. Secundum viſceroſa compaſſio ad Ieſum Chriſtum crucifixum. Tertiũ ſufferentia perſecutionum & martyriorũ pro dilectione cultus nominis Chriſti euangelicę vitę. Hęc tria ſunt per quędã verba extẽſiua per horas diei gemitibus & ardẽtibus ſuſpiriis poſtulãda. Tria ſunt a nobis ſingulariter & quaſi aſſidue meditanda. Primum Chriſtus crucifixus incarnat⁹ &c. Secundũ ſtat⁹ apoſtolorũ & fratrũ præteritorũ noſtri ordinis: & hoc cũ deſiderio vt illis cõformemur. Tertiũ ſtat⁹ virorũ euãgelicorũ futurus. Et hoc debes die noctúq; meditari, ſcilicet

ſtatum

ſtatũ pauperrimorũ,ſimpliciſſimorũ, & manſuetorũ,humiliũ,abiectorum, charitate ardẽtiſsima ſibi coniũcto-rũ,nihil cogitantiũ aut loquentiũ nec ſaporantiũ niſi ſolũ Ieſum Chriſtum & hunc crucifixũ, nec de hoc mundo curantiũ, ſuique oblitorũ,ſupernam Dei & beatorũ gloriã contẽplãtium & ad eã medullitus ſuſpirantium, & ob ipſius amorem ſemper morte ſpe rantium, & ad inſtar Pauli dicẽtium. Cupio diſſolui & eſſe cũ Chriſto: & innumerabiles ac inæſtimabiles theſauros diuitiarũ cœleſtiũ:& ſuper dul ces & mellifluos riuos diuitiarũ,ſuauitatũ ac iocũditatũ,& ſuper omnia mirabiliter expanſos & ſuperinfuſos. Et p cõuerſationes imaginari debes eos ipſos, vt cãtãtes cãticũ angelicũ cũ iubilo citharizãtiũ in citharis cordis ſui. Hęc imaginatio ducet te pluſquam credi poteſt in quoddam impatiens deſiderium aduentus illorum

tempo

temporum, Ducet te in quoddam ad mirabile lumen, amoto omnis dubietatis ac ignorantiæ nubilo & lympidiſſime videbis, & diſtincte diſcernes omnes defectus iſtorum temporum & immixtum vel myſticum ordinem eccleſiaſticorum ordinum productorum & producendorum ab initio Chriſti vſque ad finem ſeculi, & vſque ad gloriam ſummi Dei Ieſu Chriſti. Crucifixũ ſemper portans corde tuo, vt te ad ſuam æternam gloriam perducat. Amen.

* * *

FINIS.

8-1